70—

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
31 Q
19

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
55
11 C
13
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12-13-C-19.

14-a-18

70.3.37.

EX AELIANI HISTORIA PER PETRVM GYLLIVM LATINI FACTI,

itemq́ꝫ ex Porphyrio, Heliodoro, Oppiano, tum eo=
dem Gyllio luculentis acceſsionibus aucti
libri XVI. De ui & natura
animalium.
Eiuſdem Gyllij Liber unus, De Gallicis & Lati
nis nominibus piſcium.

Collegij Rom. Soc. Iesu cat. inscript.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB.
GRYPHIVM,
M. D. XXXIII.

Cum Priuilegio, quod in calce libri reperies.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
B.S.

GALLIARVM
REGI FRANCISCO, NON MODO NOMINE PRIMO FRAN-
corum regum, ſed humanitate, cæteriſq; re
gijs uirtutibus longè omnium gen-
tium memoriæ noſtræ prin-
cipi, Petrus Gyllius
S.

CVM ex ſermone omnium præcla-
re intelligerem, magnanime Rex, te
& prſtanti animi ingenio, & ſingu
lari omnium magnarũ rerum ſcien
tia tantopere excellere, ut non me-
diocres modò, ſed & uaria, & mul-
tiplici ingenuarum artium doctrina inſtructi, tuum
iudicium grauiſsimum ſubire uereantur: primo qui-
dem me ſubpudebat beſtiolarum exilitate tam erudi
tum principem audere appellare. Pòſt autem cum o-
mnem fere animaliũ hiſtoriam penitus perſpicerem,
uel à regibus ſtudioſe animaduerſam, uel ab ijs qui
hanc ipſam conſcripſiſſent, ijſdem religioſe dicatam,
& conſecratam eſſe: (Nam ut omittam alios nobiliſ-
ſimos reges, non optimos ſolum, & diligentiſsimos
pecuarios habitos, uerum etiam curioſos in exquiren
dis animalium naturis fuiſſe: Iuba, Hieron, Attalus,
Philometer, Archelaus reges de ui naturaq; animaliũ

 diligen

diligenter perſcripſerũt) Tum ſanè totam beſtiarum tractationẽ regiæ religioni habendam arbitrabar. Ac nimirum metuebam me profanam facturum eſſe, niſi hanc hiſtoriæ confectionem quantumlibet noſtro peradoleſcenti ſtilo inconditã, tuo quaſi numini conſecrarem: Verum quidem cum tanquam de integro iterum & ſæpius te non ex imperĳ amplitudine, id quod pleriq; faciunt, ſed ex animi tui uiribus expenderem: & diligentius conſiderarem acrem, & præſentem, & acutam, & limatam uel uerborum maieſtate, uel ſententiarum, ingenĳ tui perſpicaciam, qua potes omnium otioſorũ, qui ſinguli omnem ætatem ſeparatim in aliquam artem conſumpſerunt, ſcientiam facile uincere. Tum certe (etſi enim planè tuum nomen mihi ſemper ſanctum fuit) non in hanc tantam, quam modò dixi, regiam religionem ueniſſem, huiuſce noſtræ induſtriæ ut tenuitatem ſub acumen ingenĳ tui limatiſsimum ſubĳcere auſus eſſem, niſi partim Georgius Armeignacus, quem Rutenorum ſacris præfeciſti, dum omnem mentem in cogitatione obſeruantiæ, qua ſumma te colit, uehemẽtius defigit, quàm ullam meæ mediocritatis memoriam recordari potuerit, ad hoc facinus tacito quodã rogatu, quę eſt hominis ſingularis modeſtia, me impuliſſet: Cum tamen uel iure, uel autoritate potuiſſet; ſiue quòd ad eius liberalitatem ſtudia noſtra adniterentur, ſiue quia eiuſdem hortatu in aſperitatibus ſaxetorum Rutenenſium, néue animi languore, néue laboris inertia omnino lapidei

effice

efficeremur, hoc quantũ eſt cunq; operis conati eſſemus. Partim etiam niſi alio nullo neq; labore, neque periculo illius præclari facti fidem tibi facere poſſem, cuius te admonere iampridem cupio, quàm ſi quod tibi, ſi minus eruditũ ſpecimen ederem, attamen non abhorrens ab eo conatu, quem (quoniam hic eſt animi atq; ingenij tui, quoniam etiam in iſto honor tuus amplißimus agitur) abs te ſolo exhauriẽdũ exiſtimo. Te profecto è regia dignitate non pręſtãtius quicquã efficere poſſe, quàm ſi quibuſdam neq; indoctis, neq; ſegnibus id dederis negotij, cũ ut totius naturalis hiſtoriæ nouam periclitationẽ, tum uel maxime beſtiarum Galliæ aquatilium, terrenarum, uolatilium, nomina, mores, & figuras ſcriptis perſequãtur: neq; amplius tam ualde peregrina animalia ex nouo orbe deportata admiremur, ut noſtrorũ uim contemnamus. Enimuero quot egregij piſces in littoribus tuis errãt, non in uulgus ſolum ignoti, ſed ne ſcriptorũ quidem ulla notatione animaduerſi? Quot item aues, quorũ nomina in ſumma omnium ignoratione uerſantur, in conſpectu noſtro lapſus exercent? Quot etiam terreſtres beſtiæ, quarum ſpiſſe atq; uix domeſticarum nomina tenemus? Neq; idcirco ab iſta laudis gloria retardari debes, maxime Rex, quòd Ariſtoteles, & Plinius, & poſt eos alij pleriq; Græci homines, quorum omnia ferè quæ extant, non à nobis modò conuerſa, uerum noſtro etiam & iudicio, & ordine diſtincta, iam nunc tibi repræſentamus, forſitã tibi optime

prædicabuntur omnem animalium naturam ſcriptis comprehendiſſe, à quibus ſic longe uehementiſsime diſſentio, ut ab eis præclarè inchoatam multam animalium uim, non planè perfectam, audeam dicere. Cur enim tot, tantisq́ religioſiſsimis autoribus de ui & natura animalium extinctis, non amplum locum hominibus minime inertibus ad nouam commendationem relictum eſſe arbitremur? Cum ſexcentis apium ſcriptoribus nondum perditis, Ariſtarchum Solenſem conſtet duodequadraginta annos nihil aliud egiſſe, quàm earum mores tum obſeruaſſe, tum ſcriptis mandaſſe. Equidem ſi uel ingenium, uel fortuna uoluntati par eſſet, non in unius ſolum apis explicanda ui ætatem contererem, neque ſolius Galliæ regionibus, ſed ſolis quoque terrarum ultimis animalium ſtudium circumſcriberem. Ac ſi inter religionis hoſtes tutò uerſari liceret, iam omnes Græcas gentes peragraſſem, ut coràm, tanquam in rem præſentem ueniens, piſces recognoſcerem: quorum nomina ab ijſdem Græcis, ſiue piſcatoriam, ſiue nauicularíam, ſiue pyraticam facientibus Venetijs, Ianuæ, & Maſſiliæ curioſè percunctatus eſſem. Atque immanem Africam, ſi fidum commercium ullum cum tam perfida Barbaria eſſe poſſet, pedibus & mari obijſſem. At enim ut hęc magna & difficilia priuatus quiſpiam me longe præſtantior audeat conari, certe conata poteſt efficere ſolus Rex excellens, cuiuſmodi es, cuiuſmodi Alexander fuit; qui cum animalium ſtuderet

naturas

naturas cognoſcere, aliquot uenatorum, aucupum, piſcatorum milia, itemq́ꝫ omnium qui uiuaria, armenta, aluearia, piſcinas, auiaria haberent, in omnibus Aſiæ Græciæq́ꝫ regionibus Ariſtoteli ad hanc de animalibus commentationẽ obedire iuſsit. Tu magnanime Rex, cum largitate, beneficentia, animi magnitudine, doctrinarum ſtudio nulli priſcorum regum inferior: dignitate uero, & robore animi contra fortunæ tela etiam ſuperior, ad omnia ſumma natus ſis: Quemadmodum Gallos non tantummodo Barbaria, quod leuius fuiſſet, infuſcatos: ſed longo ſanè interuallo inſcitiæ tenebris, ut omnino deplorati uiderentur, excæcatos ad manſuetiores literas reſtituiſti: Sic etiam debes feras beſtias ad manſuetudinem, & quaſi ad humanitatem quandam, hoc eſt, ad hominum cognitionem traducere. Cum non ſolo nomine, quod tibi, poſteritatiq́ꝫ tuæ felix & ſempiternum ſit, ſed re & ueritate primus ſis è regibus Galliæ, qui omnium artium humanarum liberales diſciplinas dignas principibus, dignas regibus, toto pectore amplexus ſis: uel quòd ipſas amares, uel ut alios ad eaſdem incitares, eaſq́ꝫ omnibus nobilibus ab ingenuitate ſua deteſtantibus abiectas obſcuras è tenebris in lucem extuliſti, & in honorem quendam adduxiſti. Quas cæteri reges in tam ualde infimam humilitatem depreſſerant, ut nunquam humo ſe excitaſſent, niſi ualentem dexteram tuam porrexiſſes. Primus ex inſcitia grauiter laborantem nobilitatem, & peruerſe

abutentem otio, in recta atque honeſta literarum ſtudia non edictis, ſed tuo exemplo reuocaſti. Primus, & ſolus es ille uerus Hercules Gallicus, ad eloquentiæ effigiem à Gallis olim fictus, & præſignificatus, qui cum ſolo nutu poſſis, ſermonis tamen humanitate, & dicendi ui mauis homines ducere, & pleniſsime omnibus reſpondere, contra morem Barbarorum regum, qui ſolo imperioſo ſilentio intelligi uolunt: quo nihil à regia dignitate alienius uidetur. Quid magis regium, quàm ſermonis uis? ſine qua reges nunquam ſatis inſtructi haberi debent. Enimuero ut longa ſeruiendi conſuetudine ſuos regere queant, ſine hac certe ad externos frigent, & ridiculi uidentur. Hæc enim quos nullum neque ferrum, neque aurum liberare poteſt, expedite exſoluit: ut ſi fortuna (quæ in bellis maxima gerit imperia, & ſuo iure uictorias ſibi attribuit: & quæcunque in pugnis accidunt proſpera, ea omnia ducit ſua) eueniſſet, ut uel Alexãder, uel Pompeius, uel Cæſar, uel alij plerique reges, quibus charior fuit laudis gloria, quàm poſſeſsiones ſuæ, te hac benè dicendi prudentia, cæteriſque regijs uirtutibus non minus, quàm regnandi amplitudine præſtantem cepiſſent, non tantum extuliſſent iacentem, ſed priſtinam etiam dignitatem auxiſſent. Tumque ex horum illuſtrium uirorum uel iudicio, uel reuerentia, aduerſus iſtam tuam uim, non indotatam, neque incomitatam cæteris omnibus magnis uirtutibus, fructum eſſes ampliſsimum conſecutus tui ſummi & periculi

riculi & humanitatis: ſimul & periclitatus eſſes dicen-
di peritiam, omnium rerum reginam, non regibus ſo
lum potentiſsimis imperare, ſed etiam acerbas uicto-
rias uincere poſſe. Ac tum quidem honeſti uis, cuius
hæc ætas ſenſum nullum percipit, radiato ſole cla-
rius ad aſpectum omnium uel cæcorum non minus
fulſiſſet, quàm in tantis inſcitiæ tenebris Galliæ ad o-
mnem perpetuitatē lætiſsimus illuces, orbarū quaſi
tutor literarū, quarum te perſtudioſum eſſe, quantas
Galliæ commoditates afferat, nihil eſt neceſſe decla-
rare: cū omnes ex iſta imperij tui manſuetudine quo-
tidie iucundiſsime ſentiamus, tum maxime inſidiato-
res tui inſigni ad moderationis tuæ gloriam periclita
tione ſua perceperunt. Horum enim inſidijs ſæpe at-
tentatus, contrà quàm natura fieri ſoleat, te iſtis perni
ciem uitæ tuæ molietibus manifeſtò, & manu depre-
henſis, æquiorem quàm tibi metipſi præbuiſti. Ad
quem tantam ſenſus moderationē, etſi præſtanti ſin-
gularíq; naturę bonitate excellis, ecquibus gradibus
deſcendere potuiſſes: niſi optimis à pueritia diſcipli-
nis uiam ad humanitatem muniuiſſes? Ecquo modo,
etiam ſi magnitudine excelſi animi ſis incredibili, con
tra fortunæ acerbitatē tantopere obduruiſſes? ut nō
modo animum tuum periculi magnitudo non frege-
rit, ſed & confirmauerit, & renouauerit, niſi literarum
moderatione fatale malum cōſolatus eſſes, niſi ſapien
tum pręceptione, exemplorum uetuſtate pectus non
minus quàm ualentiſsimam manum ad excipiēdam

B tempe

tempeſtatē armaſſes? Non igitur neq; fortunæ neq; hominum fidei,quę nulla fuit,ſed proprio tuo animi robori ad omnium magnarū rerum cognitionē in- formato acceptum referre debemus,quòd te incolu- mem habeamus,quòd non rurſus exuta humanitate de ſpe literarū conatuq́; depulſi, in priſtinam barba- riem reuoluti ſimus. Neq; enim,niſi te ſaluo,ſpes ulla oſtendebatur ſapientiæ, nedum ſanitatis: neq; quo- rundam quaſi feritatem ad literarum manſuetudinē traduci poſſe, neq; unquam afflatus ullus, niſi planè uel diuinus,uel tuus nobilitatem non iam labentem, & inclinantem , ſed perpetua ſeculorum infinitate in ſummam omnium literarum ignorationē demerſam erexiſſet. Quę antequā rex eſſes,non aliud quicquam ſcientius imitari ſciebat, quàm regum uel ueſtitum, uel literarum inſcientiā, præ qua omnem rectam ar- tium doctrinam ab inſignibus ſuis aſpernabatur: fra ctos & minutos mores curioſe ſectabatur, antiquos præclarè contemnebat. Sed fuit tum quod huic forſi- tan ignoſci poſſet,cum non quicquam eſſet tam ual- de nobile,tam planè regiū, quàm nihil ſapere. Nunc autem(ut natura comparatum eſt,quicunq; mores in principibus elucent, eoſdem in populo eminere) tuo exemplo adducti elaborāt,non ſolum bene ut equis, & armis,ſed optime ut literis utantur,& tuam uiuen di formam imitantes,eruditis collocutionibus muſa- rum,faſtidia condiant, aulæq́; moleſtias temperent: Cuius languorem olim ſexcēta ludorum genera mi- nuere

nuere non poterant,nunc leues libelli leuant,& ſæpe tollunt. Atq; etiam magiſtratus tam ſacri,quàm profani,commentitijs cõmentarijs reiectis,ex oſcitatione & dormitatione nugatoriorũ uoluminũ experrecti, tanquã ex glandibus ad bonam frugem ſe recipiunt, ut nuſquam unquam frequentius gymnaſiũ & literarum ſtudioſis,& eruditis, quàm aulam tuam uiderim. Quod quidẽ tuum præclarũ facinus non omnibus modo triumphis longe antepono,ſed etiam cum heroum donis (ex quibus tamen à ſapiẽtiſsimis Græciæ, & Romanis Dij conſtituti ſunt) exæquo, atque adeo antefero. Quòd ſanè eorum dona ſuis tantum largitoribus aſcenſum in cœlum compararunt: Tua autem non modò ad memoriæ æternitatẽ, & tuum nomen conſecrabunt,& uirtutẽ tuam Chriſtiana diuinitate afficient,uerum etiam quotquot iſtis tuis donis utentur,diuini efficientur. Illorum item fragilia & caduca munera animos hominũ efferarunt,atq; in omnia ſcelera impulerunt,calamitates mortalibus auxerunt,clades magnas attulerũt: Tua contrà immortalia beneficia à uitijs animos uindicant, & corroborant,eorumq; corruptelã ſanant,feritatẽ depellunt,libidinem arcent,humanam fragilitatẽ ab errore ſuſtinent. Non ergo ad dei numen propius accedere, non diuinius de nomine ac dignitate Gallię mereri poſsis, quàm literarum tuitione. Hac enim iudiciorũ ruinæ inſtaurabuntur: perculſi, atq; proſtrati omniũ ſtatuũ mores erigentur. Nobiles exempla ſuorum ſtudiorũ

ex ſimilitudine tuorum capientes, in ſuam plebem eo magis mitigabuntur (quòd nulla gens ſit tam immanis atq; barbara, quin literarũ mãſuetudine manſueſiat) atq; ad laudis gloriam ardentius inflammabuntur: fidelius pro te labores excipient: ac ſi ſit neceſſe, uitam ponent. Ac ut omittã alias infinitas utilitates, quas ex iſta tua in literas benignitate percipiemus, per te deſinemus barbari & eſſe & haberi: ut ſi Cicero ab inferis excitatus, ad naturalem Gallorum facilitatem, ſimplicem, & ſyncerã perſpiceret literarũ humanitatem acceſsiſſe, non amplius tam aſpere hos immanes appellaret: neq;, id quod aliquando fecit, infimũ ciuem Romanũ ampliſsimo cuiq; Galliæ anteferret. Sed nimirum te ob perfectam benè dicendi commendationem, & ſummã in liberali motu dignitatem, non tantum Pompeio, quem immortaliter laudauit, uerũ Cæſari, quem omnis memoriæ clariſsimũ lumen dixit, & egregia indole uirtutis ac continẽtiæ Octauio, quem partum aureum nominauit, rectiſsime compararet: ſimul & exclamaret, O tempora, ò mores hominum, qui te perfidia omniũ ſceleſtorũ uſi decipere conati ſunt, tuos Catilinas æternis notis inureret: te ueriſsimis ac iuſtiſsimis laudibus in cœlum efferret: daret tibi faſces: appellaret te imperatorem: decerneret in ſuo regno (hoc eſt, in foro) ſtatuam: & ſiquid aliud eſſet, quod dari poſſet, adderet: Ac tandem perorarct, Gallos omnes noctes dieſq; de ſalute tua & debere cogitare, & caſus humanos, & incertos euen-

tus ua

tus ualetudinis,& naturæ communis fragilitatem ex-
timeſcere. Idemq́; grauiter doleret ſalutem Galliæ,in
tua unius mortalis anima poſitam eſſe.Sed quid mor
tui hominis lamentabili oratione utor, cum ſimiles
non ſolius Galliæ, ſed omnium eruditorum, qui ubi-
que ſunt,uoces exaudierim. At quis non exaudiuit
luctum omnium, ſiue tuorum, ſiue alienorum, qui
cum muſis ullum habent commertium? cnm ſiue ho
minum iniquitate, ſiue fato quodam acerbiorem ca-
ſum ſubiſſes,quam ſumma iſta tua uirtus merebatur.
Quis tum,cui ſit aliquis ſenſus literarum fuit,quin pe
riculum commune omnium ſtudiorum agi arbitra-
retur? Quis ex his non pro tua ſalute uota fecit? non
poſt tuam reuerſionem Muſis litauit? non tacitus
optauit omnia tibi proſperius euentura eſſe? non
omnium dirarum obnuntiationem imprecatus fuit
eis,qui tibi iſtam offenſionem ſtruxiſſent? Quis por-
rò tam agreſtis ac durus,tamq́; uirtuti infeſtus, qui-
buſcunq; ille fuerit in terris,modò tuam uirtutem co
gnitam habeat, non iſtam longe pluris æſtimauit,
quam eorum omnium qui tibi cladem afferre conati
eſſent? Quis autem tum non iudicauit te honeſtius
decubuiſſe, & maiori cum dignitate cecidiſſe, quàm
hoſtes uſos ſiue ſimulatione religionis, ſiue proditio-
ne amicitiarum, ſiue omnium perfida machinatione
ſeu ſtantes,ſeu potius iacentes, uirtutis inſignia ſine
uirtute reportaſſe? Sed inuitus in iſto fato meus lite-
rarum ſermo uerſatur, ut & ſingularem de te bono-

rum exiſtimationem, & amiciſsimum eruditorum in te ſtudium cognoſcas, ut tecum reputes quas hominum admirationes excitabis, quæ nominis tui teſtimonia æterna à ſummis ingenijs cōſequêris, ſi quem te non modo armatum, uerum etiam in afflicta fortuna, ſenſerunt muſas adiuuiſſe, iam eundem te potentiſsimis & maximis nationibus florentem, uideāt non deſiſtere eas benigne & ſtudioſe colere, ſed dignitatem ipſarum indies amplificare. Quæ tum tui nominis celebratio? quæ laudis poſteritas? cum non in ſola Pariſiorum gymnaſia, quod tamen ipſum & maximum eſt, & cum omni æternitate adæquandū, ſed in omneis principes urbes, in omneis magiſtratus, in omnem nobilitatem, in ipſam deniq; plebem intelligent te literarum humanitatem ſparſiſſe, ac diſſeminaſſe, iſtaq; tanta literarum uſurpatione omnia excitaſſe, quæ infinitis ſeculis non iacebant, quod alicuius ſpei, ſed funditus extinguebantur, quod deſperationis erat, ſuperiorum inſcitia regum, quos, quanuis maximi animi ac uirtutis uiros, uix ſciremus natos eſſe, non modò regnaſſe, niſi forte exeſa tabellionum ſcripta, uel rudes corporum ſtatuæ nos admonuiſſent. Tui uero animi effigiem nulla obſcurabit poſteritas, ſed quò magis inueteraſcet, eo politius antiquo excellentium ſcriptorum artificio exprimetur, ac illuſtrabitur. Quare ſumme Rex (ut pro omnibus, quorum induſtria in ſcientia & cognitione conſiſtit, loquar) & per omnium bonorum de te præclarum iudicium,

dicium,& per poſteritatem, quam immortalem ex li-
terarum defenſione habiturus es, oro, obteſtorq́ꝫ te,
neu defatigeris in tuendis literarũ ſtudijs: neu omit-
tas perficere ſępe abs te deliberata, uerum bellis inter-
pellata: ſed efficias, ut quemadmodum cætera quæ
conſtituis, exequi ſoles, ſic diſciplinarum negotium
abs te iam prope affectum, uere & regie conficias.
At enim me tibi longe pluribus communem ſtudio-
rum cauſam commendare cupientem, obtrectatores
interpellant, quos iam ſero admodum cogito, huius
meæ hiſtoriæ non fidem modo apud te eleuare (quod
faciat quiſpiam me facile pati poſſe, honeſte uero quo
modo)? Verum etiam funditus tollere quod acer-
biſsime ferrem, conaturos eſſe. Quorum hominum
iniquitatem ualde timerem, ſi eodem quo pleriq́ꝫ re-
ges ingenio affectus eſſes, qui cum de hiſtoria quip-
piam agitur, ad alios (quod ipſum miſerabile uidetur)
magna ſecuritate reijciunt: Ac ſi quid admittunt, id
ipſum quaſi ſortitione facta, non iudicio probant.
At enim cum ſis hiſtoriæ peritiſsimus, & prudens in-
geniorum exiſtimator, facile patior apud ipſum te
exoriri huiuſmodi obtrectatores, præſertim cum ex
Athenęo planè ſciam non defuiſſe qui dixerint: A
quo nam Proteo & Nereo, qui ex profundo emer-
ſiſſent, Ariſtoteles didicerit quid piſces agant? Eiuſ-
modi enim ſcribit, ut imperitis miracula uideri queāt.
Veruntamen iſto tuo iudicio præditus Alexander,
nō has obtrectationes tantum improbauit, ſed inuſi-

tata liberalitate illius hiſtoriam proſecutus fuit. Neq; item tale quicquam auſi ſunt reprehendere Eubolides,& Cephiſodorus,quanquam contra Magyritem uolumina conſcripſerunt. Neque uel nobiliſsimi philoſophi ab Ariſtotelis inſtituto diſſentientes, huius hiſtoriam ſolertia animalium non ſolum ſpoliarunt,ſed ipſi quoque ſeparatim certos libros de propria quadam beſtiarum ratione, & quaſi ſermone, diligenter perſcripſerunt. Bene Vale.

DE BESTIARVM PRAESTANTIA, caput generale, inſtar præfationis huic operi præpoſitum.

PHILON Iudæus non rationis modò beſtias,uerum cuiuſdam etiam ſiue ſermonis,ſiue locutionis Porphyrius tradit participes eſſe: quam ſi minus intelligimus, non mirum uideri debet, neq; enim Indorum Græci, neque uel Britannorum, uel Germanorum Galli aſſequuntur: ſed nimirum ut horum ſonus nobis,ſic his noſter gruum clangori ſimilis eſſe uidetur: etſi eis ſuus literatus, & nobis quoq; noſter uidetur. Simul & quemadmodum beſtiarum ſonum auribus, non intelligentia capimus, ſic Britanni colloquentes anſerum clangorem fundere,atque ſtrepitu tantum aut longiori aut breuiori nobis uti uidentur: ipſis uero ſua collocutio intelligitur. Sed & beſtiæ ſimiliter ſuam intelligunt: contrà nos

earum

earum tantummodo ſignificationis expertem audi-
tione,non intelligentia comprehendimus. Quoniam
quidem ad ipſarum uoces peritus nemo quid ſignifi-
cent,nos docuerit: tametſi huiuſcemodi rerum fidem
antiquis habemus.Earum intelligentes dicũtur fuiſſe
cum alij pleriq;,tum Melãpus Tireſias, Apollonius:
ac nonnullę quidem nationes quorundã animalium
uoces percipiunt. Etenim uarius & multiplex earum
ſonus diuerſam ſignificationem oſtendit. Alium ſanè
ſonum edunt cum ſunt in metu,alium cum ad cibum
inuitant,aliam mittunt uocem,cum ad pugnam pro-
uocant.Canini enim latratus uarietatẽ uenator intel-
ligit:nimirũ hũc modò leporem ueſtigare, modò in-
uenire, modò ab eo aberrare. Et bubulcus ex boum
mugitu noſcit,uel cum is eſurit,& ſitit, uel cum uitu-
lum quærit.Et rugiens leo,minas ſignificat: & lupus
ululans,perniciem illaturũ ſe declarat ; neq; balantes
oues quibus egeant paſtorẽ latent. Næ multis,tanta
in ijs uarietas eſt:ut uel hominibus ipſis qui totã æta-
tem in hanc rem conſumpſerunt, difficile ſit earũ infi
nitatem obſeruare. Cum enim Augures in coruis &
cornicibus aliquot uocum differentias notaſſent,reli-
quas humano ingenio incomprehenſibiles omiſerũt.
Iam porrò pſitaci, corui, picæ humanum ſermonem
imitantur, & memoriã eorum quæ audiuerunt reti-
nent,& docentibus ad diſcendum ſtudioſe obediunt,
ſæpeq;numero permulta domeſticorũ peccata indi-
cant. Hyena autem,quam Indi Crocutam nominãt,

C nullo

nullo docente expreſſa hominis uoce utitur,ut quem captu facilē obſeruauerit,ſcientiſsime appellare ſciat. At enim dices nō omnes beſtię noſtratia imitari ſciūt. Quid tum? neq; omnes homines non ad animalium ſolum uoces,ſed ne ad latinum quidem ſermonē dociles exiſtunt. Neq; uero minus alienū uidetur ſolam hominis uocem, quòd à nobis intelligatur, ſermonē appellare: quàm ſi corui ſolam ſuam dignitatē habere,nos autem, quòd humanā linguam non aſſequantur, ſermonis expertes exiſtiment: quàm ſi Attici ſolā Atticam ſermonem dicant,alios huius imperitos ſermone carere arbitrētur. Neq; tamen beſtiæ ignorant hominū ſermonem iraſcentiū, aut iucunde excipientium,aut uocantium,aut inſectantiū. Quid dicam de ratione ipſarū? etenim cantibus moderatiores fiunt, & ex feris manſuetæ redduntur. Quid canes ratiocinantes? quid luſcinias pullos ſuos cantare docentes? quid quantum memoria ualeant,quanto eorum quę procreauerint ſtudio teneantur? Quid quòd neque malè neq; benè factorum memoriam obliuiſcuntur? Pietatem aduerſus parentes obſeruant, diſciplinā tenent,neceſſaria inquirere nouerunt, communitatem ſeruant, ſocietatemq; coëunt, temperantia utuntur, animi magnitudine uigent, utilia appetunt, à pernicioſis refugiunt. Non hic commemorabo ſenſibus quanto nobis præſtent, quanto exploratius ſalubritatem,& peſtilentiā,reliquumq; cœli ſtatum præſentiant. Nam ſuccorum diſcrimina ſic exactè tenent, ut

melius

melius quàm medici à pernicioſis ſalutaria interno-
ſcant. Earum nullæ neq; ualētes, neq; imbecillæ ſuas
uires ignorant: imo præclarè quo membro præſtent,
cognoſcunt. Pardales dentibus, unguibus leo, ungu
lis & etiam dentibus equus, cornubus bos, unguibus
Gallinaceus, aculeo ſcorpius utitur. Tum Aegyptiæ
aſpides, Ptyades nuncupatæ, ſuorum inſectatorum
oculos ſputo excęcant. Deniq; ad ſui tuitionē ſingu-
læ quippiā poſsident, quo utantur, locosq́; pro tem-
porum uiciſsitudine ad ſuam commoditatē mutant:
& ſimiliter atq; homines inuidia atq; malitia, tamen
leuiore quàm homines, laborant. Neq; item ut ho-
mines ueneris libidine intemperanter abutuntur, ſed
etiam plurimæ earum ut fœminam grauiditate affece
runt, hanc non attingunt. Præterea quidem mares
parturientium fœminarum dolorem cognoſcunt, eiſ-
demq́; commouentur, ut gallinacei: atq; etiam non-
nullæ incubādo fœminas adiuuant, ad excludendos
ex ouis pullos, ut columbi: uicinisq́; ad pariendum,
locū ubi pariāt, prouident. In quibus ſimulacra cum
omnium uirtutū reperiamus, nónne naturam ipſam
ſentimus nobis clariſsima uoce indicare, non incredi-
bilia uideri debere ea, quæ de ui & natura animalium
decem & ſeptem libris complexi ſumus? Nam ſi o-
mnia etiam atq; etiam diligenter obſerues, ſingula ui
deas ordinē tenere, & ſui officij rationem colere: &, ut
omittam alia infinita, ſuis altoribus cum blandicijs
obuiam proficiſcuntur, dominum agnoſcunt, atque

C 2 adeo

adeo longo temporum interuallo recognoſcunt: ſæpeq́ꝫ eidem poſitas inſidias indicant: ſuis gregalibus periclitātibus auxiliantur, gloriæ cupiditate mouentur. Taceo iuſtitiam, cuius obſeruantes ſunt: prætermitto eas quæ poſteaquā cum pari ſuo tanquā cum uxore quadam coniunctę ſunt, non aliam attingunt, neque ad fidem tuendam egent ſponſalium tabulis. Necꝫ temerè, & ſua ſponte in homines efferantur: nam ſi ijs ipſis ad uſum cibus copioſe ſuppeditaretur, non inter ſe modo, ſed ne hominibus quidem infeſtæ eſſent. Quod ipſum & propter cibi inopiam, & propter anguſtas ſedes ſuarum commorationū ſæpe facere coguntur. Quòd ſi in tantas uel cibariorū uel locorum anguſtias homines compellerētur, feris ipſis longe immaniores eſſent: id quod in difficilimis belli & famis temporibus facile perſpicitur, cū enim ſanè inter ſe exedunt, & conficiunt, ac nimirum ſine bello & fame domeſticas & familiares animantes edunt & conſumunt. Contrà uero beſtiæ nec ſuo generi, nec alieno, quo cum domeſtico uſu coniunguntur, quicquam nocent: ſimul &, tametſi ex inuidiæ odio & riualitate laborent, non tamen eis malicia uſcꝫ eò procedit, ſibi ut benigne & liberaliter facientibus inſidias moliātur: imò uero firmiſsima eos beneuolentia proſequuntur, ut quacꝫ uerſus beneficos in ſe ſequātur, necꝫ quo minus id obeant, ullis periculis deterrētur. Homines autem nullis officijs tam fideles conciliari poſſunt, pro ſuo nutricio ut mori uelint. Iam uero ea

beſtia

beſtiarum ſolertia nomine propius accedit ad homi-
nis ingenium, quòd humanas artes imitatione conſe-
quantur: nam diſcunt & ſaltare, & aurigæ officio uti,
& in fune ambulare: tum ſcribere, ac legere, lyræq;
& citharæ fidiculas pulſare: tum ſagittas mittere, &
equitare: quinetiam ſignorum differentias ratione
percipiunt, non modò humanam uocem præclare
intelligunt. Neque præterea eſt cur quidam eas ideo
tantopere contemnant, id quod ſæpe faciunt, quia
humanum officium non faciant, quòd conciones nõ
habeant, conſilia non ineant: cum uel ipſi homines
hoc idem haudquaquam ſeruent: cum pleriq; priuſ-
quam conſuluerint, rem ipſam exequantur, quod
quidem ipſum beſtiæ non faciunt. Neque ſi urbes
non habent, idcirco deſpiciendæ ſunt: nam id ipſum
commune habent cum Scythis, cum Amaxobijs.
Nonnulli calumniantur eas exleges eſſe: ſed quid
aliud tandiu erant homines, quoad Apis primus le-
ges, quibus carere non poterant, Græcis dedit. Neq;
unquam ſi tantopere contemnendæ eſſent, quàm ple
riſq; uidentur, ueteres tam egregie eas nobilitaſſent,
ut qui ab ijs nutriti eſſent: non tam ualde patres quã
nutrices beſtias iactauerint: alius lupam, alius cer-
uam, alius apem, Semiramis columbas, Cyrus ca-
nem: quinimo nemo iam paulo nobilior haberi po-
teſt, niſi eius ingenuitas effigie cuiuſpiam beſtiæ in-
ſigniatur. Alij eaſdem in odium inuidiæ adducunt,
& propter quarundam uenenum, & propter reli-

 quum

quum ipſarum maleficium, quod utrunq; inferunt, ut & cibo utantur, & laceſsitæ, iniurias ulciſcantur: Idq; faciunt uel dolore ſtimulatæ, uel pabuli anguſtia compulſæ. Homines autem nullo impulſu, ſed ſæpe ſua ſponte per ludum longe plurimas interficiunt. Ex quo intelligitur, hominis naturam immanem, & feram, & planè immiſericordem eſſe. Sed rectorum omnium ſtudiorum obtrectatores in me de ingenio animalium longe plura commentari uolentem, uideo iam tranſuerſos incurrere, quorum ut uim naturamq; animalium palatus erudite ſapiat, cor ſanè ignorationis caligine oppletum, nihil de mea hiſtoria probabit, præter ſuauem uſum animalium, & cæteras commoditates quas ex ijs uulgo homines percipere ſolemus. Erunt alij & ij quidem non iuſtiores, qui religioſum ſuum, ne dicam ſceleratū, & impium, à nullo neque aliorum ſacroſancto labore, neq; meo profano iudicium ſuſtinentes. Primum ut quiddam uel tenue, in magno uolumine non ſatis uerisimile inſpexerint, ſtatim totum opus reijciendum eſſe cenſebunt. Ac ſanè quidem ualde timeo, ne dum tantum ingenij, ſapientiæ, & quaſi humanitatis, & locutionis in beſtijs eſſe conſcripſi, peruerſo quodam iudicio has innocenteis prudentia ſpolient, cæteraq; animi ſolertia mulctent, ſeu acerbe ferentes ſe non ingenio & iudicio Elephantis, quibus longe ſuperantur, ſed & prudentia & ſapientia ignobilibus beſtiolis inferiores eſſe; ſeu nõ facile patientes geometriam ſibi

ſibi præripi ab araneis, arithmeticam à thunnis, dialecticam à canibus, aſtrologiam à formicis. Cur enim beſtias ſapere ſuſtineant, cum non deſint qui omnem humanam ſapientiam improbent? Cur cum utrancp linguam cuius ſuaui ſono etiam feræ permul centur non ſatis probent, eaſdem loqui patiantur? Cur non pugnabunt cum meis beſtijs, non luctatione & pugillatione? O ſi id accideret iucundum ſpectaculum ſed & lubrica & periculoſa ſoritarum argumentatione meas aceruales formicas, cum ipſas ne grano quidem ſapientię uincere poterunt, obruere conabuntur. Sed quid mihi cupienti ludos facere, non cauea circoq́ꝫ diuiſos, ſed decem & ſeptem libris diſtinctos deſideratius euenire poſſet, quàm doctis ſpectantibus, huiuſcemodi obtrectatores deſcendere ad pugnandum, non cum Elephantis de ſapientia, nam ijs ipſis etiam magnæ nationes ingenio inferiores ſunt, ſed cum formicis, cum apibus, quarum tamen alterarum prudentia conuincerentur ſtultitiæ, alterarum aculeis, ſi non ſapientiæ, attamen doloris ſenſum perciperent. Ac ſi cum crabronibus pugnare uellēt, experirentur quidem, ut ſint irritatione ſuperiores, certe aculeis ſe longe inferiores eſſe: ac tandem, quod nollem, in puſillam cicadarum nationem impetum conuertentes, uniuerſam ſilentij condemnabunt: nec eas excipient, quæ ab Aeliano mutæ eſſe dicuntur: imo uero, ſi eiſdem perſeueremus ſtomachum mouere, has media hyeme cantaſſe cauillabuntur. Quidlibet,

bet, modò ne configendis ſtilo muſcis Domitianum crudelitate ſuperent, modò ne me beſtiarium aſpere appellent, modò ne etiam me ad meas beſtias remittant: quorum alterum me profiteor, alterum Gallicum prouerbiũ eſſe agnoſco. Sed ad quas primum? ad boués ne? at cum his errare mallem, quàm cum non parua hominum natione ſapere. An potius ad Elephantos? at hi ſuſpicioſi ſunt, querentur ſe quidem antea felices & latentes ſuo bono uti potuiſſe, nunc uero inuidioſo nomine ſapientiæ, quam certi homines propriam ſibi uendicant, in odium hominũ à me adductos eſſe. An ne me ad cicadas reijcient? At hæ ut aliâs ſæpe me ſuo cantu delectarunt, ſic timeo, ne non iam iccirco earum omnium ſtridorem ferre queam, quia de uocalitate inuidioſius à me laudatæ, ſilentij damnatæ ſunt, id quod eis à nullo unquam tyranno acciderat. Ad aſinos igitur me remittent: ſed quid magis exoptem, quàm ſi uel per horum obtrectandi magiam, uel Pythagoreorum diſciplinam aſinus fieri poſſem? nam ſub huius pelle etiam doctiſsimi impune philoſophati ſunt. At enim ſi aſinos ſapere arbitrentur, potius annonæ charitatem in macello ac piſtrina omnia ceſſare faciẽt, quàm non confeſtim aſinum cogant efferre, non o micron, nam id ne uerberibus quidem unquam ab eo extorquebunt, ſed ſanè o mega, ſi non clara, attamen contentiſsima uoce, pronuntiare: ac quàm mox redarguãt cum omni corporis caudæq́; aſſeueratione affirmare

mare

mare hanc uocalem tantum longam eſſe: aut quòd hæc aſinina litera rotunda ſit, eundem aſinum concludere, omnes Euclidis figuras orbiculatas eſſe. Etiámne contra huiuſcemodi hominum feritatem, humanitas ferarum mihi imploranda erit? etenim nulla tam fera, tam immanis eſt, quæ non beneficij accepti memoriã retineat. Ego autem non forte peius quàm pleriq;, quorum partim delphini exceperunt, partim leones ſeruarunt, meritus ſim. Atq; etiam hic ibidem in primo aditu ueſtibulóq; reprehendent, quòd tragœdias comedijs miſceam. Sed quid aliud malim, quàm ut cum omnium beſtiarum ludos facere ſtudeo, etiam quemadmodum olim Romæ fiebat ad earum ſpectaculum ſales & iocos attuliſſem. Et ne diutius te in nugis teneam, fac hos prauitate iudicij potius, quàm ex æquo omnia æſtimãtes, primum nonnulla in hac hiſtoria leuitatis, deinde etiam mendacij, iure & uere condemnare poſſe: omnia uero quo modo? Fateor enim tecum, atque etiam præ me fero, ne hanc hiſtoriam ab omni lapſu uendicare uidear, nonnulla leuicula eſſe, ſed tamen non multa, & cum alijs infinitis grauibus & doctis compenſantur: ac tanquam neui in articulo pueri delectabunt Alcæos, hoc eſt, non ſtultos alieni operis æſtimatores: quos ſi priuſquam ſpinoſos authores, unde hæc ſumpſimus, legerint, non dubito hanc noſtram induſtriam grato animo interpretaturos eſſe: quam ex Aeliano, Oppiano de uenatione, Athenęo, Heliodoro, Por-

C 5 phyrio,

phyrio, ac cæteris omnibus qui ſcripſerunt de natura animalium poſt Ariſtotelem, non modo latinam fecimus, quod facilimũ fuiſſet, ſed Dionyſium etiam Caſsium, qui Magonem conuertit, imitati, ordinem & iudicium adhibuimus: atq; Aeliani hiſtoriæ, uel potius labyrintho lucem attulimus. Quid enim eius hiſtoria implicatius? ut certe non exiſtimem quenquã ſi hæc minutatim concidiſſet, deinde tanquam ſortes in urnam conieciſſet, magis conturbare potuiſſe. Sileo eiuſdem, cætera quidem docti uiri, ſed in hac re paulo minus diligentis, ineptias: quibus me moderari oportuit, aut omnem laboris exiſtimationem abijcere. Veruntamen hæc omnia eruditorum magis, quàm noſtro iudicio fecimus, quorum conſilio nondum pœnitet me paruiſſe. Potius doleo, non præciſius Græculam leuitatem compreſsiſſe. Omnia quæ non inſcribuntur Acceſſionis nomine, ex Aeliano ſunt: nam Acceſsiones confecimus partim ex omnibus Græcis autoribus, nondum conuerſis, qui poſt Ariſtotelem ſcripſerunt: partim nõ pauca ipſi experti ſumus, quæ omnia adiunximus.

HISTORIA DE VI ET NATVRA ANIMALIVM,

per Petrum Gillium tum ex Aeliano conuerſa, tum ex Porphyrio, Athenæo, Heliodoro, Oppiano, tum eiuſdem Gillij marte luculentis acceſsionibus aucta.

LIBER PRIMVS.

De natura Elephantorum. CAP. I.

ELEPHANTO duos dicunt prominere exertos, quos alij dentes, alij cornua uocant: ſingulis pedibus numero quinq; digitos indiuiſos, leuiterq; diſcretos, ex quo fit, animal ſit minime ad natandum habile: & anteriora crura multo poſterioribus lõgiora habet. Huic ſub armis papillæ exiſtunt: Atq; ita promuſcide tanquam manu utitur: Lingua etiam ei bene exigua eſt: Fel autem non ad iecur, ſed ad pectus ſitum habere dicitur. Biennium gerere uterum audio. Alij non tam diu, ſed ſeſquiannũ tantum uentrem ferre aiunt. Anniculo quidem uitulo ęqualem pullum edit: is ſtatim ut natus eſt, ore ſugit, non promuſcide. Cum libidinis furore ardet, incurſu parietes euertit, & ſimiliter atq; aries frontis ui atq; impreſsione palmas proſternit, Aquam nitidam nõ bibit, ſed poſtq; aquam con-

turbarit, turbida potione delectatur. Idcirco ſomnū erecto corpore capit, quia ei eſſet operoſum decumbere, ſimul & deinde à cubitu exurgere graue. Eius ætatis flos eſt ſexageſimus annus. Hyemis & frigoris impatiens eſt. Ad ducenteſimum uitam producit.

GILLII ACCESSIO. CAP. II.

QVemadmodum duobus dentibus Apri, ſic Elephanti armantur, ſed ſitu contrario: illis enim in ſublime feruntur, his deorſum retorquētur. Non homini, niſi laceſſiti, quicq̃ nocent: tum enim promuſcide tanquam manu comprehenſum, eū ad teli iactum iaculantur: ut ſæpe antequam terram cōtigerit moriatur: neq; uelocitate quiſquam tanta eſt, quem nō uel ſuo tardo gradu aſſequantur. Cum ſunt in catulorꝫ metu, infeſtiſsimi ſunt. Eorum promuſcis intus concaua, ſuilli labri ſpeciem, ſimilitudinemq́; quandam gerit: mobilis eſt, ut modo relaxetur, modo contrahatur. Eorum qui ſunt confirmata ætate, ea magnitudine dentes exiſtunt, uicem ut poſtium pręſtent, & pro palis Nigritæ ad ſepimenta utanť: ſæpe enim ad longitudinē decem pedum augeſcunt. Eorū pilos ex nouo orbe terrę deportatos uidi, qui ad duorum palmorum longitudinem procederent. Similiter rotondis pedibus, ut equi, ſunt: ſed amplioribus, ut plāta quoquouerſum ad binos dodrantes accedat. Quinq; ungues habent, & pedē multipliciter ſciſsum, ne ſi quando in humido ſolo conſtiterint, altius pedem imprimant. Iam quod in ſermonem hominū uenit, uanum

eſt

eſt,elephãtos crura ſine nodis articuliſq; habere:imò uero habent flexiones, & ut aliæ beſtiæ, quum libet crura flectũt,& erigunt, in ima enim propemodũ cruris parte iunctiones et flexus habẽt.Breuioribus ſunt auribus atq; oculis quàm pro corporis portione.Pelle quidem robuſta, ſed turpi,teguntur, eam ferrum peracutum nõ incidere poteſt. Peruagatum eſt, ſicut Oppianus ait,elephantos inter ſe loqui,ſed eorũ collocutionem nõ omnibus quidem, ſed ſolis domitoribus notam eſſe:Itemq; cum uicini ſunt ad moriendũ, præſcire fatalem neceſsitatem.Nõ ergo ſoli cygni extremum luctum canentes mortem prænoſcunt,uerũ elephanti etiam quando proximi ſunt ut moriantur, animo præſentiunt. Cum eos ad bellum Indi armãt, in clitellas, geminis ex ferro catenis infra aluum cinctas, utrinq; tanq; caueam ligneam imponunt, atq; ad collum alligãt,ſingulas caueas terni milites ingrediuntur, in utriuſq; medio auriga ſedet, qui beluam patrio ſermone alloquitur, & cum progrediendum, aut regrediendum eſt,oſtendit: Ferias, inquit,hunc: ab illo abſtine manum.Itemq;:In hos inuade,ab ijs te cõtine.Atq; ea magnitudine tanq; caſtellum aliquando dorſo conſtituunt, ut uel quindecim ex eo armati homines pugnent, quod cum pugnam committere moliuntur,aſſeribus ſuperintegũt:ad promuſcidẽ lorica circũmunitã diſtrictus gladius longitudine duorum cubitorum, craſſitudine humanę palmæ alligatur. Neq; modò fœminæ maribus ferociores,ſed ad

onerum uectiones etiam fortiores exiſtimãtur. Furoris tentatione eos aliquando laborare manifeſtum eſt, ex curſu furijs incitato. Mares fœminis excelſiores ſunt. Eorum uaria eſt proceritas: nam alij ad duodecimum, alij ad decimumtertium dodrantem excelſitate procedũt, alij ad decimumquartum. Inſueti inſedendi in eis, nõ aliter quàm ij qui in mari nauigant in nauſeolam incidunt, neq; inſiſtere poſsunt. Non item in adoleſcentium elephãtorum ſeſſione fit negotium, imò ex illorum molli gradu ſeſſor tãtopere oblectatur, ut ſi mula ueheret. Cum in elephãtum aſcenditur, is in terram abijcit genua, & conſcenſionis gradum ſcandenti facit: neq; porrò frenum eorum cuiq; inijcitur, neq; funis ad ceruicem ullus adſtringit, ſed ſoluti ad inſulam Zamzibaram gradiuntur: potionẽ qua ipſi pro uino utuntur, ideo ipſis largiũtur, ut ad prælium audaciores efficiantur.

GILLII ACCESSIO.

De elephantorum cornibus. CAP. III.

NOn paucis Philoſtratus probare conat, ea quæ ex maxillis elephantorum extra os eminẽt, dentes debere appellari: mihi potius cornua uident. Cum enim Halcas, beſtias Celticas, ac Aethiopicos tauros ex Pauſania cõſidero, illas quidẽ in ſupcilijs cornua, hos uero in naſo gerere, facile adducor cornua eſſe. Preterea accidit etiam, ut uertẽ tibus annis, ceruis elephantisq; cornua decidãt, rurſusq; recentia exoriantur. Dentes non item cõfirmata ætate animalibus renaſcunt

naſcuntur:neq; etiam igni cedit dentium natura,imò expolientibus pertinaciter reſiſtit:ac ſi cogãtur, rumpuntur. Contrà,boum & elephantorum cornua eriguntur, & flectuntur,ac nimirum in quaſuis figuras contorquentur, & ſe ut fabris libet,artificio attentari patiuntur.Neq; enim hominum ullam debet habere admirationem, quòd elephãtina cornua ab alijs diſcrepent, cum cætera huiuſmodi animalium forma & magnitudo ſit ab alijs beſtijs diuerſa.

De elephantorum obedientia,docilitate, & muſicæ ſtudio. CAP. IIII.

SEquitur,ut elephantorum deinceps dicam de arte numerorum,& obtemperatione,eorumq; acutiſſimis ſenſibus, ac facilitate ad eas diſciplinas aſſequendas,quę ad diſcendum difficiles ſunt uel homini ipſi, nedum tam ingenti feræ, & quæ aliâs tantopere animo agreſti eſſet, duroq; aduerſus omnẽ pertractationem. Enimuero ad numerum ſaltare,tibiæ auditione demulceri,curſum tardare ad ſoni tarditatem,ſeq; remittere ad remiſsionẽ tibiæ:rurſus cum acute ſonans impellit,feſtinare,diſcere aſſequi perfecte elephantus ſolitus eſt. Neq; uero natura modò illum ſumma ex omnibus animalibus magnitudine ornauit,ſed & diſciplina manſuetum,& tractabilem edidit.Elephanto ad morum manſuetudinẽ & facilitatem erudito,nihil mitius,nihil ad id quod uolumus obtemperãtius eſt. Cum Tiberij Cæſaris nepos Germanicus gladiatorę ſpectaculum edidit,plures iam grãdes utriuſq; ſexus

elephanti Romæ erant, è quibus alij pleriq; generati extiterunt, quorum artus interea dum cõmittebant, & confirmabant, & membra infirma conglutinabantur, peritus uir ad pertrectandos eorum ſenſus, animosq́; nunc eos diſciplina manſuetiori, nũc terroris & mirificæ uerberationis plena excipiens, erudiebat. Primũ enim eos maxima lenitudine & mollitudine, cibos nimirũ illecebris, & uarietate ſuauiũ inuitamentorum refertos indulgens, ad diſciplinã informabat, ut ſi quid eſſet agreſte, expelleret, ex feritate ad manſuetudinem, & quaſi ad humanitatẽ quandam tranſformaret: ſicq́; eis moderabatur, ut feritate expulſa, diſciplinis & muſicę ſtudio operam darent, tympanorum ſono nihil exterrerentur, pedum ingredientium ſtrepitum, cantumq́; miſcellaneum ferrent, eos præterea exercebat ad non formidandam hominũ multitudinẽ. Illa uero uirilis diſciplina, non ad grauem plagarum ictum excãdeſcere, coactos membrũ aliquod ad ſaltandum flectere, non rabioſe (cum eſſent maximo robore prędíti) incitari. Cum magiſter elephantorum ſpectaculum edidit, ij tempore ſuo ſpecimen dederũt, ſe recte inſtitutos eſſe, illumq́; in ſeipſis erudiendis non operam perdidiſſe oſtenderunt: nam duodecim numero theatrũ ingreſſi, compoſito gradu incedebant, ac toto corpore diffluebant, tanto ornatu, nimirum ſtolis ſaltatorijs induti, ſolaq́; magiſtri ſignificatione uocis ordinatim inſtructi, ut ferũt, gradiebantur. Ac uero rurſus, ſi illis hoc imperaretur, in orbem

ſaltab

ſaltabant,eundemq́ꝫ orbem ad imperantis uocem re-
petebant,atqꝫ nunc flores pauimētum ornabant ſpar
gentes,nunc modeſte pedibus terram pulſantes mu-
ſica moderatā ſaltationem una conſenſione obibant.
Damonem igitur,& Epentharum, & Ariſtoxenum,
& Xenophilū, ac alios pleroſqꝫ pulcherrime muſica
eruditos īter paucos huius peritos exiſtimatos fuiſſe,
mirificū quidem, at nō certe incredibile, neqꝫ ratione
alienū fuit,cum homines eſſent rationis participes,ua
luiſſe ui intelligendi,ac ratiocinādi:at uero animal ra-
tionis expers numerum & cantum percipere, formā
& ornatum tenere, non à ſaltandi moderata elegan-
tia aberrare,quæ didicerit repetere poſſe,hoc naturæ
donum eſt,ſimulq́ꝫ uis quædam admodum ſingula-
ris.Illa uero uel ad ridiculæ inſaniēdum ſpectatorem
inducere poſſint,in theatri harena humiles lectos ſpe
ctare,uario ſtragulo textili & magnificis operibus pi
cto ornatos: lauta item pocula,& argenteas crateras,
aureasq́ꝫ,permulta aqua repletas,menſasq́ꝫ magnifi-
cas, tanto pane & carnibus extructas, ut uel edaciſſi-
morum animaliū uentrem implere potuiſſent:omni-
bus ita recte apparatis, conuiuæ intromiſsi ſunt ele-
phanti,mares ſex,uirili ueſte induti,totidemq́ꝫ fœmi-
næ,ſtola muliebri ornatæ, decorè epulis accubuere,
ac in menſam promuſcides tanqꝫ manus porrexerūt,
ſummaq́ꝫ cū modeſtia epulati ſunt:neqꝫ ex ipſis quiſ-
piam uiſus eſt uorax, neqꝫ maioris partis rapax. Cū
eſſet bibendum,unicuiqꝫ cratera exhibebaꝰ,& hi qui-
dem

dem promuſcidibus potionem haurientes, moderate bibebant: deinde circunſtantes leuiter & feſtiue, ſine contumelia aſpergebant. Non pauca eiuſmodi de ingenio & natura propria horum animalium admirabilia alij ſcripſerunt. Ego recte & ordine in tabula quadam latinas literas uidi elephantum ſcribere: ueruntamen docentis manus ſubijciebatur ad literarum figuram & lineamentũ inſtituens animal: cumq́; elephantus ſcriberet, eius oculos immotos, & deiectos eſſe perſpexi, ut grammaticum quendam dixiſſes.

GILLII ACCESSIO. CAP. V.

Tanta huic beluæ cum genere humano ſocietas, tamq́; prope accedit ad hominis ingenium, ut Cicero non uereatur affirmare, non paruam nationem hominũ ſenſu ac ingenio eſſe multo inferiorem. Vbi ſemel ad hominem adſueſcit, ab eo omnia patitur, ex eoq́; morum ſimilitudinem in ſe transfert, neq; aliter ꝙ perparuuli catelli ex hominis manu gaudet cibum ſumere, atq; ad ſe accedentem promuſcide complectitur, eumq́; caput intra fauces immittere facile tandiu patitur, quoad homini libitum fuerit. Noctu autẽ ſuã ſeruiendi conditionẽ deplorare dicitur, nõ contento barritu, quo ſæpe aliâs utitur, ſed luctuoſa uocis ſuppreſsione miſerabiliter murmurat. Quòd ſi quis ita occulte gementi & lamentanti interuenit, uerecundia quadam motus, querelis ſuis moderatur, & gemitus facere deſiſtit.

De uenatione elephantorum. CAP. VI.

Qui

QVi uenandi elephantos ſcientiam tenent, nobis teſtantur, hos inſectatione uenatorum preſſos, cum robore immenſo, tum impetu effrenato atque præcipiti, & quem ſuſtinere poſsit nemo, ſic quidem per maximas arbores, tanquā per ſegetes excurrere, easq́ tanquam ſpicarum calamos, ubi curſum ramorum proceritate retardari uidēt, perfringere: ubi uero ipſi ex arboribus eminent, & proceriores exiſtunt, tum omni neruorum contentione currere, tum uiam inſequentibus præcidere: nec mirum, locorum enim conſuetudinem tenent. Cum autem ſe ex inſectatorum ſuorum conſpectu eripuerint, eosq́ maximis proceſsibus itineris longe & retro poſitos ſenſerint, tum ex fuga recipiunt animum ſimul, & tanquā periculo libertati, inſiſtunt: ibiq́, dum metus ſolicitudine expulſa, ex immenſo labore requieſcunt: his interea ad cibi cogitationem memoria excitatur, iuncos & hederas per arbores erraticis implicationibus ſerpentes depaſcūtur, atq́ palmarum tenera cacumina, & aliarum plantarum adoleſcētiores truncos. Quòd ſi rurſus inſectatores ad eos propius adſint, hi etiam iterū ſeſe in fugam impellunt: Cumq́ ab his multam uiam abſunt, ſeſe ex fuga colligētes, requietem curarum ex itineris labore habent. Inſequentes autem præcipitāte ſole debilitati, ſyluam incendunt, & uiam ipſis obſtruunt: quod ipſum ſentientes elephanti, ſe ſuſtinent à progrediendo. Ignem non minus quàm leones extimeſcunt.

GILLII ACCESSIO.

De uenatione elephantorum. CAP. VII.

Elephantorũ alij paluſtres, alij montani, alij campeſtres. Paludibus capti, dementes, leuesq; ſunt: Montani, praui, atq; inſidioſi, & niſi cum pabuli inopia premuntur, nihil tutum ab eis expectandum: Campeſtres, manſueti, & lenes. Iam quemadmodum capiantur, adiungam. Venatores quatuor aut quinq; ſtadiorum locum planum, & minime impeditum, foſſa latitudine quinque, ſimul & altitudine quatuor cubitorũ, cingunt, itemq; ante foſſam terram, ut murorum uicem præſtet, exaggerant: in aggere ſubterranea latibula efficiũt, in quibus foramina relinquũt, per quæ lucem admittant, unde accedentes feras intueri poſsint, tum ponte multo ceſpite conſtrato, ne feræ inſidias poſitas ſentiant, foſſę tranſitus iungitur: ac nimirum ad maiorem ferarum illecebrã tres quatuórue ex manſuetioribus fœminas elephantos in clauſtrum concludunt: uenatores in aggeris latibula abſtruſi manent in inſidijs. Iam uero eiuſmodi beluæ loca culta interdiu non adeuntes, ſed noctu tantum gregatim errantes, ad foſſam appropinquantes, cum incluſarum auditionem acceperunt, eò confeſtim accedere properant, & circum aggeres tam diu concurſant, quoad pontem nacti, intra munitiones ingrediuntur: Ii autem qui poſiti ſunt in inſidijs, pontem celeriter detorquent, alij magna celeritate uicinis proximis uicis elephantos incluſos denunciant: quo intellecto,

tellecto, ij in fortiſsimos quoſque cicures elephantos aſcendentes, accedere contendunt: neq; tamen ſtatim ut eò acceſſerunt, cum feris pugnam committunt, ſed eas primum aliquandiu fame & ſiti frangunt, deinde cum iam ijs infirmioribus & afflictis certamen inſtituunt, ac feros ſiti fameq; confectos cicures expugnant, ac homines ex elephantis deſilientes, primo compedibus defatigatos deuinciunt, poſt uero cicures incitant, ut feros uſque uerberent dum in terram procubuerint: tum ipſis laqueos ad terram abiectis in collum inſerunt, in eosq; humi ſtratos aſcendunt, & ne ſeſſores excutiant, eorum collum acuto enſe in orbem incidunt, & ad ſecturam funem alligant, ut ob doloris ſenſum uinculis concedant, & ex feritate conquieſcãt: eorum autem qui ſunt ætate uel infirma, uel exacta dimittũt, reliquos in ſtabula abducunt, eosq; primum pedibus colligatis, & collo ad columnã adſtricto fame domant, deinde aut herba, aut frondeſcenti harundine paſcunt. Hi moleſtia afflicti, pabula recuſant ſumere: at enim cantibus & tympanis eos demulcent, & deliniunt, atque ex immanitate ad tantam humanitatem transferunt, ut ſeſſores ſuos excuſſos contra uim hoſtium tutati ſint, & ſeſe pro illis in mortem obiecerint. Si quem, iracũdia permoti, ex ſuis procuratoribus occiderint, tam ualde illum deſiderãt, ut mœrore conficiãtur, interdumq; inedia cõſumantur. Iam porrò ad hanc rationem cum elephantis Aethiopes pugnant; Ex proceriſsimis arboribus

elephantorum introitus atque exitus obſeruant, non in multos uno eodemq; tempore inuadunt, ſed in ſingulos tantum magno robore animi inſiliunt: nimirū ſpeculator caudam beluæ appropinquantis ad arborem, in quam abditus is latet, deſiliens, manibus comprehendit, pedesq; ad dextrum femur obijciens, ſecuri, quæ ex humero pendet, expedita & acuta, dextri poplitis neruos ſuccidit: in quo certamine utriuſq; ſalus periclitatur. Interdum elephantus inciſis neruis in ſauciam partem procumbens, Aethiopem ſecum in terram abijcit, atq; interficit: Interdum ſuo pondere hominem ad arborem aut ſaxum allidens, occidit: ac nimirum nonnulli elephanti dolore preſsi, quando inſidias facienti nocere non queunt, ſeſe tandiu in fugam impellunt, dum crebro ſecuris ictu decumbunt: tum ad terram ſtratorum poſteriores partes incolæ uicini comedunt. Si elephantus feritate effertur, ſtatim ad arietis conſpectum manſueſcit. Qui ad elephātos adeunt, ſplendidā ueſtem idcirco non ferunt, necq; puniceam qui ad tauros appropinquant, quòd ſanè huiuſmodi animalia conſtet ijs coloribus efferari.

De elephanto Albo Indico. CAP. VIII.

CVm Indus quiſpiam elephanti album pullum offendiſſet, atq; hunc etiam nunc tenerum aluiſſet, & paulatim mā ſuefeciſſet, eoq; deinde ueheretur, & beluam amaret, & uicisſim redamaretur ipſe, ac ſimul ſuam elephantus educationem, cum maximis amicitiæ officijs, huic Indo compenſaret: Indorum rex

rex id intelligens, muneri popoſcit ſibi elephantum mitti. Is ut uehementi riualitate flagrans, amatoriè dolebat, ſi hunc alius quàm ipſe eſſet habiturus. Itaque negans ſe daturum, unà cum elephanto in deſertiſſimam regionem perfugit. Rex autem id ægrè ferens, ad eum inſequendum miſit, qui Indo auferrent, ſimul & illum comprehenſum ad pœnam reducerēt. Cum eò ueniſſent, ubi erant transfugæ, comprehendereq́ꝫ aggreſsi fuiſſent: ex ſuperiori loco lapidibus eos homo appetebat, pariterq́ꝫ elephantus, ut iniuria inſigni accepta, illorum impetum repellebat. Vbi Indus lapidatione facta percuſſus, de loco, unde ſe defendebat, præceps deiectus fuiſſet, elephantus hominum more acerrimè ſe tuentium, pro ſuo nutricio cum propugnauit, tum uero ex inuadētibus partim occidit, partim in fugam impulit: tum altorem ſuum promuſcide circumplexus, ad ſtabula inuexit, ac tanquàm amicus permanſit fidelis amico, beneuolentiã oſtendens, qua admirabili ſuum educatorem proſequebatur. O ſceleratos homines, grande illud ſophos inter pocula iactantes, uirtutemq́ꝫ crebro ſermone paſsim inculcantes, nomenq́ꝫ amicitiæ, plenum uerborum, inane rerum temere anhelantes, in periculis autem amicorum deſertores.

Quid agant elephanti creſcente luna. CAP. IX.

AB interlunio recreſcente luna, elephantos intelligo quadam naturæ recondita notione, ex ſylua

primum,ubi paſcuntur,ramos decerpere,eosq́ꝫ deinde ſublimes ferre,tum uero ipſos ad lunam ſuſpicere, ac leuiter ramos mouere, tanquam ſupplicationem quandam lunæ prætēdentes,eis ipſa ut propitia exiſtere uelit.

Quales elephantos Indi capiant. CAP. X.

INdi homines, licet permulti & magna machinati, nō elephantos iam ætate procedente cōfirmatos facile comprehēdere queūt. Quare ad loca fluminibus proxima,uenatores profecti,eorum catulos tantū capiunt. Elephantorum enim naturæ proprium eſt, roſcida loca & paluſtria amare, & amnes amplecti, ubi uerſari maxime ſtudent. Vnde etſi fluuiatiles non ſunt,tamen riparios dicere poſſumus. Cum igitur eorum catulos,adhuc ætate infirmos, & teneros inde ceperunt,ciborum blanditijs & aſſentationibus eos ad parendum informant, ac inſtituunt, blandiloquentiáq́ꝫ manſuefaciunt: Hominum enim indigenarum linguam elephanti intelligunt. Breuiter perinde illos quaſi infantes pueros alunt,partim cibaria eis largiētes, partim diſciplinas tradentes: quæ res efficit, ipſi ut ad obediendi facilitatem transferantur, & exuta feritate,humanitatem induant.

Quēadmodū arbores euertunt elephanti. CAP. II.

CVm ab Indis hominibus arborem elephanti radicitus extrahere coguntur, nō prius ad eam extirpandam aggrediuntur,quàm quatefecerint,ac tremefecerint arborem: ſic periclitantes, euerti ne poſſit, an omnino

an omnino inuictam ab impetu ſit ſe preſtatura.

De elephantorum ſapientia. CAP. XII.

SI elephanti ſapienter factum præterirem, me quis, cum ſit auditu dignum, inſcitiæ condemnare merito poſſit. Cum is qui hordeum huic admetiēdi procurationem habebat, hordei partem ſubtraxiſſet: illiusq́ in locum lapidibus ſuppoſitis, ipſi debitā tamē menſuram cumulate ſeruaſſet, ut dominum utriuſq́, ſi quando uidiſſet, falleret: Elephantus uidēs eum qui ſibi debitum fraudabat, polenta coquere: primū promuſcide ſabulū collegit, deinde in ꝑllam infudit, ſicq́ ſolerter iniurijs, iniurias ſibi illatas ultus eſt.

GILLII ACCESSIO. CAP. XIII.

PLutarchus narrat, ex permultis elephantis, qui Romæ erudiebantur, unum ad diſcendū tardiſſimum, cum ſæpe uerberaretur, uiſum fuiſſe ad lunam noctu, id ad quod docebat̄, ſecū reputare, & exercere. Idemq́ affert, Romæ etiā elephantum ex pueris, qui promuſcidem ſtilis pupugiſſent, unū ſublimem corripuiſſe, ut ſtatim eum in ſublime, quantū maxime poſſet, iacularet̄. At enim ſublato eorū qui aderāt clamore, ſenſim & moderate rurſus humi depoſuiſſe, exiſtimantē tāto metu iniecto, ſatis illū pœnarū pepēdiſſe.

De Libycorum expeditione contra elephantos. CAP. XIIII.

LIbyci homines bellum finitimis de finibus propagandis, non modo inferunt, ſed cum elephantis etiam de horum dentibus aſſequēdis, ſuſcipiūt. Hanc

enim cauſam cur petantur elephanti, prænoſcentes, ex ſeſe qui dente inutili ſunt, ante cæteros reliquos, in prima acie conſtituũt, ad primum hoſtium impetum ſine magna iactura excipiendum: reliqui qui in ſubſidijs manent, dentium robore integri, auxilium feſsis ferunt: cum dentiũ altero, quem acutũ ad propulſandas iniurias ſeruant, tanq̃ armis utũtur, tum uero altero radices effodiunt, tum arbores extirpant.

De reuerentia elephantorum aduerſus ſenes elephantos. CAP. XV.

EX omnibus legibus humaniſsimam iudico, qua Lycurgus præcipit, natu grãdibus minores, cum uel de ſedibus, uel de uia decedere debere, tum uero eiſdem reuerentia aduerſus ætatem, quam ut aſſequantur omnes expetunt, aſſurgere oportere. Elephantorum genus à principio hoc idem ſolo naturæ ductu, ſine Lycurgi, aut Solonis, aut Zaleuci Charondæue præceptione, ſanctiſsime obſeruant. Aetate affectis nimirum iuniores de legitimo cibo cedunt, eoſdemq́ſumma & obſeruantia colunt, & à periculis ſeruant. In foſſam delapſos, iniectis fruticum faſcibus ſubtrahunt, quibus tanquã ſcalis ſenectute graues aſcendentes, liberantur.

De amore elephantorum erga filios ſuos. CAP. XVI.

ELephantorum flumen tranſmittentium minores natu ſeſe traijciunt primi: hi uero qui ſunt confirmata ætate iam grandes, fluctibus obruuntur, duntaxat pro

xat promuſcidibus extra aquam eminentes, teneros uero pullos dentium proiectorum eminentia matres ferunt, ac ſimul tanquam uinculo promuſcide illos complectentes, tranſuehunt: tum iuniores, uel labores, uel pericula ſuſcipiunt, & antecedentibus ætate, de cibo & potione concedunt, propter obſeruantiam per quam cultu quodam, & honore natu maiores dignandos exiſtimant. Nunquam enim neque ex ſenectute infirmũ, neq; eum qui morbo teneatur, ſui gregales deſerunt: ſed & fidiſsimi ei permanent, eiusq; cum cæteris in rebus ſtudent incolumitati, tum uero etiamſi ipſi inſectatione urgeantur, pro eo propugnant, & ſaucios, & feſſos curant, ac integri, à uulneribus haſtas, & iacula è corpore ſauciorum, tanquam chirurgi periti extrahunt, ut ne homines quidem ſcientius. Pullos ſuos, adhuc à partu recentes, nunquam deſerunt: at ſanè in illis à periculo tuendis conſtantiſsime permanent, priusq; animam amittunt, quàm ſuos catulos deſerant. Nobis pueris uetula, cui Lænilla nomen erat, non ſolum nobilis mulier, ſed etiam nota apud omnes erat, deq; ea fabulam ex ſenibus audiui tum peruagari, illam cum ſeruo, quem ardentiſsime adamaret, ſtupri conſuetudinẽ habuiſſe, & ſuorum flagitiorum maculis liberos ſuos affeciſſe: hi enim ex ordine ſenatorio erant, & iam inde à patre, atq; maioribus ſtirpem generis patritij trahebãt. Itaq; dolore ex maternis ſtupris tabeſcentes, eam cum leniſsime ſubmonuiſſent, ac maxime clam facinoris tur

pitudinem oſtendiſſent: hæc porrò libidine flagrans, ſimul & ex ea tantū efferata, ut liberis proprijs amorem ſuum anteferret: filiorum nomina apud principem detulit, ab eis inſidias ſibi factas dicens. Is autem ſuſpitioſus & timidus, qui tum imperator erat, calumnijs aures facile patefacere ſolitus, eiuſmodi ſcelus ab ingenuorum hominum cogitatione alienum facile credidit. Ita factum eſt, ut filij qui nefarium facinus nullum admiſiſſent, indigniſsime necarentur: mater hanc ex delatione mercedem aſſequeretur, ut cum ſeruo licentius ſtuprum facere poſſet. Quid igitur aut Medæam, aut Procnen Atticam hic commemorem neceſſe eſt, cum memoriæ noſtre exempla immanitatis proferre queamus.

De amore elephantorum erga dominos ſuos. CAP. XVII.

CVm Porus Indorum rex, in prælio, quod cum Alexandro commiſerat, multis telis confixus eſſet: elephantus quo uehebatur, etſi ſanè multis etiā ipſe ſagittis uulneratus erat, defixa tamen in corpore Pori tela, leniter & caute promuſcide extrahere non prius deſtitit, quàm dominum intellexiſſet, ex redundanti ſanguinis profuſione, debilitari, & euaneſcere. Itaq; leniter et ſenſim ſe inflexit, ut ne ex alto decidēs, Pori corpus graui caſu affligeretur magis. Cum autē Pyrrhus Epyrotaurum rex ad Argos occubuiſſet, in eo conflictu elephantus fuit, qui ſeſſorem ſuum tantopere amaret, ut non prius, quanuis auriga iam cecidiſſet,

cidiſſet,currere omiſerit, quàm ſuum nutritiũ ex hoſtibus & ſeruaſſet,& intra fines amicos reportaſſet.

De elephanto mulieris amatore. CAP. XVIII.

IN Antiochia Syriæ urbe audio cicurẽ elephãtum fuiſſe,huncq; dum ad paſtiones iret,mulierem corollas uendentem cum quàm ſuauiſsime adſpexiſſe, tum uero etiam quàm libentiſsime in illius cõſpectu acquieuiſſe, atque huius faciem promuſcide terſiſſe, ſuauiterq; contrectando illi blanditum fuiſſe: Mulierem uiciſsim ex ſuo artificio illecebras amatorias, corollas uidelicet ad tempus ita cõtexuiſſe, ut cotidie illi quidem ſumere operæpretium, huic uero etiam opus largiri eſſet. Poſtea autem quàm mulier exceſsit è uita,elephantus nec priſtinæ conſuetudinis cõpos, nec quam amaret amplius mulierem uidens, tanquã amans qui amaſiam amiſerit,ſic eam deſiderabat, animoq; incitabatur,ac qui antè mãſuetus fuiſſet, humanitate expulſa,feritatem induebat,tanquamq; homines ex triſtitia, ac mœrore laborãtes de poteſtate animi exeunt,ſic is furẽs ferebatur. Mulieris forma hoc animal capitur,atq; hebeſcens ad eius pulchritudinẽ, remittit furorẽ animi ſui. Riualem uero fuiſſe in urbe Alexandria elephantum ferunt Ariſtophanis Byzantini,de quadã muliere coronas texente. Omnia bene olentia amat,unguentorũ & florũ odore permulcẽt.

De religione elephantorum. CAP. XIX.

EXorientem ſolem elephanti uenerantur,promuſcidem, tanquam manum aduerſus ſolis radios

alleuãtes. Itaq; hos ei charos eſſe & egregie diligi philopator Ptolemæus teſtis eſt nobis locuples. Is ſanè poſt partam uictoriam eius belli quod cum Antiocho geſsiſſet, cum quàm gratiſsimus aduerſus ſolem, quem deum exiſtimabat, eſſe uellet, proq; uictoria ei gratias perſolueret, tum alia magnifica ſacrificia fecit, tum uero quatuor elephantos, bene magnitudine grandes, exiſtimans ſe ſic deum religioſe colere, primum immolauit: deinde cum in ſomnijs minis dei perculſus fuiſſet, ob inuiſam numini talem hoſtiam, religionis metu permotus, pro immolatis ex ære quatuor elephantes in honorem ſolis excitauit: hoc ut ſupplici facto hunc ſibi placatum efficeret. Ergóne deum elephanti uenerantur? homines autem rationis participes, ſitne deus necne ſit, dubitant: tum ſi ſit, humanasne res curatione, & adminiſtratione dignetur.

Quemadmodum contra inſidias elephanti ſe gerunt. CAP. XX.

INſidiæ quas elephantis uenatores inſtruxerint, non eos facile latent. Nam cum ad foueam, quam contra ipſos ſuffodere uenatores ſolent, proximi acceſſerunt, ſeu naturali quadã intelligentia, ſeu retruſa & abdita præſenſione, & ſcientia rerum futurarũ, à ꝓgrediẽdo ulterius ſe ſuſtinẽt: ac quàm mox itinere cõuerſo, in uenatores inuadunt, uíq; & impreſsione, ſeſe in medios inſidiatores incitant, ſimul & eos euertere conanť, fuga ut ſalutẽ contra inſidias ſuperiores

facti adipiſcantur. Id igitur temporis cum atrox pugna, tum uero uel hominum, uel elephantorum cædes, & occiſio fit multiplex. Huius pugnæ ratio talis eſt: Homines quidem eminus haſtas & iacula intorquentes, ac collimantes, ictu directo eos feriunt. Contrà elephāti, ex hominibus ſi quem cecidiſſe animaduerterint, ſtatim uiolenter illum & corripiunt, & ad terram à ſe abiectum, proterunt, & conculcant: ſimul & cornibus (ſic enim eorum dentes appellantur) tandiu profligant, quoad miſerabili, & referta acerrimis doloribus morte, hunc proiectum affecerint. Cum autem huiuſcemodi animalia inuadunt, tanquam uela ex animi incitatione quàm contentisſime aures, quas habent patulas, intendunt, & pandunt more magnarum ſtruthionum, quæ uel dum fugiunt, uel dum inuadunt explicatis alis feruntur. Itemq́ promuſcidibus, ſub cornua redactis, & contractis, quemadmodum roſtra nauium plenisſimis uelis propulſa, ſic elephanti uehementi impresſione irruentes, multos mortales funditus euertunt. Tumq́ perinde ut tuba belli claſſicum ſonans, clamores uaſtisſimos edunt. Humi porrò proſtratorum, & genibus cōtritorū, & oſſium obtritorum, tantus eſt ſtrepitus, ut uel illinc longiſſime exaudiatur: nec non ſæpe eliſis oculis, naribus diſtractis, fronte diſrupta, facieiq́ forma amiſſa, non uel à proximis cognatione ſibi noſcuntur. Iam ex ijs nōnulli ad hunc modum inopinatò ſeruātur. Quanuis enim ſanè uenatorē beluæ curſus celeritate cōprehen

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

derit: præ tamen uehementi impetu, hunc traſcurrẽs, genibus in terram præcipitibus actis, cornua aut in radicem, aut in quippiam aliud tale compingit: ex quo retinetur, ac uix dum ſe retraxit, cum uenator elapſus iam ſalutem fuga eſt conſecutus. In hac igitur pugna, elephanti ſæpe uincunt, ſæpe item uarijs terroribus iniectis uincuntur. Tubarum enim clangor uaſtum clamorem efficit, ipſiq́ꝫ homines armis concrepantes, clypeos uidelicet haſtis cõtundentes, & ululatum tollentes, ſtrepitu undiqꝫ omnia circumſonare faciunt: tum uero partim in terra ignem incendentes, partim in ſublime tollentes, ac tanquam funda eum contorquentes, partim ignitos torres iaculantes, atque etiam longas faces in ferarum oculos magna ui inferentes, & intrudentes, eis hæc omnia ægre intuentibus, timorem afferunt. Vnde adeo impelluntur, exterrẽturq́ꝫ, ut interdum in foueam, quam antè declinabant, detrudantur, & compingantur.

Quemadmodum elephanti foſſas tranſeunt. CAP. XXI.

CVm elephanti foſſam tranſilire non queunt, de his unus aliquis in hanc ſeſe demittit, & tranſuerſus foſſæ ſtans, partim uacuitatẽ occupat, partim pontis ſe uicarium præſtat. Cæteri ſupra hunc gradientes tranſmittunt, & euadunt, ſimul & eum, qui pontis loco erat, hoc modo ex foſſa conſeruãt. Superiore enim ex loco quiſpiam porrigit pedem, quem is qui infra eſt promuſcide circumplicat, reliqui autem uirgultorum

rum faſces deijciũt,ad quos ille,cum fortiſsime, tum cautiſſime pedibus adnitens,celeri aſcenſu ſubtrahitur. Apud Indos tractus eſt, cui nomen eſt Phalacrus,quaſi latine caluus: eóq; ita appellatur, quòd qui herbam in eo naſcentem guſtauerit, & pilos & cornua amittit. Itaque elephanti, niſi cogantur, non accedunt ad locum illum, imò uerò prope cum acceſſerint,perinde atque homines prudentiſſimi, ab omni illius loci germine refugientes,pedem referũt.

De caſtitate & probitate elephantorum. CAP. XXII.

QVemadmodum moderate elephanti libidines contineant, explicare cõuenit. Ii igitur ab omni immoderata libidine caſtiſſimi ſunt. Nũquam enim, neque ut conſtupratores,neque ut item ualde laſciui ſocietatem ueneris cum fœmina faciũt, ſed tanquam generis ſucceſſione carentes, liberis procreãdis dant operam:ſic hi,eorum ſtirps ut ne deficiat, complexu ucnereo iunguntur: Neque id ſanè pluſquam ſemel in uita,& eo duntaxat tempore,cum ſe iniri fœminæ patiuntur. Vt autem eorum quiſq; uxorem impleuerit,non eam amplius attingit.Aperte porrò ac palam in aliorum oculis non coëunt,ſed ſecedentes,aut ſeſe in arbores denſas,& frequentes occultant,aut in concauum locum,& profundum ad occultãdos eos facultatem habentem, ſe abdunt. Iam quemadmodum malos aduerſentur,& ſceleratos deteſtentur, ſi cui eſt otiũ,attendat animum ad ea quæ cõſequunt.

Cum autem cicuris elephanti moderator, coniugem non illam quidem amabilem, ſed ſanè diuitem haberet, amoris oculos primum ad alteram aliam adiecit: deinde eam uxorem ducere ſtudēs, alteram priorem ſtrāgulauit, ac prope ab elephāti pręſepi homo præcipiti conſilio non defodit modò, ſed alteram quam amaret, in matrimonium duxit. Elephantus autem cum tanti facinoris conſcientia incitatus, tum uero ſuapte natura à malis abhorrens, nouam uxorem eò perduxit, ubi humata altera iaceret, cadauerq́ dentibus refodiens & denudans quæ dicere nequiret, ex ipſis operibus hæc mulieri oſtēdere conabatur: eam edocens, quibus eſſet moribus præditus is, cui ipſa nupſiſſet.

De partu elephantorum. CAP. XXIII.

ELephāti partus in caput procedit ad lucem. Partus magnitudo eſt inſtar integræ ætatis, & iuſtæ magnitudinis porci. Nec uero ſi quis hunc à partu recentem contigerit, matres indignātur. Plane enim noſcunt non animo quidem lædendi contrectari, ſed ad ludicram delectationem, & blanditias ſuſcipi, eſſeq́ hominis naturam ea excelſitate animi, ſuo ut partui adhuc tantillo incōmodare nollet. Poſtea autem quàm in foueam inciderunt, & ſe iam teneri ſentiunt, animaduertentes exitus locum nullum eis relictum eſſe, cum eos priſtini animi, tum libertatis capit obliuio: tum uero facile cibos ex largientibus ſumunt; tum ſi quis præbeat, libenter bibunt, atque

uinum

uinum ſi in promuſcides effundas, ſine recuſatione admittunt.

De charitate, & pietate elephantorum. CAP. XXIIII.

CVm alia pleraq; naturali quodã amoris habitu elephantos cum filijs ſuis conciliatos eſſe oſtendunt, tum uero maxime illa, quæ conſequitur naturæ commendatio ad amorem uehemens declarat, quanta eorum quæ procrearint charitate teneantur. Horum uenatores caueas inſtruunt, in quas cum animalia incidunt, ex his partim capiuntur, partim tolluntur. Huius uero foſſæ faciendæ quæ ſit ratio, aliâs dicam. Nunc pergo explicare, quàm in genere elephantorum matres charos pullos ſuos habeant. Cum enim in foueam pullum ſuum incidiſſe mater perſpexiſſet, ne minimam quidem moram interpoſuit, nec eius curſum ulla ad pullum conſequendum ſegnitia tardauit, quin uehementi dolore affecta, quanto maximo poſſet incitato incurſu, in delapſum filium præceps ageretur, amboq; eodem caſu morte occumberent: hæc quidem materno pondere preſſus contereretur: illa ſanè præcipitata, caput diffringeret. Riſu igitur obruendi, qui utrum naturalis ſit, nec ne, amor parentum in filios, dubitant.

De eorum intellectu, & quòd pericula ſua intelligunt. CAP. XXV.

ANni æſtiui tempore cum calor à ſole intendi‐tur, & æſtus ingraueſcit, tum elephanti ad calorem frangendum inter ſe craſſo perfundũtur cœno, quo partim uim caloris depellant, partim uel umbroſis ſpeluncis, uel arboribus quæ ramorum frequentia eos opacare poſsint, refrigerentur, tum etiam ſagaciſsime odorantur, tum acerrimis ſenſibus exiſtunt, tum uero ex his, partim antegredientes, partim ſubſequentes, ordinatim eunt, atque horum primus narium ſagacitate, herbam ante pedes ſuos poſitam ſentiens humanis ueſtigijs eſſe tranſitam, eam euellit, & ei, qui à tergo proximus eſt, odorandam tradit: is rurſus alteri, qui poſt eum ſtat: ac deinceps per omnium quaſi manus ſagaciter cõtrectatur, quoad ad illum ipſum qui extremum agmen ducit peruentum fuerit: is ſimulac olfecerit, barritum uaſtum edens, quaſi ſignum ad fugam dat. Hi tunc in conualles profundas, aut in loca concaua & paluſtria, uel ſi minus id concedatur, in nemoroſa campeſtria, ab eo loco iter auertunt, prorſusq́ ſe totos auertunt ab his locis, quacunque frequentes homines iter facere ſolent: quòd ab hominibus ut animalibus ſibi infeſtiſſimis, timeant. Cum eos cætera pabula defecerint, radices effodiunt, quibus paſcuntur. E quibus primus qui aliquam prædam repererit, regreditur, ut & ſuos gregales aduocet, & in prædæ communionem deducat.

De amore elephantorum. CAP. XXVI.

Eleph

ELephantum quanuis raro amare ferunt, quoniã, ut antè dictum eſt,libidinum moderatione temperatus ſit: tamen ipſe illud admirabile,amore plenum audiui, quod conſequitur: Vir uenandi elephantos haud imperitus,ſcribit ſe,cum ab Imperatore Romano cum poteſtate in Mauritaniam ad uenandos elephantos allegatus eſſet,ex elephantino genere adoleſcentem formoſam uidiſſe,coeuntem cum elephanto, & adoleſcente, & pulchro: alterum uero ſeniorem, quia huius ſiue amator ſiue maritus eſſet, ut ſe ſpretum,ignominiæ loco hoc tuliſſe: quare acriter animo incitatũ impetũ feciſſe, ut nihil proprius factum fuerit,quàm nos,inquit,omnes perderet,ſicq́; incurriſſe in illum formoſum riualẽ ſuum, pugnamq́; edidiſſe tanquam eum, qui de amica ſibi erepta, doloribus acerrimis premitur: adeoq́; infeſtis animis utrunque cum altero pugnam commiſiſſe, ut ex impetu cornibus ambo mutilarentur. Neutrum ideo non uiciſſe, quòd multa uerberatione eos uenatores diſtraxerint. Poſtea autem quàm amiſsis armis in poſterum inutiles ad conferendam quaſi manum inter ſe facti eſſent,riualitatem amantium conquieuiſſe.

Quemadmodum manſueſiant elephanti. CAP. XXVII.

QVid elephantis, poſtquàm capti ſunt faciant, ut manſueſcant, dicendum eſt. Primo in ſyluam non ita longo interuallo ab ea foſſa, ubi compre-

henſi fuerint, diſtantem, ſic eos ſtrictè conſtrictos funibus trahunt, ut ne permittant quidem, néue hi præcurrant, néue rurſus retrahantur: deinde certo & dimenſo ſpatio horum quenque ad maximam arborem alligantes, ut neu in anteriorem partem inſilire, neu rurſus admodum in poſteriorem reſilire queant, néue ipſis ex funis laxitate facultas ſit ad inferendum iniuriam, uictus tenuitate & fame, horum robur frangunt. Poſtea uero quàm eorum domitores duritiam animi tandiu paulatim molliuerunt, quoad priſtinæ inexpugnabilis feritatis eos ceperit obliuio, de manu cibum ſumendum dant. Hi neceſsitate preſsi, cum non malitioſe iam, tum uero hilarioribus oculis, & manſuetioribus, quàm eſſent ſoliti, intuentur. Horum autem, qui ſunt ætate robuſti, uinculis ruptis, cum dentium robore, tum uero promuſcide arbores reuellunt, & frangunt, uixq; ſero admodum, partim fame, partim ciborum illecebris, partim uerberibus manſueſiunt. Vt uero cicures euaſerunt, panibus maximis, hordeo, caricis, uuis, cæpis, allijs, iunco, palma, hederaceis folijs, ueſcuntur.

Quemadmodum amant conſuetam terram elephanti. CAP. XXVIII.

ABſtracti à ſuis elephanti ſedibus patrijs, quãuis uinculis primum & fame, deinde uarijs cibariorum

riorum blandimentis manſuefacti ſint, tanta tamen naturalis ſoli illecebra tenentur, ut patriæ memoria eis obſcurari & euaneſcere nequeat. Quare cum horum pleriq; grauiſſimo mœrore ſuſcepto conficiunt: tum uero quidam ex his, uberrime flentes, tantam lachrymarum uim profundunt, ut oculorum ſenſibus capiantur. In naueis autē immittuntur, ponte utrinq; ramis frondeſcentibus adumbrato, ad fallēda huiuſcemodi animalia, hoc enim ipſum cum uident, ſe per terram, quia eis hæc mare uidendi facultatem adimāt, etiam nunc iter facere arbitrantur.

Quemadmodum elephantorum uulnera Indi ſanant. CAP. XXIX.

EOrum quos ceperint Indi elephantorum uulneribus ad hunc modum medicinā afferunt. Aqua primum tepida hæc alluunt. Deinde ſi hæc ipſa luculenter ſint alta, butyro ungunt, poſtea inflammationem leniunt, ſuillam carnem recenti ſanguine madentem & calidam admouentes. Oculorum morbos ad hanc rationem ſanant, ut Bubulum lac tepefactum infundant, quo hi remedio oculos aperiūt, & magno cum uoluptatis ſenſu ſicut homines, uim medicinæ agnoſcunt. Cæteris quibus tentantur morbis, uinum nigrum medetur. Quòd ſi hac medicina ex morbo non liberantur, inſanabiles ſunt.

Differentia cibi elephantorum gregariorum, & certamini deſtinatorum. CAP. XXX.

ELephantus quidem gregarius aſſuefactus, aquæ utitur potione. Ei uero qui ad bellum certat, non modo ex uitibus confecti, ſed etiam ex oryza factitij uini uſus indulgetur: ſimul & flores eis dantur, atque in prata ad legendos flores, quia ſuauitatem odorum amplexentur, aguntur: ipſo enim odoratu flores internoſcentes colligunt, atque etiam hos lectos in calathum inferunt, quem eorum rector ſuſtinet. Poſtquã hunc floribus compleuerint, tanquam uindemia facta, lauatione ſimiliter atque homines lauti delectantur: Vt uero ea uſi reuerterint, eò ubi quaſſillũ floribus plenũ reliquerint, expetunt. Quod ſi rector afferre tardauerit, barritum edunt, neque prius cibum ſumunt, quàm eis quiſpiã quos collegerint flores attulerit, eos allatos de quaſsillo tollentes ſui præſepis labra ornant. Hanc nimirum cibo ſuauitatem ex his bene olentibus comparãtes, ſtabulum ubi diuerſantur, floribus permultis ſternunt.

De magnitudine elephantorum. CAP. XXXI.

INdici elephanti nouem cubitorum altitudine, latitudine uero quinqꝫ, habẽtur. Maximi illic qui Praſij appellantur. Secundi uero ab his exiſtimantur Taxilæ nuncupati. Militaris elephantus dorſo ſuo uel nudo tres bellatores fert, alterum dextra, alterum ſiniſtra pugnantem, tertium retro uerſus bellantem: ac ſimul quartum, manibus moderamina tenentẽ. Sicqꝫ illis beluam dirigentem, tanquam nauem clauo nauicularium, reiqꝫ nauticæ peritum.

De aſtantibus

De aſtantibus elephantis Indorum regi.
CAP. XXXII.

ELephantus Indorum regem ad forum euntem, primus adorat. Huic præeſt rector, qui illũ huius inſtituti commonefacit, ipſiq; memoriam diſciplinæ inſtrumẽti quo illum moderatur pulſu, atq; uoce Indorum propria renouat, cuius natura quadam admirabili recondita elephanti intelligẽtes ſunt: tum etiam motus quoſdam bellicos edit, uelut oſtendens, quòd hanc etiam diſciplinam ſeruat. Viginti quatuor elephanti huic regi permanẽt cuſtodes alternis uigilijs, alij alijs in ſtationẽ ſuccedẽtes tanquã cæteri cuſtodes homines. Sapientia item quadam Indica ad uigiliarũ diſciplinam erudiuntur, ne inter cuſtodias ſomnum capiant. Hi igitur ad uigilias agendas præſtantiſſimi excubitores, & à ſomno inuictiſſimi, & ſecundum homines fidiſſimi illic ſunt.

De elephantorum cum ſuibus diſſidio.
CAP. XXXIII.

ELephantum à ſuillo pecore timere mox dicam, nunc explicare placet quod ad Megaram accidit: Cum ab Antipatro Megarenſes circumſederentur, acerrimeq; Macedones incumberent, primo in ſues pice oblitos incendium Megarei excitarunt, deinde ſic incenſos in hoſtes immiſerunt. Ii itaq; furore inflãmati, cum in elephantorum agmina incurrerũt, tum clamantes, nempe igni flagrantes, quaſi quibuſdam furijs elephantos incitarunt, & grauiter perturbarũt:

hi enim nullum neque ordinem tenebant, neq; amplius, quanuis à primo ætatis tempore domiti fuiſſent, manſuefacti erant: ſiue quòd ſua quadam recondita natura à ſuillo pecore longe abhorreant, grauiq; in id odio ſint: ſiue etiam quia horum abſonum uocis acumen perhorreant. Cuius rei non ignari educatores generis elephātini, unà cum ſuibus pullos alunt, ex conſuetudine eos ut minus horreant. Sic Romanos (quoniam non cornua modò arietis, ſed etiam ſuilli pecoris grunnitum oderunt) Pyrrhi Epirotarū regis elephantos in fugam uertiſſe homines dicunt, uictoriamq; amplam ex eo bello retuliſſe.

De fortitudine elephantorum. CAP. XXXIIII.

INdorum regem hoſtibus bellum inferentem, bellatorum triginta milia elephantorum antecedunt: tum uero maximorum & fortiſſimorum tria milia ſubſequuntur, ad hoſtiles muros ipſo incurſu euertendos inſtitutorum: cum enim rex iubet, euertunt. Idq; ſe audiuiſſe Cteſias ſcribit: idemq; Babylone ſe uidiſſe dicit, palmas ab his ad moderatoris ſui iuſſum uiolentiſſimo impetu extirpatas.

De memoria & fide elephantorum. CAP. XXXV.

VAriam & multiplicem elephantorum naturam antè dixi. Nūc quàm memoria ſint bona quāq; diligenter præceptum officij aduerſus præcipientes teneant, quàm ſimul eorum qui quippiam eis committunt, uel expectationem uel fidem nō fallant, explicādum eſt. Cum Antigonus Megarenſem urbem obſideret,

obſideret, mulier ſimul cum uno de elephantis bellatoribus uerſabatur: hæc enim illius qui elephantum aleret uxor, infantē puerum pepererat, quem huic elephanto, lingua utens Indica, quam elephanti intelligunt, credidit. Vt uero is primum ſibi creditus eſt, illum diligebat, & cuſtodiebat, ex eoq́ proxime adiacenti magnam uoluptatem capiebat: cum ploraret, oculos tum auertebat, tum uero ab eo dormiente muſcas abigebat: Arundines ei pro pabulo obijciebantur, quas, & omnem cibum, niſi puer adeſſet reijciebat. Nutrix igitur neceſſe habebat poſtea quàm eum lacte compleuiſſet, elephāto curatori apponere, uel omnino elephantus non parum iracūdia incitabatur, ac nonnunquam in uerbera erumpebat. Interdū etiam cum uagiret infans, cunas ubi iaceret mouebat: ſicq́ eidem ipſi ex hoc motu oblectamenta & ſolatia, ſicut nutrix, afferri ſtudebat.

De odio elephanti in adulteros. CA. XXXVI.

OBtrectationem ac riualitatem uehementem diuerſorum animalium porphyrionis, canis, & ciconiæ diximus ſuis locis. Nunc mihi exponendum uidetur elephanti odium in eos qui cum alienis uxoribus ſtuprum faciant: Nam cum uxorem ſui domitoris & altoris ſtuprari manifeſtò deprehendiſſet, ambos, & eum qui ſtuprum inferebat, & eam qua cum id faciebat cornibus transfigens, interfecit, ac in ſtragulis conſtupratis, & lecto adulterato iacentes reliquit. Vt uerò primum elephāti rector ueniſſet, & ma-

niſeſtò nefarium facinus, & huius uindicem cognouit. Hoc quidem factum, ab India huc ad nos manauit. At Romæ aliud ſimile eueniſſe audio: præterquā quòd addunt, ibi elephantum non utrunque modò occidiſſe, ſed & ſtragula ueſte eos texiſſe, & nutritio aduenienti ſtragulam reieciſſe, & retexiſſe, & proxime inter ſe iacentes demonſtraſſe. Ita ille tum facile iniuriam illatam ſibi fuiſſe intellexit, tum etiam maxime facinus ei liquebat, ubi cornu quo ipſos confixiſſet, cruentum perſpexit.

De fuga elephantorum, atq; ut ſint leonibus formidabiles. CAP. XXXVII.

CVm à uenatoribus elephanti, tanquam milites in bello, funduntur & fugantur, non alij ab alijs ſeparatim, ſed omnes ſimul & communiter in fugam ſe dant, ac ſimul inter ſe prementes ad gregales ſuos adhæreſcunt. Horum autem qui iam ſunt firmata & integra ætate, reliquos ſic circuncludunt, tanquam pugnaciſsimi propugnatores totum agmen circummuniunt: qui uero longius ſunt ætate prouecti, atque matres ſub ſe quæq; ſuos pullos ita occultantes, perraro hi paruuli ut uideantur, ſubtermedium obtinent locum. Quòd ſi hos ipſos ſic frequentes coactos leones perſpiciant, alij aliò in fugam tanquam hinnuli, ab elephantis ſibi incredibiliter timentes, ſeſe in fugam conijciunt: & tametſi antea formidabiles, maximos terrores adferebant, & uel ſolo conſpectu denuntiabant, ex horum tamen aſpectione exterrentur.

Nunquam uero elephantus ab reliquorum agmine ſecernitur, niſi aut filiorum ſuorum aut ægrotantium cauſa: pro his nimirum nihil non moliens inexpugnabilis manet. Contra omnium ferarum uenena remedium eſt elephanti adeps, quo ſi quis inungatur & nudus cõtra efferatiſsimas beſtias procedat, illeſus diſcedet. Arietis autẽ cornua & ſuis grunnitũ horreſcit.

De humatione elephantorum. CAP. XXXVIII.

VT Aethiopum ſermonibus, græcanico faſtu carentibus peruagatum eſt, elephantus, cum alterum perſpexerit mortuum, non præterit, quin humum promuſcide hauſtam, uelut ſanctam & myſticã inijciat, communem naturam miſeratus mortuo parentans, ut ne aliquid impie committat: nam hoc quidem ipſum nõ agere, execrabile ducit. Quare ad hoc nefarium ſcelus uitandum, ſatis eſt ei uel ramum inijcere, quo facto, abit, communem omnium finem non aſpernatus. Tum etiam ad nos is ſermo permanauit, Elephantos cum ex uulnere, ſiue id in bello, ſiue in uenatione acceperint, uicini ſunt ad moriẽdum, aut obuiam herbam, aut fortuito obiectum puluerem alleuantes, in cœlum ſuſpicere, eumq́ puluerem, herbámue iacere, & ſimul uoce ſua propria lamentari, & miſerabiliter ſupplicare, tanquã deum ob ea quæ iniuſte, & indigne ſuſtinent, obteſtantes.

Quæ pars elephanti eſui apta. CAP. XXXIX.

IN elephanto tametſi maxima corporis moles eſſe uidetur, ex eo tamen nihil eſculentum eſt, niſi pro-

muſcis, & labra, & cornuum medulla. Eius animalis adeps, contra uenenata ualet. Nam ſi quis eo inungatur, eiúsue ſuffimento expietur, hęc ab illo aufugiunt longiſsime. Duplici tum corde, tum ſenſu animi elephantus eſſe dicitur, & altero quidem ira incēdi, altero mitigari & leniri Maurorum ſermonibus peruagatum eſt.

De Indiæ elephantis. CAP. XL.

SI Indicus elephantus robore ætatis confirmatus capiatur, ex feritate ægre traducitur ad manſuetudinem: & quod deſiderio libertatis teneatur ideo cædes facit: ac ſi uinculis deuinciatur & conſtringatur, magis incitatur animo, neque ullam ſeruitutem perpetitur. At enim Indi uarijs & multiplicibus cibariorum illecebris eum delinire ſtudent: illi tamen nihil de acerbitate ſua remittentes, nihilq́ ab ijs blanditijs miteſcens, ijs præclare contemptis, pergit ijſdem infeſtus eſſe. Quid igitur ij comminiſcuntur & machinantur? Inſtrumento quodam muſico uernaculam cantiunculã ei canunt, is animum attendit, auremq́ ad audiendum erigit, & ſuauitate illius demulcetur: animi incitatio comprimitur. Tum paulatim in obiectum cibum reſpicit, & tametſi omnibus uinculis exoluitur, tamen cantu deuinctus, non amplius ad priſtinos mores à manſuetudine deficit.

Vtra maris an fœmine cornua in genere elephantorum pretioſiora ſint. CAP. XLI.

Ex ele

EX elephãtino genere cornua fœminæ maius pretium, quàm maris habere, ab huiuſcemodi rerum ſcientia inſtructi, & prædicant, & illa nos docent, nimirum in Mauritania quemadmodũ quotannis ceruis, ſic decimo quoq; anno cornua elephantis excidere ſolere. Itaq; hi in cornua incumbentes, uſq; adeo ea impellunt & defigunt in terram expoſitam in planiciem, quo ad illa ipſa occultauerint. Nam præ cæteris camporum patentium æquora & paluſtria amant. Deinde locum in quem abſtruſerunt & repoſuerunt eiuſmodi theſaurum pedibus exæquant & complanant. Terra autem quod ſit feraciſſima, poſt paulum herbam proferens, abditorum cornuum aſpectum, uiatoribus adumbrat. Eorum perueſtigatores qui ſane ad illorum inſidias, & aſtus prudẽtes ſunt, in eum locum in quem cornua defoſſa ſuſpicantur, utribus aquam deportant, & uero alium aliò ex utribus diſpertiunt & diſponunt, atque ibi commorãtur. Alius quidam dormiens, alius potans, alius cantiunculam canens, ſuos amores meditatur. Quod ſi cornua ſint alicubi propè defoſſa, quadam mirabili illecebra ex uteribus ſic aquam eliciunt, ut uaſa exiccent & exinaniant. Ii autem qui cornua exquirunt, ſtatim ſine canibus ſagaciſſime prædam odorati, locum illũ perfodiunt, & optatum conſequuntur: ſi uero utres permanſerint pleni, eos inde transferentes, aliò ſe conferunt.

De elephanti Taprobanæ inſulæ. CAP. XLII.

IN magni maris inſula Taprobanæ, palmita in ordinem ſic mirifire plantantur, quemadmodum in elaboratis hortis opacantes arbores ſerũtur. Itemq; permultorum & ualde grandium elephantorum paſtiones in ea inſula uigent. Ac nimirum hi inſulani elephãti, animi robore, & uirtutis indole, & corporis magnitudine, eis qui in continenti degunt, præſtãtiores exiſtimantur, eos magnis nauibus in cõtinentẽ tranſportantes Calingarum regi uendunt.

De inimicitijs elephantorum cum draconibus. CAP. XLIII.

APud Indos, ſicut audio, graueis inter ſe gerunt inimicitias draco & elephantus. Quare dracones haud inſcij imperitiq;, ex arboribus elephantos ramos decerpere in paſtus ſuos ſolere: in has ipſas arbores primo ſerpunt, poſtea eam ſui corporis partem dimidiam quæ ad caudam pertinet, arborum folijs circuntegunt, alteram partem anteriorem funiculi inſtar appenſam demittunt: eò cum acceſsit elephantus ad arboris cacumina colligẽda, draco in huius ipſius oculos inſiliens effodit, & conſtrictum tenens, inuſitato & nouo quodam laqueo ſtrangulat.

De potione elephantorum. CAP. XLIIII.

CLaræ aquæ potio elephanto inimiciſſima eſt, turbulentam & ſordidam ſuauiſſime bibit. Ac ſi ad flumen, aut ad lacum acceſſerit, nõ priuſquã cœnum pedibus perturbarit, & pulchritudinem aquæ difformarit, ad hauriendam aquam incumbit. Sine potione

tione octo dies fert. Elephanti nouem ordei modios Macedonicos exedunt,& metretas Lacedæmonicas quatuordecim bibere poſſunt, & rurſus ad eiuſdem diei ueſperam octo. Ducentos autem atque trecentos annos uiuunt.

Quemadmodum telis confixi elephanti liberantur. CAP. XLV.

ARs & doctrina curandi uulnera apud Homerum per manus,uel ad tertiam uſq; ætatem traditur,Patroclum Menetij filium Achilles Pelei filius medicinam docet. Achillem uero Chiron erudit, diſciplinas nimirum heroes tantum, & deorū filij exercebant, & radicum ſuccos, uarietates herbarū, uſum pharmacorum, temperationem, cantiones tum inflammationibus,tum reprimendo ſanguini propitias nouerant,multaq; inuenerūt,quibus quàm natura parum egeat,elephantus docet, cum enim uel haſta uel ſagitta ictus eſt, oleæ flore uel oleo ipſo,defixa tela expellit, atq; huiuſmodi ratione ad incolumitatem reſtituitur.

FINIS LIBRI I.

LIBER SECVNDVS, DE NATVRA ANIMALIVM.

De leonibus. CAP. I.

LEONVM uaria eſt & multiplex natio: nam alij ad Iſtri oſtia, alij robore Iſtrianis inferiores, in Armenia & Parthia naſcuntur, craſſo collo, & capite magno, oculis lucidis, ſupercilijs excelſis, & ualde ex naſo eminentibus, collo & mento multo pilo luxuriantibus. Alios Arabia felix alit, collo & armis piloſis, & magno oculorum fulgore. Multos item nutrit Libya eximios, eorũ horribilis tanquam facies eſt & omnia membra, excepto rubro ore, nigris floribus, cyaneo colore diſtinctis ornantur: non multo pilo ueſtiuntur, inter omnes robore immenſo præſtant. Leonum genus nunquam cibo iccirco caret, quòd ad illius inquiſitionem haud quaquam ſegnis ſit. Non ſomnum in altis cauernis capit, ſed ubi intempeſtæ noctis interuentu deprehenditur, ibi animi fiducia palàm dormit.

De leonum natura. CAP. II.

LEonis ceruix non multis uertebris, ſed unius dũtaxat rigida oſſis perpetuitate conſtat. Si quis leonis oſſa concutiat, ignis ueluti ſilicum attritu ex his elicitur. Oſſa medullis carent, neq; enim fiſtularum modo

modo caua ſunt, necꝫ ullo anni tempore à coitu abſtinet, quinquies parit. Primo catulos quincꝫ edit: Secundo partu quatuor: deinde treis, ſicꝙ deinceps unum numerum decoquit, unoꝙ minus parit. Poſtremò unum omnium præſtantiſsimum leonum regem edit. Catuli à partu recentes exigui ſunt. Duobus poſt partum menſibus ingredi incipiunt. Iam quod in ſermonem hominũ uenit, fabula eſt, eos uuluam dilacerare. Cum fame tenetur, ſummo cum periculo ei occurritur. Poſtea uero quàm cibo completus eſt, mãſueſcit, & ſimul luſionibus delectari fertur: Nunquam terga uertit in fugiendo, ſed ſenſim pedetentimꝙ ſe recipit, cum fremitu contrà intuens. Vt uero ætate proceſsit, ad ſtabula & paſtorum ſubterraneas caſas proficiſcitur, quòd iam ad montanas prædas perſequendas infirmus ſit. Ignem exhorreſcit. Ex his quicuncꝫ criſpior iuba eſt, ignauior & imbecillior eſt: qui uero pilo recto & ſimplici, generoſior, & maiori robore animi præditus: & iam leonũ genus adeo auide cibos helluatur, ut ſolida membra exſorbere ferat. Expletus uel triduo, uel quoad primi cibi concocti ſint, nihil ſæpe edit: modica autem potione utitur.

Quemadmodum naſcitur leo. CAP. III.

DE animalibus oculis apertis ſolum leonem naſci Democritus ait: ſtatim à partu ſtrennuũ quiddam edentem alij obſeruarunt eum cum dormit caudam mouere, ut oſtendat ſe non omnino dormire, ut

cætera animalia, quod ipſum Egyptij ſe obſeruaſſe glorientur, leonem uidelicet à ſomno inuictum eſſe, nempe qui ſemper uigilet, idcirco hunc ſoli eos comparare exiſtimo, quòd ſol laborioſiſsimus ad nullum temporis punctum uerſari intermittens circum orbem terræ, ab inſtituto curſu nunquam conquieſcit: cui rei Homerum teſtem afferunt, cum ſolem, inquit, operum & laborum requietem nullam habere. Cum autem inſidias bubus molitur, ſuo robore prudenter utitur: nam noctu proficiſcens ad ſtabula, fortitudine ſua omnes quidem exterret, unum ut arripiat. Vt uero exſaturatus eſt, in poſterum quidem reliquias ſeruare cupit, ſed pudor certe eum prohibet in cuſtodia reliquiarum permanere, tanquam ab inopia cibi famem metuẽtem. Itaque maxime hians, graui ſpiritu ſuo afflat, teterrimam aſpirationem exhalans: ſicq; eiuſmodi aſpirationi tetræ cuſtodia permiſſa diſcedit. Cætera autem animalia quanuis eò accedunt & ſentiant ubi illius reliquiæ iacent, non attingere audent, metuentia uideri prædari, & deripere aliquid de rege ſuo uoluiſſe. Quòd ſi ei feliciter ceciderit uenatus, illum relicti primi cibi capit obliuio, huncq; ut euaneſcentem & exoletum aſpernatus, relinquit. Ac ſi ex uenatu nihil acciderit præde, ad primum tanquam penariã cellam regreditur. Cum ſuprà quàm ferre queat cibo ſe compleuit, aut quiete & inedia ſe exhaurit, aut ſimiam nactus uorat, illiusq; adeſis carnibus uentrem mollitum extenuat. Iam porrò iuſtus

eſt leo,

eſt leo, & uirum qui ſe laceſsiuerit, ulciſcendi modum tenet: nam primum caudam uibrans, & per latera contorquens, ſe ipſum incitat, & tanquam ſtimulis admotis, exacuit, deinde inuadenti reſiſtit, & eũ qui ſe appetiuerit, ſed ab ictu aberrauerit, ut pariter ulciſcatur, exterret quidem, at nõ lædit. A prima ætate cicur factus, cum manſuetiſsimus eſt, tum uero eius occurſatio facilima & iucunda: luſionibus delectatur: quiduis, modò id ſuo altori gratum eſſe ſentiat, libenter ſuſtinet. Hanno Carthaginenſis leonem, quo ad uectiones ſarcinarum utebatur, habuit, unaq; cum Berenice manſuefactus leo uiuebat, linguaq; eius faciei blandiebatur, leniter abſtergens, ac complanans rugas, demulcebat, cum eaq; in menſa conuiuebat, humaniter & apte comedens. Onomarchus Catanæ tyrannus etiam leones habuit conuictores.

Leo iniurias ſibi illatas ulciſcitur.
CAP. IIII.

EVm à quo iniuriam acceperit leo, probe nouit ulciſci, & quanuis ex eo ipſo non ſtatim ultionem cęperit, tanto tamen poſt iram retinet, quoad pœnas pro maleficio ſibi illato ſumpſerit: cui rei teſtimonio eſt Iuba Maurus, pater illius ipſius qui in triumphum Romam admodum puer ductus eſt. Is cum aliquando iter per deſertam regionem faceret, ut gentem quæ ab ſe defeciſſet ſub iugum rurſus mitteret, ę ſuo comitatu quiſpiam, cum præſtanti nobilitate,

tum egregia pulchritudiue adoleſcens rei uenatoriæ non imperitus, leonem caſu ſecundum uiam animad uerſum ſagitta appetens, non ab ictu directo aberra-uit, quin ei uulnus, non tamen mortem, intulit: Vul-nere is accepto, ſtatim ſe ſubduxit: tum ille qui uul-nus ei inflixiſſet, unà cum cæteris diſceſsit. Anno uer-tente interpoſito, Iuba rebus, ad quas cum exercitu profectus fuiſſet, præclare geſtis, eadem uia regreſ-ſus eſt ad eum locum ubi anno antè leo uulnus exce-piſſet. Is ſanè etſi in magna hominum multitudine erat adoleſcens, ab inuadendis tamen cæteris ſuum impetum ſuſtentauit: illum duntaxat qui ſe anno antè læſiſſet corripuit, & furorem acerbiſsimum, quem tandiu quàm dixi, ſeruaſſet, in illum ipſum hominem peradoleſcentem, quem ab alijs internoſ-ſet, effudit, ac ſimul dilacerauit, nec illum quiſ-piam ab hac potuit calamitate uindicare. At grauiſ-ſima leonis ira perterrefacti, quâ potuerunt, fugam quæſiuerunt.

Quemadmodum beneuole affectus eſt in bene de ſe meritos leo. CAP. V.

PRobitatem quæ beneficium agnoſcat animalibus rationis expertibus ineſſe ſine ulla ingenuarum artium doctrina & ſapiētia, quam circulatores philo ſophię quidā ſe excogitaſſe gloriantur, illa quæ mox dicā, argumēto ſunt: Cum enim à ſenatore Romano ſeruus, cui nomen Androcles erat, aufugiſſet, quia fa-cinus

cinus quodpiam nefarium (id uero quale fuerit igno ro) admiſiſſet, & uero in Aphricam ueniſſet: relictis urbibus in deſertiſſimam proceſſit regionem, ibiq; cũ ardore ſolis torreretur, ſpeluncam ſubiens, ab æſtu requieſcebat: hæc autem ſpelunca leonis erat cubile. Poſtea autem quàm ex uenatu leo ſummo cum dolore quo laborabat ex pede transfixo ſtirpe à ſummo præacuta reuertiſſet, àtque in iuuenem qui intra ſpecum abdebatur, incidiſſet, ipſum leniter aſpexit, ac blãdiri cœpit, pedemq; porrexit, & quoad poterat ſibi ſtirpem extrahi rogabat. Ille primo, etſi mors illi neceſſaria erat, ab eo pertimuit, deinde poſtquam manſuetam uidiſſet beluam, & pedis morbum cognouiſſet, tum id quod pedem uexaret, euellit, tum uero dolore liberauit. Qua curatione leo delectatus, illum hoſpitaliter & amice tractando, & quæ uenaretur cum illo communicando, præmium ſalutis perſoluit. Is quidem incoctis, ut leonum mos fert, paſcebatur: ille uero aſſis ueſcebatur, communiq; utriuſq; menſa ſecundum ſuam quiſque uiuendi rationem utebatur. Itaq; totum triennium ibi Androcles ætatem duxit. Cum eiuſmodi habitationis illum tæderet, iamq; ſolicitudinibus eius animus expleretur, à leone diſcedẽs, uagari cœpit. Cumq;, ubi eſſet, intellectum fuiſſet, cõprehenderunt eum, uinctumq; Romam ad dominũ miſerunt. Hunc dominus tum de his quæ admiſiſſet facinoribus reum facit: ita factum eſt, ut is ſic capite damnaretur, ut diſtrahendus beſtijs daretur. Tum

uero ille Libycus leo fortè captus fuit, & in theatrum immiſſus, ſimul & eò ad pereundum coniectus eſt homo leonis aliquando hoſpes, & conuictor. Primũ quidem ſeruatorem ſuum non recognouit: leo cõtrà ſtatim hominẽ diuerſorem ſuum agnouit, ſuauiterq́ blanditus eſt, & totius corporis inclinatione ad pedes hominis ſe abiecit. Androcles tandem ſuum hoſpitem recognouit, & leonem tanquam peregrè uenientem amplexatur. Interea pardalis Androclem cum inuadere aggrederetur, leo illum, qui uidelicet ei aliquando ſalutem attuliſſet, ab huius laniatu ſeruauit, illamq́ lacerauit. Spectatores, ut par erat, incredibili tenebantur admiratione: qui autẽ ſpectacula præbebat, Androclem accerſiuit, ab eoq́ totã rem cognouit. Inde primo rumor in multitudinem affluxit, deinde re cognita, populus clamorem ſuſtulit, cunctusq́ conſeſſus multiplicem plauſum dedit, homini ipſi, & leoni eſſe largiendam libertatem.

De leonibus ſenibus. CAP. VI.

LEo cum ætate proceſſerit, & iam grauis factus fuerit, tum ad uenandum infirmus, aut in ſpecubus, aut nemoroſis tractibus libenter requieſcit, neq́ tum uel cum infirmiſſimis animalibus, ætatis ſuæ infirmitati diffidens uerſari fidenter audet; ſed conſiderans corporis ſui imbecillitatem, ſemper timide & diffidenter cum ijs agit. Ex hoc procreati & robuſtæ & uigẽtis ætatis fiducia nitentes, longe procedũt ad uenandum:

dum: ac patrem iam ſenem ſecum adducũt, eum impellentes: deinde in media uia, quam ingreſſi fuerint, illum relinquentes, toto animo ipſi in prædæ curam incumbunt, ac tantundem prædæ conſecuti, quantum uel ſibi uel genitori ſatis ad prandium ſit, generoſo quodam & contentiſſimo rugitu edito, parẽtem ſuum ſecum, is ut conuiuium ineat, tanquam conuictores ad prandium conuiuam inuitant. Senex tum ſenſim & pedetentim uelut reptans, eò accedens, primo filios amplexatˀ, deinde lingua eis ſuauiter, uelut horum laudans felicem uenationem, blanditur: pòſt & prandio dat operam, & cum his epulatur. Tametſi Solon qui lege ſanxiuit filijs parentes alendos eſſe, hæc eos facere non iuſſit: ſed natura humanis legibus nihil egens, ipſa immobilis lex ad hoc officij munus docuit.

De greſſu leonis. CAP. VII.

CVm leo ingreditur, nec rectà iter facit, nec ſimplex ponit ueſtigium, ſed uarium imprimit, & multiplex: modo enim progreditur, modo regreditur, tum rurſus procedit, idemq́ue uiciſſim retro commeat, nunc quaſi ſurſum uerſus, nunc permiſtim facit ueſtigium, deinde partim præcidit uiam, partim obliterat, ut ne uenatores eius ueſtigijs inſiſtentes, luſtrum, ubi cũ ſuis catulis habitat, reperire poſſint: quod diuino munere proprium naturæ leonũ donatũ eſt.

De naturali affinitate leonis cum delphino. CAP. VIII.

IN media natura quædam communitas retruſa leoni eſt, & affinitas cum delphino: non ex ea parte ſolum quòd uterq; imperat, ille quidē terrenis beſtijs, hic uero aquatilibus: ſed quòd ſenectute ambo tabeſcunt, & cum ſunt in ægritudine, illi terreſtris ſimia medetur, huic marina quoq; ſimia remedio eſt. Nam ut in terra, ſic etiam in mari aliquod eſt ſimiarum genus, quod ſimiliter huic, ut illi, medicinam illa ipſa morbi affert.

De leonibus Indiæ. CAP. IX.

LEones in India naſci maximos, ne tenuiſſima quidem dubitatio eſt: terra enim India mater optima aliorum animalium in cauſa eſt. Hi immaniſſimi dicuntur, eorum pelles aſpectu nigræ ſunt, & horridæ & formidoloſæ. Si capiantur, manſueſcunt quidē, modò ne maximi ſint: tum uero adeo aſſuefiunt loro, ut facilè ſimiliter atq; canes ad uenandos ceruos, apros, tauros, & aſinos ſylueſtres duci queant: ſagaciſſime enim, ſicut audio, odorantur.

Leo comedit carnes cameli. CAP. X.

CAmeli carnes à leonibus comedi ſolere, teſtimonio eſt Herodotus, cum in Xerxis camelos, qui cōmeatum portarent, dicit leones inuaſiſſe, & ex alijs animalibus nulla, neque iumenta, neque homines attigiſſe.

De leonibus Aegyptijs in deos relatis, & de Sphynge. CAP. XI.

Leonibus

LEonibus in Aegypto religioſus cultus non modò tribuitur, ſed etiam ex ijs urbs nomen traxit: quorum ſanè uim ac naturam exponere non alienũ uidetur. Templa habent ſibi conſecrata, & ſedes ad commorandum amplas, & ad exercendum ſpatia & curricula laxa, tum eis bubulæ carnes quotidie præbentur, quas diſtractas atque ab oſsibus nudas cum interea exedunt, & conficiunt, ab Aegyptijs incantantur Aegyptia uoce. Cantionis argumentum huiuſmodi eſt, ne ex aſpicientibus quenquam faſcinent. Neq; uero eorum modò permulti diuinitatem & religionem apud ipſos habent: uerum etiam ſedes eis dedicatæ, è regione contrarios auerſosq́; aſpectus habent: quarum feneſtræ, tam quæ ad ſolis exortum pertinent, tam etiam quæ ad occaſum ſpectant, apertæ ſuauiorem uiuendi rationem eis & iucundius habitandi domicilium efficiunt, tum eis etiam ſunt exercitationum loca ad tuendam ualetudinem, tum propinquæ palæſtræ. Eos ideo Vulcano Aegyptij conſecrarunt, quòd ſint natura uehementer ignita, atque adeo exteriorem ignem ob copiam interioris egerrime intuentur, & fugiunt: tum ipſos idcirco ſolis domicilia conſtituunt, quod ignei ſint: ſimul & ſolem, cum eſt æſtiuo tempore calidiſsimus, accedere ad leonem cœleſtem dicunt: & ij quidem qui magnam Heliopolim incolunt, in templi ueſtibulis eos diuinæ cuiuſdam ſortis, ut Aegyptij dicunt, participes alunt. Nam ijs, quibus ꝓpitius eſt deus ſomnio-

rum ſignificationibus ſecundũ quietem, futura non ſolum oſtendunt, ſed etiam à periuriſsimis, quòd iuſiurandum non conſeruent, & fidem uiolent, non longo interuallo, atque adeo eueſtigio, deo eis iuſtum impetum afflante, pœnas illorum fraudi debitas, repetunt. Empedocles inquit, ſi poſt exceſſum è uita homo de ſemetipſo in beſtiarum naturam demigrat, multo præſtantiſsimam commutationem eſſe, quæ fit ex homine in leonem. Sin homines è natura ſua in plantas commutantur, optimam eſſe conuerſionem, & demigrationem ex humano genere in laurum. Quòd ſi Aegyptiorũ, qui in notione naturæ uerſantur, rationem æſtimatione dignandam ducimus, hæc etiam non leui momento æſtimare oportet, cum attribuũt igni huius animalis anteriora, aquæ uero poſteriora. Sphingen Aegyptij qui ſcalpturã exercent, & Thebanæ fabulæ duplici natura conformantes, biformem nobis conantur repræſentare, ipſum ex corpore uirginis & leonis cum grauitate, & compoſitione architectantes. Sed hæc in fabellas reijcienda: nos leonum uim explicemus.

De leonibus cicuribus in templo Adonidis. CAP. XII.

IN Aelymæa regione templũ eſt Adonidis, ubi leones tantopere cicures ſunt, ut eos, qui intra templũ ingrediuntur, amplexentur, & adulentur. Atque etiam ſi quis edens appellet, ij tanquam inuitati conuiuæ, accedunt, & acceptis quæ eis præbuerit, mode-

ratè

ratè diſcedunt.

De leone ulciſcente canem contuberna-
lem ſuum. CAP. XIII.

QVod de leone Eudemus dicit, non paruam admirationē habet: hoc ipſum eiuſmodi eſt: Iuueni ferarū cicuratori, canem nimirum, urſam & leonem fuiſſe, eosq́ primum, & pacem inter ſe ſeruaſſe, & amicitiam recte coluiſſe. Deinde cum canis aliquando & urſa inter ſe colluderent, & ludicris morſiunculis conflictarentur, urſam repentè ad feros mores reuertiſſe, & canem ſimul inuaſiſſe, & uentrem miſero unguibus indigniſsime diſtraxiſſe, cuius atrocitatem facti leonem indignatum, perfidiæ urſinæ odio, quod & fœdus fregiſſet, & amicitiam inſtitutam uiolaſſet, inflammatum, iuſta & merita iracundia contra urſam & exarſiſſe, & ab ea pares pœnas, quibus illa prius canem affeciſſet, repetijſſe.

De maurorum leonibus. CAP. XIIII.

CVm homine Mauro & aliarum rerum communitatem quandā habet, & aquam de eodem fonte bibit. Hunc audio, cum uenandi ratione falſus, fame premitur, Maurorum domos adire, ibi ſi uir adſit, illum ab ingreſſu ꝓhibere: uiq́ procul arcere: ſin domo is abfuerit, & ſola mulier ad domum tuendā relicta fuerit, hanc obiurgatorio ſermone, illum ut ne ulterius pergat, inhibere, illiq́ ita moderari, ut is contineat ſeſe à progrediendo, & minime famis immanitate efferueſcat. Intelligit ſanè leo uocem Maury-

ſiam. Verborum quibus mulier leonem increpat, huiuſmodi ſenſus perhibetur: Non te pudet, cum ſis leo omnium animaliũ rex, ad meum tuguriolum, uti pabulum tibi concilies, mulieri ſupplicatum uenire, uiceq́ꝫ hominis corpore male affecti in muliebres manus reſpicere, ut muliebri miſericordia dignatus, quæ tibi opus ſunt, aſſequaris, quem potius in montibus ad captandos ceruos, aliaq́ꝫ animalia, quæ ad leonis paſtum pertinent, exerceri: non autem more caniculi infelicis uictum quæritare oporteret. His quaſi cantionibus mulieris leo excãtatus, afflicto animo & uerecundiæ pleno, ſenſim oculos in terram deijciens, iuſtis rationibus uictus, diſcedit. Neque uero cum equos & canes ob conuictus communitatem minaces hominum ſermones intelligere, & timere uideamus, mirum uideri debet, ſi leones Mauros homines intelligant, & uereãtur. Cui rei teſtimonio ſunt pueri eorum infantes, quos ſimili atque catulos leonum æqualiq́ꝫ uictus ratione uno eodemq́ꝫ tecto alunt. Quamobrem leones Maury ſias uoces intelligere poſſe, nec incredibile, nec præter opinionem exiſtimandum eſt.

De leone, urſa, & fabro materiario.

CAP. XV.

IN Pangio Thracio monte, Eudemus ait, urſam quæ leonis luſtrum non ignorabat, à defenſoribus uacuum eſſe: huius catulos, qui per ætatem ſe nondũ tueri quirent interemiſſe, mox parentes cum alicũde

ex ue

ex uenatu reuertiſſent,& cum etiam leonculorum cæ-
dem factam uidiſſent, acerrimo, ut par erat, dolore
preſſos, urſam inſecutos fuiſſe. Hāc uero ſummo cum
metu quantum potuit itineris contendentem, in pri-
mam quanqꝫ arborem conſcendiſſe, ibiqꝫ ut ab illo-
rum inſidijs declinaret conſediſſe: eam autem illi cum
ſe uiderent ulciſci nequire, lænam quidem continēter
ſumma diligentia ad arboris truncum inſidias moliē-
tem excubaſſe, ſurſumqꝫ uerſus intentis oculis ſan-
guinariam aſpexiſſe. Leonem uero ſimiliter atqꝫ ho-
minem ex liberorum morte mœrentem, longe lateqꝫ
ſummo cum dolore totis montibus erraſſe, dum ma-
teriarium fabrum offendiſſet, cuius è manibus ma-
gnopere exterriti ſecurim ubi is excidiſſe perſpexiſſet,
ſeſe attollens, illum blande & ſuauiter amplexabatur,
linguaqꝫ illi faciem abſtergebat. Quam benignitatem
homo ſentiēs, ſuis rebus fidere cœpit: leo hunc cauda
amplexatus ducebat: neqꝫ ſecurim, quæ huius è ma-
nibus effluxerat, illum relinquere permittebat, ſed pe
de ſuo ſecurim tollendam eſſe oſtendebat, cum eius
ſignificationem homo non intelligeret, ſecurim leo
ore accepit, mordicusqꝫ tenens, illi porrexit, ac deniqꝫ
illum ad luſtrum ſuum, ubi conſtrati catuli iacebant,
perduxit: id quod leæna uidens, ipſa quoqꝫ ad eos
profecta, homini ſignificabat, cladem miſerabilem re-
ſpiceret: atque poſtea ſua ſignificatione hunc impelle-
bat, ſuſpiceret urſam. Vnde homo coniectura aſſecu-
tus aliquam hos ex hac grauem iuiuriam accepiſſe,

omnes neruos ad excindendam arborem contendit, quam cum euertiſſet, urſam præcipitem in terram delapſam feræ diſtraxerunt. Hominem illæſum leo reduxit in locum, ubi prius ei occurriſſet, atque materiæ quam à principio cędebat, illũ inuiolatũ reddidit.

Leo non naſcitur in Peloponneſo CAP. XVI.

LEones nõ gignit Pelopõneſus, quod doctiſſimus Homerus non ignoraſſe uidetur, cum aiebat, Dianam in Tageto, & Erymãtho Peloponneſi montibus delectatam fuiſſe in uenandis apris, & ceruis: leonum autem non meminit, & recte quidem, quòd hi ab ijs uacui eſſent.

Leones non unà cum leænis eunt. CAP. XVII.

NOn ad uenationem, nec ad pugnam eadem uia leo & leæna proficiſcuntur: cauſam periti ad notionem animalium afferunt, eorum robur corporis eſſe, ſuis enim eatenus uiribus confidunt, ut uterq; nõ egeat alterius.

GILLII ACCESSIO.

Quemadmodum leones manſuefiant. CAP. XVIII.

VT manſueſcant leones, non uerberibus cædendi ſunt, nam ſic acerbiores fiunt: nec rurſus blanditijs ualde leniendi, ne ſuperbiant: ſed blanditijs minacibus facilius ex feritate ad manſuetudinem traducuntur.

GILLII ACCESSIO.

Quemadmodum leones capiuntur. CAP. XIX.

VBi leonis ex ſpelunca ad aquam proficiſcentis tritam uiam Libyci uenatores obſeruarunt, rotundam ſcrobem latam, & altam faciunt: in eius medio columnam excitant, de hac agnum ſuſpendunt, foſſam maceria cingunt, ne cum appropinquat fera, doloſum barathrum uideat: Agnus ſublime fixus eſuriens, illius cor balatu incitat, ad quem, primum ut is exaudiuit, animo prompto & læto celeriter accedit, & circum maceriam acerrima fames diu uerſari eum non patitur: ſtatim enim tranſilit, inopinata autem fouea ipſum excipit. Vbi uero ſe in profundo interclusum intelligit, in omnes partes ſeſe uerſans, non ceſſat ſurſum uerſus impetum facere. Qui autem accolunt Euphratem, ad hanc rationem eos uenantur: ut ex uenatoribus, partim in equis uelocibus & fortibus ſedeant, partim pedites retia tendant: tres in inſidijs collocati ad retia maneant, ex ijs unus in medio, alij ſinguli in utroq; retium cornu cōſiſtant, ut is qui in medio eſt utrinq; extremos alios audire poſſit: alij more bellico circumſedentes, piceas faces ardentes in dextra, in ſiniſtra clypeos habeant: nam ijs concrepantes, & incredibilem facium obiectarum metum feris inijciunt. Omnes ſimul equites circunfuſi, inuadunt, & pedites cum ſtrepitu ſequuntur. Leones cum ſic uociferatione uenatorum obſtrepuntur, reſiſtere non audētes, cædunt, tum ignis metu, tum uirorum, in retia incurrunt, ac comprehenduntur. Aethiopes minori negotio eos capiūt, magno robore uiri (quod

ipſum magnam admirationem habet) ſcutati, atque omni ex parte contra huiuſmodi feras armati, flagellorum uibratione leoni in ſpelunca iacenti obſtrepunt: Is hanc indignitatem nõ ferens, ore hianti atq; imminenti, inflammataq́; oculorum flagrantia, magno cum rugitu erumpit, & tanquam procella & turbo in eos celeriter irruit: illi firmo conſtantiq́; animo eam tempeſtatem excipiunt: Atque interea cum is unguibus & dentibus eorũ quempiam appetit, alius retro laceſſens leonem percutit, & ſublato clamore uexat. Tum idem confeſtim relicto priore, quem iam ore ceperat, ad poſteriorem os retorquet. Alij aliunde irritant: at is martium robur ſpirans, huc & illuc irruit: hunc quidem relinquit, alium uero ſublimem corripit. Tandem longo labore fractus, & ſpumam in ore agens, decumbit, ac nimirum humi ſtratum, & iam ualde quietum, uinculis conſtringunt, & tanquã arietem à terra tollunt. Neq; hoc prætereundum, leo in folijs ilicis ut fecit ueſtigiũ, torpore tenetur: itemq́; ſi conculcat, uel ſi modo appropinquant folijs ſcillæ herbæ torpore capitur: hæc uulpes in luporum cubilia non ſine cauſa inijciunt, inſidioſæ nimirum non ignorant quæ eis infeſtiſſima ſunt.

GILLII ACCESSIO.

De pardale ſiue panthera. CAP. XX.

PArdalis anterioribus pedibus quinq; digitos habet, poſterioribus quatuor. Huius generis fœmina maiore quàm mas robore prædita eſt. Ea ſi uenenatam

natam herbam à gentili angore ſuo appellatam imprudens comederit, confeſtim exquirit hominis ſtercus eoq́; inuento, ex ueneno ſeruatur, atq;, ſicut Cicero ait, auditum eſt, pantheras quæ in Barbaria uenenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo ut eſſent uſæ, non morerentur.

GILLII ACCESSIO.

De pardalibus & lyncibus. CAP. XXI.

PArdalium duplex genus eſt, aliȩ maiores, & dorſo ampliores, & pinguiores: aliæ quidem minores, ſed robore non inferiores. Eandem coloris uarij, & figuræ corporis ſpeciem, ſimilitudinemq́; ambæ præter caudam gerunt: nam maioribus minor eſt cauda, minoribus uero maior. Velociſsimè currunt, & recta uia feruntur: diceres ſagittam neruo expulſam: Vino delectantur. Pardaliũ præterea duplex eſt genus, aliæ enim lynces nũcupatæ, paruæ quidẽ, contra lepores comparantur: aliæ maiores in ceruos, atq; oryges facile inſiliunt: eiuſmodi ambo corporis figura ſimiles ſunt: & ſimiliter utriſq; oculi ſuauiter fulgent. Facies utrisq; alacris perlucet: paruum utriusq; caput. Solus color diſsimilis. Minores quidem rubra pelle, maiores uero croceo ſulfureoq́; flore diſtinguuntur. Mirifice amant ſuam prolem: cum enim catulos à partu recentes uenatores clam furati fuerint, eæ autem uacuum cubile uiderint, in maximos luctus incidunt. Pardales ante pullos procedunt, & cum uenatoribus pugnant, neq; haſtatos ho-

mines quicquam timent, neq; magnam iaculatorum multitudinem exhorreſcunt. Imò uero ſuum partum acerrime propugnãtes, micans ferrum & ſagittarum miſsionem, & ſaxis factam lapidationem egregie con temnunt: ac ſanè feſtinant uel antè mori, uel ſuos ab impetu uenatorum prohibere. Lyciæ & Cariæ par- dalis, nec animoſa eſt, neq; ualde ualet ſaltu, niſi cum eſt uulnerata: tum ſpiculis reſiſtit, neque ferro facile cedit.

De pardalis ſuauiolentia. CAP. XXII.

ADmirabilem quandam odoris ſuauitatem olet pardalis, quam bene olendi pręſtantiam diuino munere donatam, cum ſibi propriã planè tenet, tum uero cætera animalia hanc eius uim præclare ſentiũt. Hæc autem hoc modo uenationẽ capit, cum horum quæ ad uictum opus ſunt eget, ſeſe uel in loca arbo- ribus conſita, uel folijs ueſtita, ita occultat, ut inuentu difficilis tantum reſpiret: hinnuli, dorcades, capræ ſylueſtres, atq; alia eiuſmodi animalia quadam ſuauis odoris illecebra attrahuntur, & proximè accedunt. Illa tum quàm mox de latebra exiliens, ad prædam ſe rumpit, atq; eam comprehendit.

Quemadmodum pardales ſimias ca- piunt. CAP. XXIII.

QVamobrem in Mauritania pardales cum robo- re ſint & uiribus præſtantes, non curſu quo ma xime ualent, ſimias perſequi aggrediuntur, cauſa eſt, quoniã

quoniam non longe ante hanc excurrentes ſeſe tra- dunt, ſed & ut mox eam uiderunt, in fugam ſe confe- rentes, in arbores altas aſcendunt, & illius impetum declinantes, illic confident. Veruntamen pardalis ad hanc rationem ſimia doloſior, inſidias molitur, & do los nectit. Vbi enim ſimiarum multitudo manet, eò profecta, ad terram ſe ſub arbore abijcit, & uentre proiecto humi, ſic iacet, tibias ut admodum remiſſe porrigat, oculos claudat, ſpiritu compreſſo ſeſe ab anhelando contineat, & uero mortua uideatur. Illæ uero hoſtem ex alto deſpicientes, mortuam ſuſpican- tur, & facilime credunt id quod uehementer optant, nondum tamen deſcendere audent. At experimenti cauſa unam ex ipſis, quam audaciorem putant, ad examinandum pardalis affectum præmittunt: hæc quidem non omnino ſibi præfidens deſcendit, ſed ti- mide & pedetentim primo decurrit, pòſt metu re- preſſa reuertitur. Tum uero iterum deſcendit, & cum proxime ad pardalim acceſsit, regreditur rurſus. Tum tertio deſcendit, & illius oculos ſpeculatur, ſpiritum ducat nécne periclitatur. Illa autem immo- tam ſe fortiſsime præſtans, paulatim huic animos ad- dit, & iam cum hanc permanere conſtanter ſine da- mno circum illam ſublimiores ex ſuperiori loco ſi- miæ ſpeculãtur, fiduciam, & ſpiritum colligentes, ex arboribus frequentiſsimæ decurrunt, & circum eam concurſantes, ſaltant, ſimul & ſupra ipſam gradien- tes inſultant, & in illius contumeliam ſaltationem ſi-

micam ſaltantes, multifariam ei illudunt, & gaudium quod de hac ipſa tanquam mortua immortaliter per-gaudent, teſtantur. Illa autem omnia ſuſtinens, ſimul ac illa ipſas inſultando, & illudendo defatigatas eſſe intelligit, ex inopinato exſiliens, earum partem unguibus lacerat, partem dentibus diſtrahit, atque opimum, & adipale ex hoſtibus prandium ſibi abunde comparat, & tanquam Vlyſſes ancillarum contumelias & procorum, ſic diu multumq́ harum inſultationes perpetitur, ut hoſtes ulciſci queat.

Quemadmodum pardalis parcit ſuis familiaribus. CAP. XXIIII.

RAtione carentia, ab his quibus cum conſuetudo eis quotidiana intercedit, magna amicitiæ religione adducta abſtinere, & parcere ſæpe ſolent. Pardalim enim audio, cum eam à paruula cum hominibus uenator uerſari adſueſeciſſet, atque adeo manſueſeciſſet, eamq́ ſanè tanquam amaſiam adamaret, & magna cura aleret, ob eamq́ rem hœdum huic, quē ſimul cum ipſa aluiſſet, eam hœdi eſu oblectare cupiens, comedendum dediſſet: edere illum, etſi occiſus erat, recuſaſſe. Cum enim primo die is ad paſtum obiectus ſemel fuiſſet, ab eo ipſo edēdo ſe ſuſtinuiſſe, quia propter cibi expletionē inedia uti neceſſe haberet. Secūdo iterū die hœdus huic allatus eſt, ab eo ſimiliter, quoniā adhuc fame nō ꝑmeret, ſe cōtinuiſſe. Tertio die q̄uis eſuriret quidem, & ſolito ſigno cibū requi

requireret, nō hœdū tamē ſuū cōtubernalē attingere uoluiſſe, ſed illo relicto, alterum ſumpſiſſe. Homines autem ſuos intimos & perneceſſarios nō modo produnt, ſed ſæpe etiam in fratres & parentes multa perfidioſe faciunt & improbe & malitioſe.

GILLII ACCESSIO.

Quemadmodum pardales capiuntur.

CAP. XXV.

VBi proficiſcentis ad aquam ex ſpelunca pardalis, uenatores tritam uiam obſeruarunt, ibidem rotundam & altam & latam ſcrobem faciunt, in eius medio lignum defigunt, ex eo catellum ſuſpendunt, cuius teſticulos tenuibus uinculis conſtringunt. Is uinculorum dolore preſſus gemit, & latrans ſuo ſono pardalim ad ſe commouet. Hæc non mediocri uoluptate geſtiens, illuc ſe magnis ſaltibus incitat, & nullum dolum eſſe exiſtimans, in poſitas inſidias incidit. Simul & uino capitur: Vbi primū in Libya paruum fontem animaduerterunt, nō magno ſonitu, ſed ęgerrime ſcaturientem, & conſiſtentem, & ſub arenam ſubeuntem, unde pardales prima luce bibere ſoleant, eò uenatores noctu amphoras permultas dulcis uini plenas afferunt, quod iam decem annos in dolijs bene conditum conſtitit. Ac nimirum poſteaquam hoc idem in fontem infuderunt, inde procul ſedent ſtragulis tecti, nam nulla alia re ſe occultare poſſunt, neqꝫ enim ſane lapidum, neque arborum tegmenta inueniuntur; ibi enim ſola terrarum ab arboribus nuda

ex omni parte ad uidendum patent: eæ autem ardenter ſitientes & grauem ſitim depellere cupientes, ad nigrum iam fontem accedunt, & ſimul ut uini, cuius ſtudioſæ ſunt, potione ſitim expleuerunt, ſtatim primo ſaltatione ludunt, deinde ſenſim obdormientes humi ſternuntur. Itaq; arctè & grauiter dormitãtes, nullo negotio comprehenduntur.

Quemadmodum pardales uenantur Mauri.
CAP. XXVI.

PArdales cum Mauri uenantur, eiuſmodi inſidias collocãt, ut intra ædificatiunculã lapidibus quam primo ſtruxerint, putreſcentis iam carnis fruſtum ex longiore funiculo appendant: deinde ex arundinibus ianuam rara ſtructura imponant, per eas ut fœtidæ carnis odor emanet, & longe lateq; uagetur. Hũc incluſum fœtorem feræ beſtiæ ſentiunt, nam quodãmodo tetris odoribus delectantur. Itaq; huius cibi appetitione, huc illuc circunferuntur, & tanquam quadam amatoria illecebra attractæ, & incidunt in laqueos, & infelici eſca conſtrictæ tenentur, & uero illaqueatæ, pœnas dant liguritionis & helluationis importunæ.

FINIS LIBRI II.

LIBER TERTIVS DE NATVRA ANIMALIVM.

De canibus. CAP. I.

CANIS calua nulla oſſea commiſſura conſtat, ſed oſſis perpetuitate continetur. Cum ſe plurimum in currendo exercuit, multo effuſiorem ad res uenereas exiſtere ferũt. Cumq; multum ætate proceſſit, ei dentes hebeſcunt, nigríq; redduntur. Tanta narium exiſtit ſagacitate, ut nunquam caninam carnem, nedum etiam uarietate condimentorum fallaciſſima temperatam guſtet. Tribus morbis laborare ſolet, angina, rabie, podagra, cum homo interea ſexcentis morbis ſit opportunus. Quodcunq; autem à rabioſo cane morſum fuerit, perimitur. Poſtquam podagra tenetur, perraro ex ea conualeſcit. Ad decimum quartum annum uita ei producitur.

GILLII ACCESSIO.

De uarietate canum. CAP. II.

TOtidem canum genera ſunt, quot equorum. Qui excellunt, ſunt, Pæones, Auſonij, Cares, Thraces, Arcades, Argiui, Lacedæmonij, Sauromatæ, Cretenſes, Magnetes., Amorgi, Galli, Aegyptij, Hiſpani. Quòd ſi ex uarijs nationibus canem temperare cupis, Arcades Helienſibus miſce, Cretenſes

Pæonibus,Cares Thracibus, Thyrrenos Laconicis, Sarmaticos Hiſpanis. Ex iam commemoratis maxime præſtat qui hac forma conſtat. Longo & robuſto corpore,capite leni, oculis acribus & cæſijs, dentibus exertis,ore largo,paruis auribus, tenui cute prędìtis, collo longo,pectore forti,anterioribus pedibus breuioribus,cruribus longis, ſcapulis latis, lateribus inflexis, clunibus non pinguibus, ſed multa carne plenis, denſa & longa cauda. Huiuſmodi enim longis curſibus comparentur contra ceruos,& lepores. Alij rurſus ſunt bellicoſi, qui non modo in generoſos tauros inuadunt, & apros occidunt, ſed neque leones ſuos reges timent. Vaſto corpore exiſtunt, ſimo roſtro,fronte horribili, oculis igneis, quorum pupillæ cęſiæ ſunt,pelle tota hirſuta, robuſto corpore, dorſo lato: Hi non ueloces,ſed magno robore, & animi & corporis,& acerrima audacia præditi ſunt. Huiuſcemodi contra feras armentur. Colore albi aut nigri, non boni,neque enim ſolis ardorem, neque hiberni temporis acerbitatem ferre poſſunt. Præſtantes ſunt, lupis,uulpibus, aut pardalibus ſimiles. Vel qui frumentacei coloris ſpeciem, ſimilitudinemq; gerunt. Quod ſi catellos recte educare ſtudes, caue caprarū, ouium, aut domeſticarum canum mammas ſugant, nam ſegnes & debiles efficiuntur, ſed uel ceruas uel cicurem leænam, uel damas,uel lupam lacteant. Sic enim & robuſtos & ueloces efficies, cum enim recordabuntur ſe ab huiuſmodi animalibus nutritos, pudebit

debit eos non robuſtos exiſtere. Cum uias ad uidendum difficiles oculis & intelligentia homines, narium uero ſagacitate canes aſſequũtur. Homines hyberno tempore nullo labore omnia oculis cernunt: nam & niuibus deſcripta omnia uidentur, & luto impreſſa ueſtigia pedis plantæ manent ſimilia. Ver autem inimicum canibus: contra amicum autumni tempus: nam cum terra & multiplices, & uarias producat herbas, & floribus uarie olentibus, uerno tempore abundet, prataq́ ſua ſponte purpureſcant, omnes uiæ inueſtigandi canibus ſagacibus debilitantur. At enim in frugifero & dulciũ uuarum parenti autumno, herbis fruticibus, floribus ſeneſcentibus, ſolus ferarum ſenſus canibus remanet. Quòd ſi quis canum ſagacitatem experiri uult, cum lepore, aut uiuo, aut mortuo longe lateq́ errat, primũ recta, deinde obliqua, tum ſiniſtra, tum dextra uia proficiſcitur. Ac nimirũ cum longe ab urbe aberrarit, facta ſcrobe leporẽ defodit: Vbi uero pòſt ad urbem reuerterit, eandem uiam cũ cane repetit, is leporis odoratione ſtatim affectus, incitatur ad perſequenda ueſtigia, ac poſt longam inquiſitionem ad metam peruenit.

GILLII ACCESSIO.
De canis diſciplina & imitatione.
CAP. III.

PLutarchus ſcribit, ſe non debere præterire eam canis diſciplinã, quam ipſe Romæ ſpectaſſet, Mimi docentis nimirũ fabulam, in qua uaria & multiplex

perſona agebatur, non modo appoſitè canis alios ſubiectos affectus imitatione cōſecutus eſt: ſed etiam cum ueneni, quod quidem tanquam mortiferū poëmati ſubiectum eſſet, ueruntamen tum duntaxat uim conciliandi ſomni haberet, in eo ipſo cane periculum fieret: is panem, ad quem uenenum admiſtum eſſet, ſumpſit, & deuorauit, ac quàm mox præ ſe trementis & ebrietate oppreſsi, animoq́ deficientis ſimilitudinem ſpeciemq́ geſsit, ac nimirum ſe tandem ad terram abijciens, tanquam mortuus, humi ſtratus iacuit, ſeq́ huc & illuc, ut fabulę ratio ferebat, trahendū permiſit, atq; etiā cum ex dictis & actis intellexit tempus eſſe excitandi, ſeſe ſenſim primum tanquā ex arctiſsimo ſomno experrectus mouit, & alleuato capite aſpexit, deinde illinc ſurrexit, ſimul & ad eum quem oportebat, & neceſſe erat cum gaudio profectus eſt, ut omnium ſanè ſpectatorum, & ipſius Cæſaris (nam aderat Veſpaſianus ſenex in Marcelli theatro) admirationem & aſſenſionem commouerit. Canum, ſicut ait Cicero, tam fida cuſtodia, tanque amans dominorum adulatio, tantumq́ odium in externos, & tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in uenando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos.

De canibus & Otide aue. CAP. IIII.

Lepus & uulpes canum metu exhorreſcunt, atque interdum uel ſola canis latrantis denunciatione ex loco

ex loco undique ſepto, uepribus & dumetis ueſtito excitantur. Tum uero leonem in fugam compellunt, Ceruos item inſequuntur. Verum auis nulla non canem paruifacit. Vnam autem Otidem excipio, quæ propter corporis ſui grauitatem, & tarditatem canem perhorreſcit. Eam enim pōderoſa corporis mole conſtrictam alæ non facile alleuant: iccircoq́ꝫ demiſſo atqꝫ humili uolatu utitur, quia pondere deprimitur. Ex eo fit, ut nonnunquam à canibus capiatur: itaqꝫ conſcientia ſuæ humilitatis perculſa, ſimulac canes latrantes audiuerit, in dumeta, aut paludes excurſione ſe impellit, quibus & protegatur, & ab inſtanti periculo ſeruetur.

De canibus cynocephalis, deq́ꝫ memoria animalium. CAP. V.

BEne ſanè animalia diſcere ita percepi. Regnantibus Ptolomæis Cynocephalos Aegyptij literas legere, & ſaltare, & ad tibiam canere, & pulſare citharam docebant. Tum uero unuſquiſpiam Cynocephalorum mercedem horum nomine ſic ſcitè tanquam periti pecuniarum coactores exigebat, & id quod dabatur in marſypium, quod ferebat appenſum, congerebat. Sybaritas ſaltationem equos docuiſſe iam pridem peruagatum eſt. Elephantorum ad diſciplinas docilitatem antè dixi. Dominorum uſui canes ſeruire, & res domeſticas his planè ſciunt adminiſtrare: & pauperi ſatis ad famulatum eſt, unum poſſidere ca-

nem. Probè autem animalia eorum quæ agunt, memoriam tenent, nec ad memoriã Simonidis arte, nec Hippiæ, nec Theodecti, nec alterius cuiuſpiam de memoria præceptionibus egent. Nam uacca eò proficiſci nouit, ubi ab eius uberibus ad macellum uitulus abſtractus fuerit. Boum ſub iugum mittẽdorum natio, libenter paret. Equus cum freni crepitum, & ſtrata, & cætera ornamenta uidet, tum fremit, & exultans, ungularum ſupploſione obſtrepit, & ex eorum conſpectu, afflatu quaſi furoris ad iter incenditur: uoce equiſonis excitatur, & aures erigit, & naribus inflatis, celerem feſtinationem anhelat, quodam incredibili curſus ſtudio ad currendi memoriam rediens.

De canum beneuolentia erga nutritios ſuos. CAP. VI.

IPhidis filiam poëtæ ita decantant, ut eorũ uocibus theatra perſonent, heroinam illam laudantiũ, ſiue quòd longe multumq; alias mulieres corporis caſtimonia ſuperaſſet, ſiue etiam quia propriæ uitæ coniugem ſuum antetuliſſet. Verũ beſtiæ quoq; exuperantia amoris flagrant, cuius rei teſtimonio ſunt huiuſcemodi, quæ inſequũtur. Herigonæ canis ſuæ dominæ ſepultura affectæ immortuus eſt. Ille uero Gelonis tyranni, nõ à ſepulchro domini ſui, nec ui, nec ullis blandimentis abſceſsit. Dario q extremus regnauit apud Perſas, in ea pugna quam cõtra Alexandrũ ſuſcepit, & cõmiſit, cum à Beſſo & Nabarzane multis uulneribus confoſſus eſſet, & iaceret ſtratus: omnibus mortuum

tuum relinquentibus, canis ab eo educatus ſolus permanſit fidelis, eumq́; tametſi non amplius ſuum altorem, ſicut tamen adhuc uiuentem ſeruauit. Lyſimachi regis canis cum ſe ſeruare quiret, non inuitus eadẽ qua ſuus morte dominus defungi uoluit.

De canibus Aegyptijs. CAP. VII.

ALij quidẽ canes feras, tum inueſtigare, tum etiã capere probe norunt: at uero Aegyptij fugaciſſimi ſunt. Nam cum ea quæ in Nilo degunt timeant, ab his admodum fugitiui ſunt, neque quanuis illuc ſitis ad bibendum eos attrahat, ferarum Nilicarũ metus quiete illos potione ſe complere permittit. Ideo ne quid eorum, quæ infra aquam degunt emineat foras, ipſosq́; obtorta gula de ripa in altitudinem abripiat, non inclinatione corporis abiecta incumbunt ad bibendum, ſed ut primum ad ripam acceſſerunt, feſtinãter, & in tranſcurſu lingua lambentes, rapiunt, ac certe, ut ita dicam, potionem furantur.

De canum ſapientia. CAP. VIII.

RAtiocinationem, & dialecticam, ac ſane partitionem canem intelligere uero proximum eſt, cum naturam omnium rerum habeat matrem inuictam. Mihi uero quiſpiam cum dialecticis imbutus, tum uenandi ſtudio deditus, huiuſcemodi dicebat. Venatica quæ aderat canicula, aiebat ille, cum leporis, qui nuſquam uidebatur, ueſtigijs inſiſteret, cumq́; ea perſcrutans, perueniſſet ad foſſam, dubitabat utrum hoc dextrum an læuum iter ad inſequendum leporem

rem ſuſciperet. Vt uero primũ ſibi uiſa eſt, tanquam differendi perita, ſatis rem perpendiſſe, e ueſtigio foſſam rectà iter faciens tranſiliuit: is autem qui eam ipſam rationem differendi tenere mihi dicebat, ſic colligens ſupra dicta demonſtrare conabatur. Arguta canis, inquiebat ille, primum ſecum conſiderate reputabat, uel hâc, uel iſtâc, uel illâc, lepus in fugã ſe coniecit. Deinde ratiocinabatur, non profecto hâc, nec iſtâc: ergo illâc fugit. Neque fallacibus concluſiunculis mihi errare uidebatur, nam nõ perceptis in ipſa foſſa ueſtigijs relinquebatur leporem foſſam tranſiliuiſſe: recte igitur canis foſſam tranſiuit, ea enim inueſtigatrix diligens erat, & ſagaciſſime odorabatur.

De amore canum erga dominos. CAP. IX.

AMantes dominorum eſſe canes, cum illa quæ antè dixi argumenta ſunt, tum ſanè illud ipſum quod infrà ſcribam. Gelon Syracuſanus cum arctiſſime dormiret, ſe ictum è cœlo cogitabat: Hoc quod ei uidebatur, inſomnium erat. Is etſi dormiebat, inter ſomnium tamen contentiſſima uoce clamabat. Canis igitur quem ipſe alebat, ſimulatq; altoris amici ſui uocem audiſſet, tanquam quodpiam Geloni periculum crearetur, inſidiæq; compararentur, & in lectum maximo impetu proſiluit, & circum dominum conuerſans, uehemẽtiſſime latrabat, uelut inſidiatorem ulciſci cupiens. Gelon cum rei funeſtæ metu, tum canis clamore ſomno quanuis arctiſſimo teneretur, ſolutus eſt.

De

De amore canum erga altores ſuos. CAP. X.

Firmiſſimæ beneuolentiæ quam canes erga altores ſuos habent, illud certe magnam habet declarationem. Romæ bello quodam ciuili Caluus Romanus cum necatus eſſet, huius uiri caput ex hoſtibus nemo abſcindere poterat, cum tamen ſumma contentione ſexcenti certarent, & facinus iſtud conſciſcere pulchrũ ducerent, priuſquã canem quẽ is aluiſſet, interfeciſſent, ei aſſidentem, & beneuolẽtiam erga illum ipſum fidiſſime & amantiſſime ſeruantem, proq́; eodem humi ſtrato, & qui iam extremum ſpiritum effudiſſet, ſic propugnantem, tanquam uirum commilitonem, & contubernalem bonum, & ad extremum amicitiæ obſeruantem. Iam fortiter & præclare factum quod non uir, ſed profecto canis cum bonitate eximia, tum robore animi ſeptus fecit, merito narrandum eſt: Pyrrhus Epirota cum iter faceret, fortuitò incidit in canem, cadaueri domini ſui adiacentem, & illud ipſum cum ſumma diligentia cuſtodientem, ne quis poſt mortem uiolaret, atque imminueret. Is autem iam triduum ferens inediam, diligenti cuſtodia aſſiduus illud ſeruabat. Hoc ſimulatq; Pyrrhus intellexiſſet, hunc quidem miſeratus, ſepultura affici iuſſit: cani uero plenum cibum ad ſe amandum allicientem dedit, paulatimq́; illum allectans abduxit, atque adeo attraxit. Sed hæc quidem hactenus. Poſt paulum cum exercitus luſtraret Pyrrhus, militesq́; recenſeret, & uero canis adeſſet: is non manſuetus ſo-

lum,uerum cætera quàm tacitus erat. Vt uero in recenſione militum interfectores domini animaduertiſſet,tum non ſe continuit, quin uaſto latratu, in eos ſe rumperet, atque unguibus laniaret, ſimul & ſe ad Pyrrhum conuertens quoad poterat, teſtem in hanc rem citabat, quod homicidas teneret, latratum religioni habuit Pyrrhus,eiq́ in ſuſpitionem, & circumſtantibus hi uenerunt de uiri morte. Itaque quæſtione adhibita, ea quorum accuſarentur confeſſi ſunt. Non ita homines amicitiarũ cultores, qui omni ſodalitatũ ſanctitate ſpreta, amicos ſuos, cum uiuos, tum mortuos produnt. Quid commemorem, qualia facinora contra amicos de retinendo lucro admittant, quot inſidias faciant,quas proditiones moliantur, ut profecto uehementer doleam,hominibus,fideliorem & amantiorem canem inueniri.

De laboris patientia canum. CAP. XI.

ELate ampleq́ nunc ſentiant Pæoniæ mulieres, illaq́ præclara facinora facientes magnos ſibi ſpiritus ſumant,quòd uno tempore,partim capite urnã aquæ plenam ferant, ita ceruicem erigentes, ut ipſis ingredientibus,immota urna permanens, nulla inclinatione propendeat,partim infantem puerum è ſinu ſuo appenſum lactent, ſimul & habena in brachium inſerta mariti equum ad aquam ducant, ſimul & manibus linum neant. Darius magna admiratione affectus eſt,cum ei ius dicenti ſuam ſororem, cum procera ſtatura,tum forma præſtantem Pæones eam quomodo

modo antè dixi exornantes adduxiſſent, ut ex eius cõſpectu Darius ſub iugum ſuum mittere Pæoniam aggrederetur, ſtudio adductus, tam operoſæ nationis. Verum natura ad greſſum quantò præſtantior canicula, cum enim uenaretur, quanuis uentrem ferret, leporem cepit, eaq; iam capta præda, ſtatim domino cedens ſeceſsit, atq; quàm mox nouem catulos peperit, quos aluit poſteà. Quod ſi Aegyptij eò magnificẽtius ſentiant, quòd eorum uxores à partu ſtatim è lecto ſurgunt, ad obeũda domeſtica munia antè dictæ canis factum audientes, remittant ſpiritus inflatos, animiq; tumorem comprimant.

De canum uigilantia. CAP. XII.

DE mulo ſupra ætatem ſuam laborioſo, ſimul & de cibo publico ei ab Athenienſibus decreto, cũ Ariſtoteles meminit, tum uero nos quodam loco commeminimus. Quod canis uigilanter quoque & fortiter, non modo pie & humaniter Athenis fecit, non alienum eſt cõſuetudine noſtra, inſtitutoq; opere declarare. Sacrilegus primum obſeruato tempore intempeſto, cum dormientes arctiſsimus ſomnus complexus eſſet, de multa nocte intra Aeſculapij templum ingreſſus eſt: deinde ut permulta donaria ex æde ſurripuiſſet, re iam, ut putabat, confecta, diſceſſum parabat. Excubitor canis intus aduigilans ad templi cuſtodiam, æditimis qui noctu ad ſacras ædes uigilias agebant, multo uigilantior expilatorem, di-

reptoremq́ inſequebatur, quàm maxime poſſet exſpilationem direptionemq́ horribili fremitu ſuo prædicans. Fur primum ſaxis lapidatione facta, canem appetebat: deinde ubi is latrare non deſiſteret, illum allicere conabatur, panes & offas canum illecebras obijciens: uerum cuſtos incorruptus canis, uel fur cum euaſiſſet in domum ſuam, uel cum inde exiret, ſe illi implacabilem, inexpiabilemq́ præbens, furem latrare non deſinebat. Tandem intellectum eſt ubi canis eſſet, ac ſimul animaduerſum quæ ornamenta deeſſent: Is ex hac canis uociferatione eſſe, qui tale furtum feciſſet, in Athenienſium ſuſpicionem adductus eſt: atque ut uerberibus & tormentis in eum quæſiuiſſent, totam rem cognouerunt. Itaque ex lege hic capite damnatus, extremum dedit ſupplicium. Cani uero cibus publice præbitus, & publicæ curæ, ut fidus cuſtos habitus eſt: nempe qui æditimorum nulli inferior uigilantia fuiſſet, fide etiam ſuperior.

De canum odio in adulteros. CAP. XIII.

QVemadmodum adulteris obtrectet, & inuideat Porphyrio, animal etiam prudentiſsimum, non modo moderatiſsimum, alibi ſi bona memoria ſum, me dicere memini. Iam uero caniculum Siculum adulteris infeſtiſsimum fuiſſe auditione accepi. Cum adultera mulier coniugem ſuum peregre redire audiſſet, illum qui cum ea ſtupri conſuetudinem haberet in latebras bene penitus, ut ipſa putabat, occultauit, uerum etſi ex ſeruis non lautiſsimi modò, ſed & ianitores

ianitores pecunia corrupti, cum dominam ad occultationem adulterij iuuabant, tum adultero confidentiam ad inferendum ſtuprum afferebant. Tantum tamen huic mulieri hæc aſtutia abfuit ad præcauendũ, ut certe perparuus canis partim locum illum, quo adulter abdebatur latraret, partim pedibus fores conſtupratoris, receptatrices eousq; conuellere adoriretur, domino ut non mediocris terror inijceretur, ex eoq; ſuſpicaretur ibi malum aliquod latere. Quare fores effregit, adulterum comprehendit, qui eo animo cinctus gladio noctem expectabat, ut primo dominum domus interficeret, deinde uero, quam antè dixi, uxorem duceret.

De amore canum in nutricios ſuos.
CAP. XIIII.

CAnum beneuolentiæ proprium in altores ſuos illud de uiro Colophonio teſtatur: Is ad nundinas proficiſcens, uti quædam ibi emeret, nam eius in mercaturis faciendis uerſabatur induſtria: pecuniã, ſeruum, & canem ſecum accepit. Ac quidem ſeruus, qui eam ipſam pecuniam ferebat, cum uiæ aliquantum proceſsiſſent, ad deijciendam aluum ex inſtituto itinere diuertit, quem ſecutus eſt canis, is poſtquam neceſsitati dediſſet operam, è terra marſypium tollere oblitus, diſceſsit. At uero canis ibi remanſit marſypio incubans: deinde ſimul ut ad emporium, dominus & ſeruus ueniſſent, re infecta, cum nummi eis abeſſent ad emendum, eadem uia qua profecti fuiſſent, reuer-

terunt: atque cum eò ueniſſent, unde prius ille diuertiſſet, de recta uia ab itinere ſuſcepto deflexerunt, eodem ubi ſanè nummos ſeruus reliquiſſet. Vbi canem marſypio incubantem, præ fame uix ſpirantem offendunt, qui uix dum dominum & conſeruum ſuum uiderat, cum à marſypio ſe remouens uno & codẽ tempore, & cuſtodia & uita exceſsit.

De Indicis canibus. CAP. XV.

EX Indicarum rerum ſcriptis, de his quæ ſubſequuntur docemur, canes fœminas multò generoſiſsimas, tum ad inueſtigãdas feras narium ſagacitate præſtantiſsimas, tum uero ad curſum uelociſsimas in loca ubi tigridibus eſt habitãdi cõſuetudo, uenãdi rationibus eruditi, perductas ut primũ ad arborẽ alligarunt, aleamq́ ut uulgò dicitur, iecerũt, diſcedunt. In has autem tigres incurrentes uenationis inopia, ex fame laborantes lacerant, ſi autem ad libidinem inflammati, & cibo completi ſint, cum canibus complexu uenereo iunguntur: nanque illi quoque cum ſunt exſaturati, uenerem meminerunt. Ex hac quidem tigridum conſuetudine cum canibus, tigris quidem non generatur, ſed ſemen ad deteriorem delapſum, maternum genus referens, canis efficitur. Ii canes tigride patre nati, ut uel cerui, uel apri uenatum præclare ſpernunt, ſic cum in leones incurrunt, gaudio uehementi exiliunt. Summa Indus nobilitate homo Alexandro Philippi regis filio, horum

rum roboris canum, ſic periculum fecit, ut primo ceruum emitteret, canis ex eo loco, ubi quieſcebat, eum deſpicatiſſimum habens, nihil ſe commouit, deinde ad aprum dimiſſum, quemadmodum affectus fuerat, in ceruum immotus permanſit: tum uero ubi urſus immiſſus fuiſſet, æque hunc, atque alios deſpicatui ducens, ab eo inuadendo ſe tenuit, ad extremum hic leonem quem protuliſſent in medium, ut uidit, cum ira exarſit, ac profecto tanquam iuſtus hoſtis in certamen deſcendiſſet, ſine mora intrepidus inuaſit, atque acerrima comprehenſione, leonem conſtrictum tenens, illius fauces premebat, & ſuffocabat. Tum Indus, qui hoc ſpectaculum regi præbebat, quiq; probe ſciebat eius robur animi & conſtantiam, primum huic caudam abſcindi iuſsit, is præ ipſo leone, quem mordicus tenebat, ſibi caudam facile abſcindi patiebatur: deinde etiam crus unum ſuffringi imperauit. Is uero æque ut à principio urgebat, & perinde nihil remittebat, quaſi alienũ crus, & ad ſe nihil pertinens ſuffringeretur. Poſt alterũ, unde quoq; is nihil commotus arcte tenebat, tum tertium incidi præcepit, is ſimiliter ut antè nihil ſe relaxauit à retinendo leone: tum etiam quartum crus abſcindi uoluit, is nihilo remiſsior factus, nihiloq; minus leonis retinens maximo robore ad eius perniciem incumbebat. Deniq; etſi caput à reliquo corpore abſciſſum erat, illius tamen dentes, ex illa leonis parte, in quam primum defixi fuiſſent, pendebant ſimul, & quanuis is

qui eos in initio defixiſſet,iam mortuus eſſet, eius tamen ipſius etiã nunc ex leone appenſum caput ſublime ferebatur. Hic cum Alexander non mediocri dolore afficeretur,ipſius admiratione uirtutis obſtupefactus,quòd is qui tale uirtutis experimentum dediſſet è uita,quàm ex robore animi cedere maluiſſet. Quare Indus uidens Alexandrum ex huius caſu dolorem non mediocrem cepiſſe, quatuor canes huic ſimillimos illius donauit:ille cum grato & iucundo animo eos munere accepit : tum uero eum ipſum qui dediſſet tanto precio, quanto par eſſet præſtantiſsimum regem,remuneratus eſt. Itaq; horum quatuor munere Alexander ex memoria dolorem quem ex primo ſuſcepiſſet,depoſuit.

De fide quam canes uenatoribus in uenando ſeruant. CAP. XVI.

OMnis canis uenaticus ex eo quòd ceperit feram, non mediocri uoluptate afficitur, & tanquam præmio,ſi dominus ei permittat, ſic ea capta utitur. Si quidem non conceditur,beſtiam ſeruat,quoad uenator aduentarit,de totaq; captura pro ſuo arbitratu ſtatuerit. Quòd ſi mortuo uel apro uel ceruo inciderit,non attingit quidem, nec enim alienis ſe laboribus adſcribit,nec quæ ad ſe non pertineant,ſibi aſſumit:ex quo apparet ęmulationũ uirtutis natura eum non expertem eſſe.Nec enim carnes quærere, ſed uictoriam amare uidetur. Nec iam alienum eſt explicare, quid uſu uenãdi peritus canis agat, in eo ipſo temporis

poris articulo, cum uenatur longo uenatoris uinculo alligatus. Antecedit, & ſilẽtio odoratur ſimul, & quãdiu nulla ei præda occurrit, ante uenatorem præcurrit, quia ſuo ſenſu narium acerrimo ad ſenſum uenationis percipiendum habilior exiſtat, atque alacribus & promptis ad inueſtigandum naribus mangnos uenandi proceſſus efficiens, uenatorem ad pergendum ire ulterius attrahit, & allicit. Si uero ueſtigia deprehẽderit, et quodã beſtiæ ſenſu afficiatur, hic ſe ſubitò retinens, ſiſtit pedem, & quod uenationis prouentus prope ſit, gaudio perfuſus uenatori blanditur. Eò ille cum proxime acceſsit, eius oſculatione pedum, & cõplexu inuitat ad prædam. Ac ſimul ad inſtitutam uenationem incumbere perſeuerat, & pedetentim uſq; eò procedit, quoad ad cubilis locũ peruenerit, quem ultrà non progreditur. Quo animaduerſo canis dux, propria uenatorum ſignificatione prædã adeſſe, his qui retia ferunt denuntiat, hi autẽ retia circumijciũt, canis intelligens uoce opus eſſe, ad excitandam ferã, latrat, ut ex fuga in caſſes incidens comprehendatur. Ex hac porro capta, canes quemadmodum uiri, qui ex pugna uictoriam retulerint, ſic exultat lætitia, triũphat gaudio, & quaſi uitulatur. Hæc de captis apris, & ceruis agunt canes.

De canum rurſus amore in dominos ſingulari. CAP. XVII.

CVm Hircanis & Magneſijs canes quaſi ſocietatem bellorum gerendorum inire ſolebant, hiſq;

maximo ad bella inferenda, adiumento erant. In pugna ad Marathonem commiſſa cuiuſpiam Athenienſis canis, ſumma contentione illi tulit auxilium, ac ſimul ex ea actione uterq; in uarijs ſcriptionibus honoris memoriam conſecutus eſt. Hoc ſanè admirabilis canum amoris exuperantiam declarat. Cum Polus, cuius dum uiueret munus erat tragœdias agere, animam quoq; egiſſet, & antiquo more cremaretur, canis eius alumnus in medios rogos ſeſe immittens, uiuus unà cum altore ſuo exuſtus eſt. Rogo etiam eodem in quem Mentor impoſitus fuiſſet, huius canes uoluntariam mortem ſibi conſciuerunt. Vt uero Teododorum ſaltatorem ſui propinqui, in ſepulchrum impoſuiſſent, eius Melitenſis catellus, ultro ſeipſum in cadaueris tumulum inijciens, pariter cum domino humatione & ſepultura affici uoluit. Natio Aethiopum eſt quæ canem, & habet regem ſuum, & illius etiam appetitui paret, ſi adulatur, eum nõ iratum eſſe credunt: ſi latrat, iram agnoſcunt: tũ etiam uellicationes, ululatus, diſcurſus coniectantes, ei obtemperant.

Qua ratione ſe curant, & ſanant. CAP. XVIII.

CVm redundantia canis uexatur, herbam in macerijs naſcẽtem nouit, qua comeſa, omne id, quo affligitur, cum multa pituita & bile euomit, ſibíq; hęc uomitio ſalutem affert, ſine ullius medici opera, quo ad expellendam bilem nihil ei opus eſt: rabiem hæc niſi tollatur, facit. Lumbricis uexatos Ariſtoteles ait herbam edere. Si uulnus acceperint, cum uulnerum obliga

obligationibus,tum pharmacorum temperationibus multam ſalutem dicentes lingua, hinc medicinam faciunt,atq; ad ſalutem plagam reducunt. Nec uero canem illa fallunt, quod etſi fraxini fructus ad pinguitudinem perducit ſues, ſibi tamen dolorem uertebræ coxarum contrahit. Itaq; uidens ſuillum pecus illius fructu exſaturatum,ab his recedit: contra autem homines ratione præditi, recte admonentibus non obtemperantes , pernicioſis ſæpe rebus immoderate abutuntur.

Quemadmodũ ius primigenium maximo natu ſuo catulo canis largitur. CAP. XIX.

CAnis etſi permultos ex ſeſe parit catulos, horum tamen è numero primus prodiens in lucem patrem refert,omninoq; ſimilitudinem,ſpeciemq; illius gerit: cæteri ut caſus tulerit, naſcuntur. Quod ſtudio & prouidentia naturæ fieri uidetur,cum matri anteſerentis patrem,tum cæteris catulis primigenium longe anteponentis.

De cane Eupolidis comici. CAP. XX.

EVpolidi poëtæ comico Augeas Eleuſinius munere donauit canem, non modo genere moloticum,ſed etiam forma præſtantem, quem eodem nomine Eupolis, quo Augeas erat , appellauit. Canis iam nomine Augeas, cum longa conſuetudine, tum uero ciborum illecebris allectus,& blanditijs, diligebat dominum, ut præclare oſtendit, cum aliquando ſeruus nomine Ephialtes dramata quædam Eupoli-

dis domini ſui ſurriperet. Tum non latuit canem furax ſeruus. Is itaq; acerrimo impetu, crudeliq; incurrit in hunc direptorem, mordicusq; comprehendens interfecit. Poſt autem aliquanto in Aegina Eupolis exceſsit è uita, ibiq; eius corpus ad ſepultura datum fuit. Huius uero canis morti illius ingemiſcens, non tantum ululatu primo illius exceſſum è uita luxit, ſed deinde mœrore inediaq; extabuit, in odiumq; uitæ adductus ex altoris ſui morte, extinctus eſt. Ex eo locus hic, ad huius caſus memoriam conſeruandam, canis luctus appellatur.

De natura canis, & quare ipſum uenerantur Aegyptij. CAP. XXI.

HAec etiam de natura canum accepi: catulos naſci cæcos, à partuq; tredecim primis diebus ita oculis affectos eſſe. Poſtea tamen acerrimo oculorum ſenſu eſſe. Eum ipſum Aegyptij uenerãtur, ex eoq; legem quampiã uocitarũt: cur id faciant, duplicem cauſam afferunt: Alteram, quòd cùm Iſis uſquequaq; Oſyrim quæreret, canes præcurrẽtes, partim unà cũ ipſa puerũ inueſtigare conarentur, partim feras reprimerent. Alterã, quòd cùm ſtella canis (quem Orionis fuiſſe fama celebratũ eſt) exoritur, tum cum ipſo pariter Nilus ſeſe attollẽs irrigationẽ in terram Aegyptũ inuehit, in agrosq; redũdat. Quamobrẽ canem ut fertilis aquæ conciliatorem Aegyptij uenerantur.

Quemadmodum ex Democrito Sus & Canis animalia multipara. CAP. XXII.

Cur

CVr Sus & Canis ſint tam fœcundæ,& multiparæ, Democritus cauſam affert, quòd multiplicē uuluam, & ſeminis ſellas receptatrices multas habeant: eas omnes ſemen non uno initu explet,ſed iterum & ſæpius eæ proſeminantur,ut frequentia ſeminis receptacula impleantur. Mulas idem non parere ait, nec enim ſimiles alijs uuluas animalibus habere, itemq́ ex diuerſis animalibus procreatas minime cōcipere quire:nec enim mulas eſſe naturæ opus,ſed humanæ machinationis, ut ita dicam, adulterinum inuentum,& furtum mihi uidentur:quod fecit Medus aſinus, cum uim æquæ inferens, fortuitò grauidam reddidiſſet, homines poſtea huius uiolentiæ diſcipulos factos, in conſuetudinem procreandi adduxiſſe. Libycorum aſini maximi non equas comatas ſupergueniunt, ſed duntaxat tonſas, nec enim has cum ornamento ſuperbientes harum rerum periti aiunt eiuſmodi maritos pati.

Vt ſint ducendi Canes. CAP. XXIII.

XEnophon de canibus hæc ait, per montes eos agitari oportere,ſic enim minus libidine incenduntur: limites tranſuerſos cultorum locorum, & in liras digeſtorꝫ eis negotium exhibere,pedumq́ offenſiones inferre. Multo enim idē præſtare ait, per aſpera canes agitare, robuſtioribus enim fieri pedibus, & ad curſum præſtantiores, corpora exercentes: tum uero ad meridiem hos æſtiuo tempore agitandos

eſſe: hyeme per totum diem, autumno poſt meridiē, uere autem ad ueſperam: Itemq́ leporis ueſtigia multum hyemis tempore procedere, propter longiores noctes, parum autem æſtate, quia ſint tum noctes contractiores.

De amore Canis in dominos. CAP. XXIIII.

PRæter ea equidem quæ ſuprà dixi, Xanthippi canes domini perſtudioſos fuiſſe eo tempore, cum ingenti bello Perſarum in Græciam exardeſcente Athenienſes ex oraculis inſtinctu diuino afflatuq́ editis, relicta patria, in claſſem demigrarunt: tum huiuſce, quem modo nominaui canes unà cum domino tranſmittenti, ſe ipſi ex Attica in Salamina traiecerunt.

De canibus Cynamolgorum Indiæ populorum. CAP. XXV.

IN his libris, quos Cnidius Cteſias de rebus Indicis conſcripſit Cynamolgorum gentem, ait canes permultos, magnitudine Hircanis canibus pares, alere ſolere. Quamobrem ſit hæc natio tam canum ſtudioſa, cauſam idem affert. Cùm ab æſtiuo ſolſtitio ad mediam hyemem, tanquam apium examina, quæ ad alueos frequentes uerſantur, ſic armenta numero ampliora boum ferorum eos cornibus uehementer incitata appetant & noceant, hi non aliter hæc retundere ualentes, canes quos magna cura aluerunt, in ipſos immittunt, qui facile boues debellent, & interimunt. Deinde antè commemorati

homines,

homines,quas eſculentas carnes exiſtimant,ſibi auferunt,reliquas canibus impertiunt,libenterq́ communicant. Reliquo anni tempore cum non amplius eò boues accedunt, ad uenandas alias feras ſecum ducunt. Iccircoq́ Cynamolgi appellantur, quòd à canibus lac exprimunt mulctra, tum uero ſic idipſum quemadmodum nos uel ouillū uel caprinum bibūt.

De canibus. CAP. XXVI.

CAnibus contra morbos, quibus tentantur, herbam natura præſtantem dedit, nam ſegetem herbeſcentem, ſi lumbricis uexantur, depaſti eoſdem expellunt. Cum autem utrunq́ uentrem exhaurire habent neceſſe, herbam dicuntur quandam comeſſe, cuius ui partim euomendo, partim deijcienda aluo ſuperfluentes cibos eijciunt. Vnde Aegyptios aluos purgare didiciſſe ferunt.

De canum libidine. CAP. XXVII.

CAnes etiam cum mulieribus ueneris conſuetudinem habere deprehenſi ſunt. Nam Romæ mulier adulterij accuſata à marito fuiſſe dicitur: Adulter in iudicio canis eſſe prædicabatur. Inter canes cibi nulla eſt ſocietas, ut perſæpe de oſſe inter ſe ſic lacerent & diſtrahant, quemadmodum de Helena Paris & Menelaus. Solos uero Memphiticos canes in medium auditione accepi rapinas proponere, & cōmuniter uiuere. Maxime omnium animalium canes defixis oculis deorum ſimulacra intuentur.

De canis ſtudio erga homines. CAP. XXVIII.

GLaucam citharœdam à cane amatam fuiſſe audio: alij dicunt non à cane, ſed ariete: alij ab anſere. Atque apud ſolos Ciliciæ populos puerum, cui nomen eſſet Xenophon, canis amauit, aliumq́ adoleſcentem in Sparta ob ſpeciem gracculus amauit. Canem maxime omnium animalium hominis amantiſſimum dicunt. Cum homini occurrit, eum declinat, reuerentia quadam & pudore ductus, cum uero iniuria affectum hominem ab alia fera perſpexerit, tum ei auxiliatur. Ac Nicias quiſpiam ex uenatoribus, cum de improuiſo in carbonariam fornacem lapſus fuiſſet, canes qui cum eo erant hoc intuentes, non illinc diſceſſerunt, ſed primo circa caminum ingemiſcentes, & ululantes commorabantur: tandem prætereuntes leuiter, & ſenſim morſu ueſtium attrahebant ad id quod accidiſſet, tanq́ auxiliatores domino ſuo implorantes homines. Vnus igitur uidens hoc idem, ſuſpicatus eſt id quod erat, & ſecutus eſt canes, inuenitq́ Niciam in fornace deflagratum, ex reliquis coniectauit rem ipſam.

GILLII ACCESSIO.

De canibus Scytharum. CAP. XXIX.

IN Scythia canes cum aſinis, in magnitudinis comparatione coniunguntur, quibus ad uehicula rotis carentia mercatores utuntur, ac duo homines in uno uehi poſſunt: quod ipſum ad lutulenta conficienda itinera inuentum eſt. Sex igitur canes ad uehiculum ordine

ordine ligantur, ij quocunq; ab auriga, qui unà cum mercatore, in uehiculo ſedet, dirigũtur, cò plauſtrum euehunt, & lutum trãſmittunt. Vnum iam diem amplius laborem ferre non poſſunt. Itaque his laſſis recentes atque integri canes ſuccedunt, necq; tamen magna onera imponuntur, ſed duntaxat negotiatorem, & aurigam & pellium faſciculum uehunt. Ergo unoquocq; die negotiator habet tandiu neceſſe commutare canes & aurigas, quoad ad montes, ubi emat pelles, peruenerit. Præterea hæc mihi de canibus dicere nunc uenit in mentẽ. Cretica canis expeditiſsima, ſaltuq; maxime ualet, ut Cretenſes teſtantur, & fama peruagatur. Ex canibus maximi animi eſt Moloſſus, quia acriter animoſi ſunt Moloſſi uiri. Carmanius uir, & canis eiuſdem nationis, animo agreſti atque adeo duro, immanſueti ac feri exiſtimantur, ut natura manſuefieri nõ queant.

FINIS LIBRI III.

LIBER QVARTVS DE NATVRA ANIMALIVM.

GILLII ACCESSIO.

De equis. CAP. I.

CVM equorum totidem genera ſint quot hominum, dicam qui ſint præſtantiſſimi. Tyrrheni, Siculi, Achæi, Cappadoces, Mauri, Scythę, Magnetes, Epeæi, Iones, Armenij, Thraces, Erembi. Ex omnibus maxime egregium equum periti ſcientiæ equeſtris dicũt, qui hoc habitu ſit: Paruum & excelſum caput attollat, eius mentum ad collum annuat, lata ſit & alacris frons, ex uertice ad frontem crebri pili concutiãtur, ac oculis acutis & igneis præditus ſit, latis naribus, exiguis auribus, collo incuruo, amplo pectore, longo corpore, lato dorſo, duplici ſpina, clunibus pinguibus, excurrat à tergo prolixa cauda, fœminibus bene compactis & muſculoſis, cruribus rectis, longis, & perinde ut ceruorum gracilibus, talus flectatur in orbem, unguibus rotundis ſit & à terra altis, multo cornu, craſſis, duris: huiuſcemodi mihi ſit equus ad bellum deſtinatus. Tyrrheni tales ſunt, & Armenij. Magnam autem admirationem habet, quod animaduertitur in equis Cappadocibus, iuuenes corpore infirmo eſſe, cõtrà fortiores & uelo-

ciores quanto magis ſeneſcunt: illos tum in atrox bellum compara, & cōtra feras bellicoſas. Iam quis non miretur equorum robur, qui conſtantiſsime intueātur exercitus militum, & fulgentia arma non exhorreſcant. Quid quòd noſcant quando conſiſtendum ſit, quando rurſus irruendum: ac nimirum præclare intelligūt militare ſignum, mirificoq; quodam ſenſu hoſtem inſtantem, uel longinquo interuallo præſentiunt. Solertis enim naturæ munere, cauto & prudēti animo affecti ſunt, ſuum ſeſſorem cognoſcunt, & ad eius conſpectum hinniunt, illiusq; caſum in bello grauiſsime dolent. Iam quanto ardore ſint in pugnādo Tiberij equus declarat, qui in pugna ore flammas interdum emittere cernebatur. Inſtituti in theatris ſe inclinant & erigunt, & ſaltatorios motus, uel homini ipſi difficiles, memoriter imitātur. Omnium uelociſſimi Siculi, & Libyci: Siculis ueloclores, Armenij & Parthi: Parthis autem pedum celeritate Hiſpani præſtant, at exiguo robore ſunt, & corporis, & animi: & paucis ſtadijs eorum uires deprehenduntur. Egregia tamen ſunt formæ pulchritudine. Maurorum equi maxime omnium excellunt, ad longum curſum conficiendum, & graueis labores tolerandos. Poſt hos Libyci longo curſu ualent, & ad ſolis ardores & meridianam ſitim ſuſtinendam præſtant. Equi commodi, alij ad alias feras inſectandas uarijs pedibus: & cęſijs oculis contra ceruos accommodati ſunt, contra urſos glauci, contra pardaleis ruffi, contra apros ni-

gri, contra leones cęſijs oculis ornati. Inter omneis pulchritudine maxime illuſtris eſt Niſſenſis equus, exiguo capite, & denſa iuba: eo propter mollem ſeſſionem, & parendi facilitatem, reges utuntur.

De Lycoſpadibus equis. CAP. II.

EQui Lycoſpades nuncupati, Græcorum hominum cum ſtudioſi eſſe dicuntur, tum de huiuſcemodi hominum genere mirificam notionem habere, ut naturali quodam ſenſu ad eos amandos afficiantur: neque enim palpantibus ſe offenduntur, neque reſiliunt, ſed tanquam conſtricti tenerentur, totum diem cum ijs traducunt, atque ſomnum prope eoſdem capiunt. Sin ad ipſos barbarus accedit, quemadmodum ex ueſtigijs ſagaciter odorantes canes feras percipiunt, ſic eos equi cognoſcunt, & clamorem tollunt, & tanquam ſanè feram beſtiam extimeſcentes, dant ſe in fugam. Iam porro ijs ad quos aſſueuerunt, & pabulum obijcientibus mirifice oblectantur, maxime aurigis formoſi uideri ſtudent, quod quidem ipſum cum natant oſtendunt: tum enim in aquam bene penitus procedunt, ut & nitidum os efficiant, & ne ſordidum quippiam ex præſepi, aut de uia illi tum deformet ſpecioſum nitorem, ac odorati unguenti ſuauitatem. Homeri & Simonidis teſtimonio, in amore, & delitijs habere exiſtimantur.

GILLII ACCESSIO.

Cur Lycoſpades equi animoſi dicuntur. CAP. III.

LYcoſpadas alij ideo dicunt à frenis lupatis appellari, quòd his effrenationem eorum præcipitem ſeſſores moderentur. Plutarchus ex parentis ſui ſententia exiſtimat hos optimos & uelociſsimos eſſe, qui à lupo appetiti, ex eius faucibus euaſerint: quod ipſum dubitationem habet, cur ij quos lupus morſicus preſſerit acriter animoſi efficiantur, cum feræ beſtię morſus, terrorem potius, quàm animum facere uideatur: & timidi effecti, quemadmodum feræ tendiculis attentatæ magis inſidiarum metuentes ſunt, ita hi à currendi celeritate ſeſe ſuſtinent: Quamobrem dicimus huiuſcemodi equos non ex eo magis ad currendum præſtare, quòd cum pulli eſſent ex lupis euaſerunt, ſed quia animoſi, & ueloces natura eſſent, propterea effugiſſe. Neque enim Vlyſſes iccirco prudens factus fuit, quòd ex Cyclope effugiſſet, ſed quòd prudens eſſet, ideo ex Cyclope elapſum fuiſſe.

Quemadmodum equi carent palpebris inferioribus. CAP. IIII.

QVia palpebris Equi in gena inferiore carent, propterea Apelli Epheſio qui equum quempiã pinxiſſet, reprehenſionem attuliſſe ferunt. Alij non Apelli hoc accidiſſe, ſed Niconi aiunt, cum tamẽ ſcien

tiſsime reliquas cæteras equi partes pinxiſſet: hanc partem illi uitio uerſam fuiſſe.

De Equorum lauatione. CAP. V.

EX ijs qui equinæ tractationis periti ſunt audiui equum delectari lauatione & unguentis. Simonides in Iambis dicit Perſas poſt Cyri pugnam in Lydia camelos ſimul cum equis alere, equorum metum, ex camelis conuictu conantes expellere.

Equi Indici ad domandum difficiles.
CAP. VI.

INdicum equum exultantem, & immoderatius excurrentem continere & coërcere, habenas adducere, uel remittere non eſt cuiuſuis, ſed hominum qui à primis temporibus ætatis ad rerum equeſtrium ſcientiam inſtituti ſint: hi freno ipſos ſuſtinere aſſueuerunt, ſimul & refractarium lupatis refringere, quos quidem equinæ tractationis bene periti, ex indomita effrenatione in exiguum gyrum compellũt: Veruntamen ad hunc gyrum agendum, atque ad conficiendum orbem manuum robore opus eſt, & ſumma rei equeſtris ſcientia. Qui huius diſciplinæ ſunt experientiſsimi, & callidiſsimi agitatores, currum uerſare in orbem plane norunt: cuius certamen non eſt contemnendum, præſertim cum duos milites pugnantes ferre queat.

De equis Libycis. CAP. VII.

De

DE Libycis equis hæc ex hominibus eiuſdem gentis audiui: equorum uelociſsimos eſſe, nullo laboris ſenſu affici, ex habitus gracilitate & tenuitate macilentos eſſe, totosq́ ex ſeſe aptos exiſtere ad fortiſsime ſuſtinendam dominorum negligentiam, pabulum enim dominos eis nec largiri, nec eos cum laborauerint ſtrigile perfricare, nec eis cubilia ſubſternere, nec ungulas expurgare, ſed ſimulatq́ iter inſtitutum cõfecerunt ex equis deſilientes, hos ad paſtiones dimittere, atque ita homines Libycos grandi macie cõfectos, & ſqualore ſordidos huiuſcemodi equis uehi. Medos contra homines habitu corporis opimo, & luxu ſimiliter atque illorum equos diffluentes adeo niteſcere, ut pariter cum dominis equos, & magnitudine corporis & pulchritudine, atque adeo lauto extra corpus cultu delectari, & magnitudinem & pulchritudinem ſuam ſentire uideantur.

Quemadmodum equi rabie incitantur bibentes ex Coſſinito flumine, & fonte Potniæ. CAP. VIII.

EQuos efferari & rabie inflammari ferunt, bibentes ex Coſſinito flumine Thraciæ, qui defluit in Biſtonicũ ſtagnum, ubi Diomedis Thracis, qui immanes equos habebat, quos Hercules expugnauit, regia olim fuit. Ex eodem morbo laborare dicunt equos bibentes de fonte Potniæ, qui non longe ab urbe Thebis abeſt. Itemq́ Horotas & Gedruſios fama eſt tanquam fœnum piſces equis edendos obijcere. Celtas audio, boues & equos piſcibus alere. Et nõ

nulli quoq; teſtantur, Macedones & Lydos piſcibus equos ſuos paſcere, ac nimirum oues Lydiæ & Macedonicæ ex eiſdem pingueſcere dicuntur. Apud Myſos cum equinum genus coit, quidam uelut Hymenæum quendam nuptijs præcinunt, & cantus ſuauitate permulſæ, equæ grauidæ fiunt, & formæ pulchritudine, eximios pullos ex ſeſe pariũt: iam uero equos ætate affectos aiunt pullos cum cæteris in rebus debiles, tum pedibus infirmos procreare ſolere, ſi caſu equus lupi ueſtigium conculcet torpore comprehenditur: ſi item lupi calcaneum equi quadrigam trahentes conculcent, ſiſtentur tanquam ij cum quadriga conglaciaſſent.

Quemadmodum per ſe equos audaces & bellicoſos efficiunt. CAP. IX.

NE armorum fremitum, & gladiorum ad clypeos reſonantium crepitum equi extimeſcant, eos ad ſtrepitum & ſonitum aſſueſcere cogunt, armataq; cadauerum ſimulachra ſub ipſum fœnum ſubijciunt, ut cæſorum conſpectum in bello ferre conſueſcant, ut ne rerum terribilium metu affecti, ad rem militarem inutiles ſint. Quod quidẽ ipſum Homerus haud ſane ignorauit, cum Diomedem quidem in Iliade ſcripſit Thraces iugulare: Vlyſſem uero interfectos pedibus ſubtrahere, ne in cadauera incurrentes Thraces equi formidine perterrerentur: atque ad hæc ipſa inſueti, ut per formidoloſa quædam ingrediẽtes præcipiti effrenatione efferrentur. Ii etiam ad diſcendum dociles

dociles ſunt, neque rerum memoriam, quas percepe- runt, ulla obliuio delet.

De Scythico equo coacto coire cum matre. CAP. X.

SCytharum regem, cuius nomẽ, quod nihil ad rem pertinet, ſciens prætereo, equam habuiſſe audio, omni uirtute, quæ ab equo præſtari queat ornatam, tum huius quoq; habuiſſe pullum, cæteris equis uir- tute præſtantem. Cum igitur equum alium non repe riret, dignum qui huic ipſi equæ admitteretur, niſi eiuſdem pullum, ambos in eundem locum coëgiſſe. Veruntamen eos cæteris quidem in rebus inter ſe amanter geſſiſſe, & libenter uerſatos ſimul fuiſſe, non tamen ad coitum perueniſſe, quoad per inſidias ad- miſſarij ueſtimẽtis adumbrati fuiſſent, tum incæſtum ſtuprum admiſiſſe, quod quidem factum primum ut ambo intellexerunt, tam impium flagitium morte diſſoluere conati ſunt: ſeſe enim præcipites agentes, mortem ſibi conſciuerunt.

De Indicorum Pſyllorum equis. CAP. XI.

APud Indos Pſyllos (nam ſunt etiam alteri Afri- ci) arietibus non maiores equi gignũtur. Itemq; oues non magnitudine agnos noſtros ſuperant. Aſi- ni tantuli naſcuntur & ſimiliter muli, boues, & quod illic cunq; beſtiarum perparuulum eſt.

De equis unum cornu habentibus. CAP. XII.

TErram Indiam equos uno cornu prẽditos pro- creare ferunt, quorum è cornibus pocula confi- ciuntur, in quæ uenenum mortiferum coniectum, ſi

quis biberit, nihil graue, quòd cornu repellat malum ipſum perpetietur.

De beneuolentia equorum erga nutri-
cios ſuos. CAP. XIII.

SI accurate & liberaliter tractetur equus, cum beneuolentia erga eum qui ſibi benefecit, cumq́ amicitia acceptum beneficium compenſat. Iam quod longe lateq́ peruagatum eſt, qualis in Alexandrum Bucephalus fuerit, propterea nihil mihi iucunditatis ad narrandum habere uidetur. Antiochi item equum prætereo, qui ut dominum ſuum ulciſceretur, Gallo nomine Centoarati, qui Antiochum in pugna interfecerat, necem intulit. Socles formæ pulchritudine egregius Athenienſis, quem mihi permulti ignorare uidentur, equum emit pulchrum, & tam uehementi in ſe amore incenſum, ut cum adeſſe ſentiret dominum, exultaret & geſtiret, cum aſcendere pararet, ſe ad conſcenſum præſtaret obedientem, cum ante oculos conſiſteret, ille ſuauiter & amatorie in eum intueretur. Quæ omnia eatenus amatoria & iucunda uiſa ſunt, quoad petulantiam in adoleſcentem attentare conatus eſt, ſimul & fama turpitudinis de ambobus diſſipata extitit, tum eam infamiam Socles ſibi conflari non paſſus, ut in amatorem flagitioſum, & petulantem, odio incenſus equum uendidit. Is non ferens ab adamato ſuo ſe diſtractum abeſſe, acerrima inedia uoluntariam ſibi conſciuit mortem.

Gillij

GILLII ACCESSIO.

De Bucephalo equo. CAP. XIIII.

EQuus Bucephalus quem Demarathus Corynthius Alexandro donauerat, cum ex omnibus ornamentis nudus erat, equiſonem etiam ſibi inſidere patiebatur: Cum autem ephippiatus & cæteris regijs ornamentis inſtructus, nullum alium ſeſſorem quàm Alexandrum admittebat, cui ſua ſponte, & nullo impulſu aſtabat, & ut facilior conſcenſio eſſet, ei aſcendenti ſeſe corpore demittebat. Quo uſus eſt ad omnia Aſiatica bella Alexander.

GILLII ACCESSIO.

De Feris equis. CAP. XV.

IN Aethiopum terris ultimis & deuijs ferorũ atq; agreſtium equorum non parua natio, duobus dentibus acutis, & uenenatis prædita uerſatur: quibus non perpetua pedum ungula, ſed ſimiliter ut ceruorum biffida eſt, iuba per mediam ſpinam ad extremã uſque caudam pertinet: Ac ſi quando eos poſitis laqueorum inſidijs Indi comprehenſos in ſeruitutẽ redigere uelint, abſtinent ſe propterea cibo & potione, quòd ſeruiendi indignitatem acerbiſsimè ferant.

De amore equæ in ſuos pullos. CAP. XVI.

EQua mater optima ſumma charitate, & fide pullũm ſuum amat, cuius ſanè modi amoris Darius ætate inferior non imperitus, equas à partu recentes relictis domi pullis, ad pugnas ducebat. Pulli ſic alieno lacte à matribus orbi, quemadmodum homines

parentibus amiſsis aluntur. Darius cum inclinata iam acie in eo prælio quod ad Iaſſum commiſerat, Perſarum res premi cœpiſſent, cumq́ uictus fuga ſalutem adipiſci neceſſe haberet, in equam aſcẽdit, quæ quòd relicti memoriam pulli recordaretur, quanto maximo potuit ſtudio, & celeritate eum ipſum prædicatur ex periculis eripuiſſe.

De Equarum libidine. CAP. XVII.

SOlas de beſtijs equas, etiam ſi uentrem ferunt, ſiniri ſuſtinere audio. Incendi enim eas libidine ex fœminis maxime. Itaque libidinoſas mulieres equas uocari ſolere ab eis, qui grauius ijs conuitium facere ſtudent: unde ipſum equire ab hoc uno animali trahitur, maledictum in libidinoſas mulieres.

De equa amata ab Equiſone. CAP. XVIII.

EQuam Eudemus ait adoleſcentẽ, ac armenti præſtantiſsimam, tanquam omnium formoſiſsimam puellam ab Equiſone adamatam fuiſſe, primumq́ ſui amoris hunc flagrantiæ moderatum fuiſſe. Deinde libidine inflammatum, uſq́ eò proceſsiſſe cum equa, ut uenereo complexu iungeretur, remq́ tandẽ perficeret turpem. Vbi uero equæ pullus incæſtò ſtupro matrem contaminari perſpexiſſet, eam ſic à domino tyrannicè tractari acerrime tuliſſe. Itaque impetu facto, uirum interemiſſe, atque cum obſeruaſſet, ubi huma

humaretur, eò profectum refodiſſe, omnibusq́ʒ ſupplicijs cadauer iam nullum ſenſum ex mœrore percipiens uexantis, afflixiſſe.

Quemadmodum aſini equas ineant.
CAP. XIX.

INter cæteras animantes equus magno elatoq́ʒ animo eſt. Enimuero magnitudo & celeritas ipſa ceruicisq́ʒ eminentia, & crurum facilis contractio, facilisq́ʒ porrectio, & ungularum crepitus inducunt, cum ut audacius is exultet & geſtiat, inſolentiusq́ʒ efferatur: tum maxime comata equa mollitie, & inſolentia diffluens ſuperbiat, eamq́ʒ ob rem ab aſinis ſe iniri indigniſsime ferat, ut maximo uiciſsim gaudio compleatur, cum equo tanquam nuptijs ſociata ſit, ob idq́ʒ ipſum ſe plurimi eſſe arbitretur: cuiuſmodi affectus gnari, qui ſibi mulos gigni uolunt, equæ iubam temere, & ſine artificio tondent. Poſteaq́ʒ aſinos admittũt, ea uero tum mariti ignobilitatem cuius prius pudebat, & contra quē antè reſiſtebat, facilime patitur, atq́ʒ eius rei Sophocles meminiſſe uidetur.

Quemadmodum equa capitur muſica.
CAP. XX.

TIbiæ cantu uſq́ʒ eò capiuntur Libycę equæ, ut huius blandimentis ad homines manſueſcant, & inſultare deſinant: quocunq́ʒ eas cantiuncularum blandiciæ inuitauerint, eò paſtorē conſequũtur: cum ille inſiſtit, hæ etiam à progrediendo ſe ſuſtinent, ac ſi cantum contentiorem ad tibiam canat, ex eo tanta uo

luptate afficiuntur, ut lachrymas tenere non poſsint. Harum paſtores ex Rhododaphne arbore paſtoritiã fiſtulam excauant, cuius ſonoro inflatu armentũ antegredientes demulcent. Euripides dicit, paſtores hymenæos ad fiſtulam cantantes, ad uenerem equas incitare, atq; etiam equos ad ineundas fœminas incendere. Ad hunc igitur modum equinæ nuptiæ initiantur, ut nuptiale carmen fiſtula præcinat.

De Hippomane. CAP. XXI.

CAruncul am unà cum pullo enatam, alij in fronte inſitã eſſe, alij ad lumbos, alij ad genitalia adhæreſcere aiunt, eam ſane nuncupatam hippomanes, primum ut ex ſeſe equa peperit, continuo deuorat, & dei benignitate miſericordi in equinam ſtirpem occultat, ne ſi, ut ferunt, idipſum uſq; ad extremum uitæ diem pullus ſemper inſitum in ſe perſeueraret, habere, ad effrenationem impotentis ueneris, tam mas quàm fœmina rueret, & libidinis rabie equinum genus funditus periret. Quod quidem ipſum penitus cognitum paſtores habent, ac ſi quando ad moliendas alicui amatorias inſidias egeant, ut ipſum ad cupidinem ueneris inflamment, diligenter obſeruant quando equa uentrem ferens pariat, atque ſtatim à partu pullium à pullo abſcindunt, & in equæ ungulam inijciunt. Nam in hanc abditum & conditum optime ſeruatur, ſimul & pullum quòd ipſum poſtea non lactaret mater illa,

inſigni & propria beneuolentiæ nota carentem, ex-
orienti ſoli immolant: nam ideo pullum uehemen-
ter amare ingreditur, quòd illam deuorarit carunculam.
Iam quicunq; per inſidias carnem illam guſtauerit,
proiecta & præcipite amatoria libidine cōſtrictus
tenetur, furit & perbacchatur & uociferatur atq; effrenatus
ad omnem muliebris ſexus ætatem, cupiditatis
adijcit oculos, ac morbum teſtans obuijs omnibus
quemadmodum conflagret amoris flamma, exponit.
Tum ex eo illius corpus diffluit & extabeſcit,
quòd ueneris inſania animus exagitetur. Equam
Olympiæ ex ære excitatam eſſe accepi, ad cuius conſpectum
equi amatores adhinnirent, ac amoris furore
incitati cum ea geſtirent ueneréo complexu implicari,
quòd abſtruſa quadam artificijs machinatione
Hippomanes recōditum intra æream ſtatuam equos
alliceret: neque enim erat tam diligens fabrica, ut ex
ea equi eatenus fallerentur & inducerentur, ut tantoperè
ad illius conſpectum in uenerem ſtimulari deberent.

GILLII ACCESSIO. CAP. XXII.

OLympię Phormis Arcas, ſicut Pauſanias tradit,
ex ære equum poſuit, in eundemq;, quemadmodum
in ſermonem Elienſium uenit, Hippomanes incluſit:
in hunc et ſi abſciſſa cauda turpior eſt, equi tamen
ruptis uinculis libidinis furore feruntur, ac ſi de
manibus ductorum effugerint, in eum ipſum ardentius
multo, quàm in pulcherrimam equam, & uiuam,

& ſe iniri ſuſtinentem inſiliunt: neque enim quod ungulæ cum ad æream ſtatuam adhęreſcere cupiunt, lubrico lapſu eludantur, idcirco coitum deſperant, imo uero magis magisq́ ore hiante atque imminenti adhinniunt, & uiolentius inuadunt: neque, priuſquã flagris & magno robore equiſonis abſtrahuntur, ab æreo ſimulacro depelli poſſunt.

DE BOBVS.

Bos iniuriæ non immemor. CAP. XXIII.

BOuem licet manſuetum, non facile tamen illius qui ſibi ſtimulos admouet obliuio capit: at iniuriam animo ac memoria uel longiſſimo interuallo cõtinens, pœnas pro maleficio ſibi illato ſumit. Nam cum eſt ſub iugum miſſus, lorisq́ conſtrictus, quodammodo ſimilis eſt homini in uincula coniecto, & ſe quidem trahi quò impellitur, quieſcit. Vt uero ſolutus eſt, aliâs ad bubulcum uerſus pedem ſuum laxans, aliquod illius membrum contriuit, aliâs ſæpe in cornua incitatus, in curſu illum interfecit: Cum tamen in cæteros ſubito manſuetus exiſtat, ac quietus in ſtabulum ingrediatur: neque enim ferus in eos exiſtit, qui iram ſibi non mouent.

De bobus cornu carentibus. CAP. XXIIII.

IN Nomadibus, qui ad Mœoticas paludes hyemant, & dies æſtiuos in camporum æquoribus uiuunt, ex bobus partim ſine cornibus naſcuntur, partim ſerrula ideo exſecãtur, quòd hæc pars uim frigoris ſufferre non queat. Apud Myſios, boues cornuum

nuum expertes ſunt,non item in Scythia, ubi minime cornibus boues mutili ſunt. Nec mihi moleſtus quiſpiam eſſe debebit,quòd contrà ſcribam atque Herodotus,cum ait bubulo generi non eſſe in Scythia cornua. Iccircóq; cornibus mutilum eſt, quòd uniuerſum caluariæ os nullas commiſſuras habeat, nihilq́; humorum confluentium propter duritiem reſiſtentem capiat,& uero uenæ per hoc ipſum os pertinentes, propterea graciliores & debiliores, quia minus alantur: Itemq́; eorundem qui à cornibus nudi ſunt, eò ſicciorem ceruicem, ac minus fortem eſſe neceſſe eſt,quòd ipſorum pertenues uenæ ſint. Vaccæ Arabicæ propter alentium humorum confluxum, qui permultum generoſæ propagationis nutrimentum cornibus præſtat,eiſdem excellunt: quæ uero cornibus carent,os humorem capere ſolitum, ſolidius habent, & haud quaquam hunc ipſum ſibi humorem recipere poteſt. Quare incrementi cauſa cornibus exiſtit influentia, quam ſanè plurimæ & craſſiſſimæ uenæ humore quantum ferre poſſunt, grauidatæ infundunt.

GILLII ACCESSIO.

De gibboſis bobus Scytharum. CAP. XXV.

SCythici in quorum dorſo gibber eſt, & proceriſſimi, & ex omni parte albi, perparuis cornibus ſunt,& minime acutis: ſimiliterq́; ut cameli eminenti dorſo exiſtunt,ſimul & cum dorſo clitellæ imponũtur,perinde ut cameli genu flectunt, rurſumq́; ſuſce-

pto onere ſurgunt,quod ipſum hominum, qui ijs ad grauiſſimorum onerum uectiones utuntur, diſciplina facere ſolent.

De bobus Phœniciæ & Lyciæ. CAP. XXVI.

PHœnicum libri teſtantur,indigenas uaccas ea eſſe magnitudine,ut uel proceriſſimi paſtores cũ mulgent ſtare,atque adeo in ſcabellum aſcendere habeãt neceſſe,ubera ut poſſint pertingere. In Libya Indis finitima retrouerſus paſcentium boum eſſe armenta auditione accepi. Cauſa cur ſic paſcantur eſt, quòd ante oculos cornua habent, & quæ ante pedes ſunt, uidere non queant.Ex quo fit ut ingreſſionem ad caudam retorquentes, herbam depaſcantur. Ariſtoteles ait Leuctricorum boum cornua atque aures, ex una ſtirpe cognata & ſimul contexta eſſe.

De Libycis bobus. CAP. XXVII.

LIbycorum boum tanta eſt innumerabilitas, tanta item celeritas,ut unum inſequentes uenatores interdum fallantur,quòd nimirum in alios feros incidant,& ille interim ſub dumeta, ſaltusúe ſubiens ſe ſubducat, alij autem ſimiles exoriantur, & uenatorum oculos fallant: quorum quempiam ſi quis ingrediatur,inſequi ne equo quidem,ſed feſſum longinquitate temporis comprehendet. Quòd ſi quis uitulum adhuc tenerum ceperit, & non ſtatim occiderit, ex eo duplici commodo afficietur:Nam præterquàm quòd & ipſe commoditatem affert, matrem ſuam in captiuitatem inducit. Poſtea enim quàm uenator uitulum

tulum fune alligauit, ab eo ſecedit: illa filij deſiderio inflammata, tanquam aſilo ſtimulata fertur, cupiens diſſoluta reſte eum abducere: ac nimirũ cornua compingit, ut uinculum laxet & diſtrahat: At enim cornibus in funis complicationem inſertis, unà cum uitulo conſtricta tenetur: Cuius uenator cum iecur detraxit, & ubera excidit, & pellem exemit, carnes relinquit auibus & feris.

De abſtinentia boum in area. CAP. XXVIII.

NE boues in area ad trituram accommodata ſpicas interim edant, dum proculcant, eorum bubulo fimo nares illinendæ ſunt: Quæ aſtuta machinatio perficit, ab illarum ut ſeſe eſu abſtineãt. Hoc nimirum animal huiuſmodi tetri odoris aſperſione deterritum, nihil, ne ſi fame quidem acerrima premeretur, unquam ederet.

De obedientia domiti bouis. CAP. XXIX.

E Natura etiam bouis eſt, cum ex feritate ad manſuetudinem traductus eſt, ut ad parendum facilis ſit. Enimuero ad feretrum portandũ ſub iugum miſſus quietus manet, ſiue uelis eum erecto capite quieſcere, ſiue ad terram inclinato abijci, tum in ceruice & dorſo puerum puellámue geſtari patitur. Equidem ipſe uidi, qui ſupra nihil ſe commouẽtes tauros ſaltarent. Item boues inſtituti ſeſe in theatris inclinant, & erigunt, & motus uel homini ipſi difficiles ſaltant.

mati furibunde appetũt, atq; ut homines armis tecti, in pugnam deſcendunt: Erythrei autem boues mobilia ſimiliter cornua ut aures habent.

De certamine Indicorum boum, qui curſu ualent. CAP. XXXIII.

IN bubulo pecore, quod incitato curſu ualet, curam Indi ponunt: & ſimul de eorum uelocitate rex & permulti principes decertant, neque turpe ducunt pro huiuſcemodi animalium genere auro argentóue ſponſionem facere. Currendi meta bobus hæc conſtituitur, ut inter ſe nexi & iugati triginta ſtadia currant. Aequales & pares boues equis currunt, neque uelocitate boues ab equis internoſcas: Ac ſi quando rex de ſuis bobus cum quopiam ſponſionem fecerit, in tantum contentionis ſtudium procedit, ut is ipſe in curru ſequatur, atque adeo aurigam incitet. Is ſanè quidem equos ſtimulis cruentat, à bubus uero manus abſtinet, ſiquidem ij nullis admotis ſtimulis incitatiſsimo curſu feruntur: Ac nimirum tam ambitioſa eſt bubuli certaminis contentio, ut non diuites modò, ſed inferioris ſtatus homines in eiuſmodi concertaminibus permultum uerſentur. Sunt item apud Indos alij boues, qui maximos hircos magnitudine non ſuperare uidentur: Ii uel coniugati uelociſsime currunt, nec minus ſtrennue quàm Getici equi curſum conficiunt.

De genere bubulo caſtrato & non caſtrato. CAP. XXXIIII.

BVbulo pecori caſtrato Democritus ait tortuoſa, gracilia, longa naſci cornua. Contrà teſtibus prædito enaſci ſecundum radicem, craſſa, recta, multoq́ minus prolixa, eoſdemq́ latiori, quàm alteros fronte eſſe: Nam hic ibidem cum multæ uenæ ſunt, ab ijs oſſa dilatantur, ſimul & cornuum eruptio quoniam craſsior exiſtat, frontem huic in latitudinem proferunt. Caſtrato uero quòd ſedes cornuum & initium enaſcendi perparuum habeat circulum, minus dilatantur.

De Api boue. CAP. XXXV.

APis apud Aegyptios efficaciſsimus deus creditur, ex uacca quæ fulgure afflata conceperit naſcitur, Epaphum Græci uocant. Atq; huius generis antiquã ſtirpem repetẽtes, Io Argiuam Inachi filiam illius matrem fuiſſe teſtantur. Sed hunc ſermonem Aegyptij ut mendacem reijciunt, temporis longinquitatem teſtem citantes. Epaphum enim multis pòſt ſæculis extitiſse ferunt. Primum uero Apim permultis annorum milibus in homines ueniſſe. Inſignes eius notas Herodotus, atque & Ariſtigoras explicant. Quibus Aegyptij non aſſentiuntur, nouem enim & uiginti eas huic ſacro boui aptas, & conſentaneas eſſe dicunt. Quænam ſint, tum quemadmodum per corpus ſparſæ, tum ut ipſis quaſi

floribus

floribus inſignitus ſit, aliunde intelligendum. Cuiuſnam autem ex ſideribus naturam unumquodq; inſigne per notas deſignet, Aegyptij ſatis ſuperq; declarant. Etenim Nili aſcenſum, unum inſigne ſignificare aiunt: aliaq; inſignia aliarum rerum ſignificationes eſſe, haud profecto prophanis, & diuinæ hiſtorię intellectu facilia. Cum autem fama emanauit, Aegyptiorum deum exortum eſſe, ex ſcribis & ſacerdotibus quidam ut documentum procreationi à patre traditum inſignium notarum indicium accurate exquirant, eò ubi diua uacca partum ex ſeſe ediderit, accedunt, atque ibidem domum ad orientem ſolem, ubi ſanè alatur, quatuor menſes, excitant. Poſtea autem quàm ibi nutritus eſt exoriente luna, ſcribæ, ſacerdotes, & prophetę eôdem proficiſcuntur, & ſimul nauem huic ſacram inſtruunt, eaq; ipſum Memphim tranſportant, ubi ſedes huic ſunt & commorationes ſuaues: tum curricula, pulueratiònes, exercitationes, & uaccarum formæ præſtantia inſignium ędes, tanquam thalami in quos ingreditur, quum quam amat ſuperuenire appetit: Itemq; eſt puteus, & fons aquæ potabilis, nam eiuſmodi huic ſemper conducere miniſtri & ſacerdotes aſſerunt: Non item ex Nili potione, ne propter dulcedinem in immenſam molem pingueſcat. Iam uero quas pompas, quæ ſacrificia Aegyptij conficiant, cum nouæ alluuionis aduentum, tum dei exortum celebrantes, quas etiam ſaltationes tum agant, quos conuentus habeant, tum quemadmo-

dum omnes urbes & uiri immortaliter gaudeant, longum eſſet explicare. Is autem ex cuius armento hæc diuina beſtia exorta fuerit, beatus habetur, ſummãq; Aegyptiorum admirationem habet. Is bos præſenſione ualet: Nec ſanè uel puellas, uel aniculas ad tripodem ſeſſitantes habet, neque ſacra potione implet, ſed pueri diuino afflatu concitati extra ludentes, atq; inter ſe ad numerum ſaltantes, conſulentibus futura prædicunt.

De acuto ſenſu Canum, & Boum, & aliorum animalium. CAP. XXXVI.

CAnes, boues, ſues, capræ, ſerpentes, & beſtiæ alię cum impendentem peſtem, tum uero terræ motum, & cœli ſalubritatem & frugum fertilitatem præſentiunt: Neque, tametſi ratione carent, ab eorum quæ ſibi aut ſalutem, aut perniciem afferre queunt, intelligentia aberrant.

GILLII ACCESSIO.

De pugna & natura Taurorum. CAP. XXXVII.

SEquitur, ut dicam, quemadmodũ pro uaccis, taurorum maxime riualis & perpugnax natio, acerrime inter ſe certet, unus præſtantiſſimus in minorum taurorum & uaccarum armentum dominatur. Hunc magnum regem perhorret grex armentorum cornibus armatum, uaccæ hunc maritum ſuum impotenti ferocitate exultantem, eo maxime tempore timent, cum diuerſorum armentorum tauri alij in alios

alios mugiunt,& ab reliquis ſeperati,ceruicem iactantes inter ſe minitantur. Tum ſane utrinq; uehemens inſtat pugna. Primum infeſto obtutu inter ſe intuentur,atque agreſti iracundia ardentes, ignem naribus ſpirant,& terram pedibus ſpargunt, & puluerulenta iactatione,& martiali ſpiritu contentiſſime uociferans uterque prouocat alterum: Ac poſteaquàm tuba ſignum dederunt,ad pugnam acerbam effreni impetu ruẽtes,inter ſe mutuis uulneribus cædunt, & quẽadmodum in pugna nauali duæ præſtantes naues permultis militibus armatis fulgentes, & uehementi uento & remis propulſæ contrarijs, proris roſtra inter ſe mutua allidunt,& concrepant armis,& ſtrepitu uirorum: ſic taurorum in cœlum tandiu clamor fertur concurrentium,dum eorum alteruter ex certamine uictoriam retulerit. Victus cum dolens de pugna à ſe male pugnata,tum uerecũdans in armento comparere,in ſyluam proficiſcitur ,& ſeparatim à cæteris paſcitur,ac in montibus aliquãdiu ſe tanquam athleta quiſpiã exercet,dum collegerit uires , quibus cum ſe confirmatum ſentit,ſtatim uociferatur,adeo,ut ſylua ad eius mugitus uehementer reſonet: ac poſteaquam ſe exercuit in paſtionibus , remotus ab omni uenere uirium eneruatrice robori confidere incipit, & ad bellum deſcendens,facile ante uictorem,uincit. Taurorum multa ſunt genera,& uarij mores: Aegyptij qui accolunt Nilum,& colore niuei ſunt , & magnitudine omnium præſtantiſsimi. Veruntamen mi-

tes, & ad hominum genus manſueti, facile imperio audientes ſunt: Phrygij rubro colore & flammeo, altaq́ & toroſa ceruice præſtant. Eorum ab alijs cornua longe diuerſa ſunt: neque enim conſiſtunt, ſed flexibilia huc illuc flectuntur. Aoniorum uarijs coloribus diſtinctorum perpetuę indiuiſęq́ ungulę ſunt, eorundemq́ unicum cornu, quod ex media fronte exiſtit. Armenijs duplex cornu ſic erraticis flexionibus tanquam hedera retorquetur: Ac ſi mucrone appetitur, ob corneam duritatem, non ſine damno ferrum retunditur. Syrij bellicoſi, magno robore, & lata fronte, cornibus robuſtis, aſpectu truculento, nõ obeſo corpore, neque rurſus macilento, ad curſum & pugnã præſtant. Biſtones ad faciendas cædes prompti, horribili ceruice & pingui, rubro pilo, & oculis terribilibus, cornuum mucronibus aduncis, & hamatis non inter ſe reflexis, ſed ſurſum uerſus ſurgentibus. Eos cum impegerunt uel in hominem uel feram, in ſublime tollunt. Eorum lingua quidem anguſta, ſed aſperrima, tanquam ferrum limare poteſt, ut cum lingit, ſanguinem eliciat.

GILLII ACCESSIO.

De ardore libidinis tauri. CAP. XXXVIII.

TAurus tanto ardore genitalem neruum contendit ad uaccam adiunctus, ut ſine motu ullo ſemen emittat: ac ſi à muliebri genitali neruus in aliam corporis partem aberrauerit, uaccam rigidiſſima intentione uulnerat: Neque tamen omni anni tempore

ueneris

ueneris libidine flagrat, ſed decurſo breuiter laſciui ardoris ſpatio. Aliàs ſemper tanquã ratione quadam & modo ſe à coëundo ſuſtentat. Plutarchus ait, feroçem taurum, ſi is ad ficum alligatur, manſueſcere.

Quàm acer & acutus in audiendo taurus ſit.
CAP. XXXIX.

VAcca cum appetit coitum (appetit autem non diutius quàm tres horas) tum quàm maximum poteſt, mugitum edit. Ac niſi hoc trium horarum ſpatio taurus accurrerit, in aliud certum tempus, quod perraro accidit, naturam claudit. Taurus autem uel longo loci interuallo, ex clamore illius appetitionem auribus concipiens, celerrime ad coitum accurrere feſtinat.

Quemadmodum Taurus, Equus, Ceruus, Mithridatem amauerunt. CAP. XL.

MIthridates Ponticus cum ſomnum caperet, ſui corporis cuſtodiam non modo armis & ſatellitibus excubitoribus cõmittebat, ſed & tauro & equo & ceruo, quos manſuefactos habebat: Ii enim ad cuſtodiã eius dormientis aduigilantes, ſi quis accederet, illius ſenſum ex ipſa reſpiratione quàm mox percipiebant, atq; ille mugitu, alter hinnitu, alius ſua propria uoce, eum è ſomno excitabant.

Quemadmodum taurus animo incitatus placatur. CAP. XLI.

TAurus animo incitatus, eo impetu cornibus appetit, ea impotentis animi effrenatione fertur, nihil

ut eum, neq; bubulcus, neq; metus ullus reprimere queat. Atqui eũ quidẽ ipſum homo ſiſtit, atq; ab impetu continet, ſi dextrũ ipſius genu faſcia deligauerit.

De Cornigeris apud Indos certantibus beſtijs.
CAP. XLII.

MAgnus Indorum Rex quotannis diem unum proponit hominũ curſibus & pugillationibus, tum luctationibus beſtiarum, quæ ſane inter ſe cornibus appetentes, mirabili natura quadã eatenus ſtrenue decertant, quoad aduerſarium funditus uicerint: Sicq; omni neruorum contentione, quemadmodum athletæ, ut aut maximo afficiantur præmio, aut gloriam capiant certàminis, nituntur. Rationis quidem expertes ſunt feri tauri, arietes manſueti, aſini uno armati cornu, hyenæ poſtremi in certamen ueniunt elephanti, ij inter ſe uulnerant, & alter ſæpe alterum uincit, atq; adeo interimit: ſæpe etiam uterq; uulneribus confectus, ſimul decumbit.

De tauris Aethiopicis, & quemadmodum uenantur. CAP. XLIII.

FEri tauri Aethiopici ſi cum Græcorũ bobus conferantur, duplam habent magnitudinem, ac uelocitate corporis ſummè excellunt: tum rufis pilis ueſtiuntur, tum cæſijs oculis ornantur: & aliàs quemadmodum aures, ſic cornua mobilia habent. At enim in pugna ita animi feruore contendunt & erigunt, pugna ut nulla flecti queant: Eius enim tergora tanto robore ſunt, ut nullis neq; ſpiculis, neq; telis penetrari

poſsint. In equorũ & boum armenta & feras omneis inuadũt. Itaq; paſtores ad tuendũ ſuum pecus, occultas foueas in magnam altitudinem depreſſas, machinantes, moliuntur eis inſidias. Hi cum deciderũt, acerbe ferunt, & atroci animi excandeſcentia ſuffocãtur.

GILLII ACCESSIO.

De Biſonte tauro. CAP. XLIIII.

Biſon cerui ſpeciem ſimilitudinemq; gerit: cuius à media fronte inter aures unum cornu in excelſitatem magis dirigitur, quàm ea quę nobis nota ſunt, cornua. Ab eius ſummo ſicut palmæ, ſic rami late diffunduntur. Eadem natura fœmina, qua mas, prædita eſt: eadem etiam forma, eademq; magnitudine cornuum. Tauros biſontes nuncupatos, ex omnibus animalibus maxime ad capiendum Pauſanias tradit difficiles eſſe, neque retibus ullis retineri poſſe. Iam quemadmodum capiantur, adſcribam. Locum decliuem ac deuexum ſepimentis primum uenatores circunclaudunt, deinde totam decliuitatẽ, & id quod ad radices in planiciem explicatur pellibus recentibus detractis conſternũt, ac ſi recentibus carent, ſicca coria ut lubrica efficiantur, oleo madefaciunt: pòſt uero qui maxime ad ſedendum in equis periti ſunt, eiuſmodi tauros in loci illius anguſtias undique compellunt: Ii autem ad primas pelles delabuntur, atque per accliuitatem uſq; eò præcipites aguntur, quoad in planiciem delati fuerint: quo abiecti primò non curantur: Deinde quarto aut quinto poſt

die, cum iam fames & labor eorum præcipuũ animi robur fregerit, homines qui ad mãſuefaciẽdas beluas præſtant, ijs adhuc humi ſtratis, pineos nucleos edendos õbijciũt, ac deniq; uinculis conſtrictos abducũt.

GILLII ACCESSIO.

De fero Tauro. CAP. XLV.

ATq;, ſicut Opianus ait, omnium animalium maxime ferus taurus carnibus ueſcitur, & domeſticis tauris maior eſt, ac cum equo in uelocitatis comparatione coniungitur. Oris rictus ad aures uſque pertinet: tum rubro colore niteſcit, & oculorũ candore noctu fulget, ſimiliterq; ut aures, cornua aliàs mobilia habet. In pugna uero cõſtanter firmat, pili cõtra naturam aliarum beſtiarũ ad caput uerſus ſpectant, inuicto robore cũ alijs animalibus belligeratur, quæ poſtquã deuicit, exedit & conficit, egregieq; paſtorũ uires & canum multitudinẽ contemnit: eius pellis ab ictibus eſſe dicitur inuicta: Non ui comprehẽditur, ac ſi in foueam incidit, aliáue doloſa machinatione capitur, priſtinę libertatis retinẽtiſsimus, ſibi mortem conſciſcit. Troglodítæ, apud quos huiuſcemodi belua naſcitur, præſtantiſsimã iudicant, cui inſit leonis uis, equi celeritas, tauri robur, & quod magnam admirationem habet, ferro non concedit.

De Vacca. CAP. XLVI.

APud Aegyptios & Phœnices, ſicut Porphyrius ſcribit, humanis carnibus potius uſi fuiſſent, quàm uaccã comediſſent: & quãuis tauris haudquaq;

abſtinerent, tamen uaccarum uſus non modo menſarum conſuetudini, uerum etiam ſacrificationi interdictus fuit.

Cur uaccas ueneri conſecrant Aegyptij.

CAP. XLVII.

IN Aegypti uico Schuſſa nuncupato, non magno quidem, ſed certe eleganti, qui in Hermopolitæ præfecturam cenſetur, Venerem religioſe & ſanctiſſime colunt, quam Vraniam appellant: Atque uaccam etiam ideo uenerantur, quia affinitatem & conuenientiam cum dea ipſa habere exiſtimetur. Etenim huiuſcemodi beſtia tãtopere ad uenerem incitata eſt, ut cum maris mugitum audit, ad coitum uehementiſſime exardeſcat. Atque adeo ſicut harum rerum experientes confirmant, taurum à triginta ſtadijs ipſo mugitu amatoriam ſignificationem, quaſi teſſeram ueneris dantem, exaudiat. Itemq; Iſim bubulis cornibus Aegyptij & fingunt, & pingunt.

De bobus Suſorum. CAP. XLVIII.

SVſias boues numerandi ſcientiam tenere Cteſias ſcribit. Nam Suſis regi ſingulæ quotidie centũ cados ad irrigandos hortos hauriunt. Quem quidem laborem, ſiue quòd ſit eis certus & conſtitutus, ſiue etiam quia diu multumq; in eo ſe exercuerint, promptiſsime obeunt: Nullam enim earum ad opus remoleſcere uideres, neque ad alterum ſupra quàm diximus cadum exhauriendum, nec uerberibus, nec blanditijs inducere poſſes.

De Bupreſtide. CAP. XLIX.

SI bupreſtidem beſtiam bubulum pecus deuorauerit, tantopere inflammationibus torquetur, ut & rumpatur, & non ita multò poſt efflet halitum extremum. Eiuſmodi beſtia uim cantharidis habet, cuius ſimilitudinem gerit.

FINIS LIBRI IIII.

LIBER QVINTVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

GILLII ACCESSIO.

De quinque generibus luporum. CAP. I.

VIRI ad uim naturamq́; animalium periti, quinq; luporũ genera animaduerterunt. Primus, quem uocant ſagittarium, rufo colore eſt, & permagno capite, tum uelocibus pedibus, tum eius plurimis maculis albis uenter diſtinguitur: Horribilem ululatum edit, incitatiſsimo impetu fertur, aſsidua concuſsione caput mouet, igneis oculis intuetur. Alter autem trunco corporis longo ex omnibus maximus & uelociſsimus habetur. Hunc homines circũ & raptorem appellare ſolent: magno impetu ad prædam incitatur, eius cauda & latera argenteo colore ornantur: mõtes incolit, quibus alta niue tectis proxime ad urbes fame ſtimulatus, tandiu cautè pedetentimq́; acceſſum facit, dum latenter præda potitur. Eſt qui Taurum montem incolat & Cilices uicos, & montis Amani uertices: Inter feras eximia formæ pulchritudine aureo comæ fulgore eniteſcit, non lupus, ſed lupi ſimilimus, eoq́; dentium robore præditus, ut ſæpe durum ſaxum & ferrum perforet. Syrium canem cognoſcit & quod exorientem extimeſcit, ſtatim ideo

tandiu in ſubterraneam latebram abſtruditur, quoad perniciosa canicula deſiſtat ardere. Sunt prętereа alia duo genera cædis auida breui collo, latis humeris, hirſutis cruribus, roſtro & pedibus minoribus, paruis oculis: ex ijs eum qui dorſo & uentre exalbeſcit, & ſummis talis niger eſt, nonnulli miluum uocant. Alter niger, minor quidem eo quem modo dixi, ſed certe robore non inferior: Lepores uenatur, omnibus pilis inhorreſcit. Sępe etiam lupi cum pardalibus cõplexu uenereo implicantur: Vnde naſcuntur thoes: ac pellis quidem uarietate matris, aſpectu autem patris ſpeciem ſimilitudinemq́ue gerunt. Iam porrò tympanum quod lupina pelle conſtat, ſi inter alia tympana, ſicut Oppianus ait, ouillis pellibus inſtructa pulſetur, ipſum ſolum grauiter reſonat, alia obmuteſcũt, nimirum oues etiam mortuæ lupos mortuos perhorreſcunt.

De Lupis. CAP. II.

LVpi collum in eas breuitatis anguſtias compulſum atque uehementer compreſſum eſt, ut contorqueri retroq́ue uerſari nõ queat: & ſi retro uelit aſpicere, totum corporis truncum retorqueat, neceſſe eſt. Acerrimis atque acutiſsimis præditus eſt oculis. Enim uero intempeſta nocte, uel luna ipſa ſilente, lucis uſura perfruitur: Et tametſi omnibus tenebræ offundun tur, non huic tamen lux eripitur: Hinc lycophos id temporis appellatur, cum lucem is ſolus naturæ munere oculis perceptam habet. Et uero Homerus mihi

uocare

uocare uidetur id tempus, cum iam tunc cernens lu-
pus ſe in uiam dat ἀμφιλύκην νύκτα. Iam porrò lycoban-
ta iccirco annum nominari exiſtimant, quòd erga lu-
pum ſol amorem habeat: tum eo Apollinẽ delectari
aiunt, quia hic ex Latona in lupæ ſpeciem ſimilitudi-
nemq́ꝫ cõuerſa, editus in lucem, & ſuſceptus fuiſſe fe-
ratur: Cuius ſanè rei Homerus meminit, cum Apolli-
nem nominat lycegenem: Eamq́ꝫ ob rem lupi ſimu-
lacrum in Delphico templo, ad deſignãdum partum
Latonæ, ex ære excitatum eſſe arbitror. Alij non id
propterea ibidem poſitum eſſe dicunt, ſed donaria ex
templo cum expilata direptaq́ꝫ fuiſſent, eademq́ꝫ à ſa
crilegis defoſſa, lupus indicauit, cum intra templum
ingreſſus, prophetarum quempiam (ſacram illius
ueſtem mordicus compræhendens) traxit ad locum
uſqꝫ in quem donaria occultata fuiſſent: Deinde an-
terioribus pedibus eum ipſum locum effodit.

De Luporum ſaturitate. CAP. III.

EXaturatus lupus longum temporis interuallum
inediam fert, atque ei quidem uenter late projici-
tur, lingua tumeſcit, os obſtruitur, & ſimul ut famem
multo cibo depulit, ſimiliter occurrentibus atque
agnus manſuetus exiſtit. Neque uero unquam tum,
nec homini, nec beſtijs ullis, ne ſi quidem per mediũ
agmen ingreditur, inſidias molitur. Poſtea uero ei
paulatim lingua extenuatur, ac in antiquam figuram
redit, iterumq́ꝫ lupus exiſtit.

De immanitate luporum. CAP. IIII.

LVpi natura immanes & crudeles ideo exiſtimandi ſunt, quòd inter ſe uorant ad hunc modum. Mutuas ſibi molientes inſidias, eos enim ferunt primò in orbem circumagi, deinde excurrere, cum ex uertigine currendi & caligine eorum aliquis lapſus ſit, in eum humi ſtratum cæteri omnes facto impetu ipſum laniant. Hoc quidem facere ſolent, cum uenationis facultate deficiuntur: Ita enim præ fame omnia nugas putant, quemadmodum ſcelerati homines nihil non præ pecunia præclare contemnunt.

De pugna Lupi contra Taurum. CAP. V.

COntra Taurum lupus ire, & ſimul eum à fronte ideo adoriri non audet, quòd & cornua extimeſcat, & eorum robur mucronatum declinare ſtudeat. Quamobrem primum uelut recta uia contra eum pugnaturus eſſet, præ ſe gerit minas, & illius oculis ſeſe crebro inculcat; deinde ſe retorquẽs in dorſum inſilit, & uerò acerrime ad eius perniciẽ incumbit, atq; cum naturæ aſtutia ſuam infirmitatem compenſans, ipſum expugnat.

Quemadmodum delapſos boues in lacum Lupi capiunt. CAP. VI.

SI boui qui in profundam inciderit paludem, lupi interuenerint, extrinſecus terrorem ei iaciũt, eundemq; periculi denunciatione agitant, non extra paludem eum permittẽtes egredi. Quem diu multumq;

poſtquàm in paludis anguſtias compulſum, & in luto uolutatum ſuffocari coëgerunt, maxime omnium illorum ſtrennuus in aquam inſiliens, & mordicus bubulam caudam tenens, extra paludem in terram ipſum trahere aggreditur: Simul & huius alter caudam apprehendens, ipſum trahit, & ſecundum tertius, & hunc ipſum quartus: hoc idem uſq; ad poſtremum qui extra aquam conſiſtit, faciunt. Atque ad hunc modum extracto in aridum boue, lupi explentur & ſatiantur. Iam uero bouis errantem uitulum per inſidias inuadunt, & arreptis naribus trahunt. Is contrà ſeſe retrahit: & permulta interim pugna editur dum illi hunc ui expugnare, hic reſiſtere conatur. Cum autem hunc tam pugnaciter contra ſe repugnare perſpiciunt, eum obnitentem remittunt. Is ex ui retrahendi ſe, & contra eos tergiuerſandi, retro uerſus in dorſum ſuum recidit. Lupi facto impetu, eius uentrem lacerant, & diſtractum exedunt, & conficiunt.

De Lupo. CAP. VII.

ANimalium uim & naturam ne dij quidem à ſua cognitione ſcientiaq; aſpernantur. Siquidem Euriſtenem & Proclem audio cum in matrimonium fœminas ducere conſtitutum haberent, profectos ad Delphicum oraculum, deum conſuluiſſe, quò cum Græcorum Barbarorúmue affinitate deuincti pulchre & prudenter nuptijs allegati uiderentur, ijs

deum reſpondiſſe, quâ ueniſſent, in Lacedæmoniam reuerterentur. Vbicunq; porrò terrarum ſumme ferum animal ferens mitiſsimum eis occurreret, inde ducendas uxores eſſe, ſic enim feliciter ipſis & proſpere proceſſurum eſſe. Cui oraculo obtemperantes, cum in Cleoneorum regionem ueniſſent, ipſis occurrit lupus, agnum quem alicunde diripuerat portans: Ex eo illi coniecerunt Apollinem de ijs animalibus oraculo ſignificationem dediſſe: proinde ipſos Theſandri Cleonymi probi uiri filias uxores duxiſſe. Ergo ſi probe Dij tenent quodnam animal ſit manſuetiſsimum, quodq; immanitate efferatiſsimũ, non eſt nobis horum ſcientia negligenda. Pythocharis tibicen, cum ad tibiam magna contentione incitatos numeros caneret, luporum impetum repreſſiſſe fertur.

De lupis Mæotidis. CAP. VIII.

SEcundum Mæotidis paludis Conopium nuncupatum, lupi quos non à domeſticis canibus differre dicas, cũ piſcatoribus ſtudioſe uerſantur: Quòd ſi maritimæ prædæ partem fuerint aſſecuti, cum his uiris rem maritimam tractantibus, & pacem habent, & tanquam fœdere deuinciuntur: ſin nihil conſequuntur, eorum retia lacerant, & diſtrahunt, & pro eo quòd nihil dederunt, damnum retribuunt.

De Lu

De lupis flumen traijcientibus. CAP. IX.

LVpi fluuios tranſmittentes, ne ui fluctuum atque impreſsione funditus euertantur, ſtabilitatem ac firmitudinem ſibi è natura ſua conſtituentes, ex undarum tempeſtatibus ſe ſeruant, & flumina quæ tranſiri non poſſunt, ad traijciendum facilia, hac machinatione efficiunt; Caudas nimirum inter ſe mordicus tenentes, reſiſtunt ad perferendos fluctus, nulloq; negotio tutiſsime tranſnant.

Quemadmodum lupus conuellitur à lycoctono herba. CAP. X.

PRoxime Nilum herba naſcitur, quæ non ſine cauſa lycoctonos appellatur, quòd eam lupus calcans, conuulſionibus moritur. Propterea Aegyptij in terras ſuas eiuſmodi herbam importari prohibent, quòd hoc animal uenerentur.

GILLII ACCESSIO.

De Vrſis. CAP. XI.

VRſorum genus aſtutum, cædis auidum, turpe, pernitioſum, dentibus exertis armatum, os longum habet, eorum pedes hominum ſpeciem ſimilitudinemq; gerunt, horribilis item ipſorum atque infeſtus rugitus, ſimul & perfidum & fraudulentum cor, ueneris libidine flagrat, & fœminæ noctes dieſq; ad coitum inflammatiſsimæ maritos appetunt. Et tametſi feræ beſtiæ, præter lyncem, & leporem, uentrem ferentes à coitu abhorrent, eæ tamen nõ modo

nulla grauiditate intermittunt coire, uerum etiam impotentis libidinis effrenatione acerrime dolent, quando marium facultas deeſt, ac priuſquam certum pariendi tempus uenerit, uentrem elidunt, partumq́ uiolant, dum ad coitũ exardeſcentes, aſsidue ſubigi gaudent, uno eodemq́ tempore & alendæ proli, & explendæ libidini dant operam. Nam à partu recentes ſtatim coitus appetitione ardent.

Quemadmodum fingant ſuos catulos urſæ.
CAP. XII.

VRſarum pariendi ratio permira uidetur, nam nemo à partu uidens tam informem tamq́ rudem fœtum urſam edidiſſe uitalem, partum iudicaret: ſimul enim ac in lucem hæc edidit, ſtatim carnem illam nulla uitalis figuræ ueſtigia, nullamq́ animalis effigiem retinentem, amore complectitur, catulum agnoſcit ſuum, ac eum in ſinu gremioq́ fouet, & lingua fingit ſua, & paulatim in confirmationem quandam ſic effingit, ut aſpicienti iam catulus urſæ hic eſſe uideat.

Quando urſa parit. CAP. XIII.

QVemadmodum urſa primo carnem informem pariat, deinde lingua conformet antè dixi: iam quod nondum narraui, dicam: Hyberno tempore parit, cum peperit, latibulis ſe tegit, nam frigoris uim reformidat, & ueris aduentum manet, nec ante treis menſes catulos in lucem profert. Cum autem ſe habitu corporis opimo ſentit, hoc enim ipſum morbi loco ducit, latibulum, quod Græci φωλεὸν appellant, expetit

expetit (Vnde affectus quo latēdi tenetur φωλία Græcè nominatur) in antrum non recto motu ſui corporis, ſed ſupino ingreditur, & dorſi ſui tractu repit, uenatoribus ut ueſtigia ſua obliteret: Ibiq́ꝫ poſtquam eſt ingreſſa, ſe quieti dans, habitum corporis extenuat per quadraginta dies, è quibus quidem quatuordecim immobilis manet, reliquis alijs mouetur: tantum ſolo lingendo dextero pede ſe ſuſtentat, eiq́ꝫ inteſtinum eatenus adducitur, ut propemodum cohæreat. Quod quidem ipſum ea ſentiens, Aron herbam agreſtem edit, cuius natura uentoſa inteſtinum diducit, & dilatat, eidemq́ꝫ facultatem receptandi cibi affert. Cum autem cibis ſeſe rurſus refecerit, formicas exedens, facile exinanitur, neque quemadmodum hominibus ad deiectiones illi uel medici uel libri opus ſunt.

De Vrſis. CAP. XIIII.

VRſa ſi inſequētibus urgetur, eatenus ſuos quoad poteſt catulos propellit: Cum autem ſe iam intelligit laſsitudine deficere, & ut comprehendatur uicinam eſſe, tum alterum dorſo, alterum ore geſtans, in arborem aſcendit, eorum alter unguibus ad dorſum Vrſæ adhæreſcit, alter dentibus eiuſdē retinetur. Vbi uero ex fame laborans taurum inuadit, non aperto marte pugnam committit, ſed obliquo impetu palearia appetens, proſternit. Hic quidem oppreſſus mugit, & denique ſuccumbit; illa autem deuorando expletur.

De Vrſis. CAP. XV.

VRſæ poſteaquàm uenatores, qui non humi modo ſe ſternunt, ſed & os ad terram abijciunt, & ſpiritum continent, odorati fuerint, tanquam mortuos relinquunt, eiuſmodi enim animalium genus exiſtimatur mortuos odiſſe: mures etiam oderunt eos, qui in ſuis ſedibus & cauernis moriuntur: itemq; hirundines, & apes ſuas gregales extinctas eijciunt. Formicis etiam natura tributum eſt, ut ſui generis defunctas ex cauernis efferant, ut mundius habitent.

GILLII ACCESSIO.

Quemadmodum urſi etiam puellas amant. CAP. XVI.

DE Philippo Coſſeo Conſtantienſium ſacris præfecto, ingenuarum artium perſtudioſo, qui hoc ipſum ſe ex bono authore cognitum habere, mihi ualde affirmauit, urſum accepi ex montibus Allobrogum puellam in ſpeluncam rapuiſſe, eandemq; uenereo complexu & oſculatione proſecutum fuiſſe, atque ex pomis agreſtibus, quæ permulta quotidie in ſpelũcam inferret maturiora, ſtudioſe delegiſſe, eidemq; edenda amatoriè dediſſe, ac nimirum cum ad cibi inquiſitionem proficiſceretur, ingenti ſaxo ſpeluncam, ne puella exire poſſet, occluſiſſe. Cum autem poſt longam inquiſitionem parentes urſinum latibulum præterirent, ſuam peradoleſcentem animaduertiſſe, ſaxoq; ægre depulſo, eam recepiſſe.

Gillij

GILLII ACCESSIO.

Vrſi dentibus retia non lacerant. CAP. XVII.

VRſus idcirco dentibus retia non lacerat, quòd ijs bene penitus reconditis, ea ipſa propter labrorũ craſsitudinem aſſequi non poſsit. Et ualet magis manibus quibus retia facile diſrumpit: nam non modo anterioribus pedibus ad ingreſſum utitur, ſed etiam cum quippiam accipit, aut ſe tuetur, ijs tanquã manibus utitur; ideoq́ ſuauioris cibi eæ habentur, quòd plurimo motu exerceantur.

Quemadmodum aſinum & orygem Aegyptij oderunt. CAP. XVIII.

BVſiritæ Abydus Lycopolis idcirco tubæ ſonitũ ab auditione ſua deteſtantur, atque execrantur, quòd ab aſino rudente eius clangor diſsimilitudinẽ non habet, & ſimul eis qui Serapidis religionem obſeruant, odio eſt aſinus, atq; acerbitati. Cuius rei non ignarus Ochus Perſes, Apim quidem interfecit, aſinum autem & conſecrauit, & ſanctiſsima religione coli iuſsit Aegyptios ut moleſtia afficeret. Sed is ſanè tanti ſceleris ſacro boui perſoluit pœnas, nec iniuſtas, neq; minus graueis, quàm Cambyſes dediſſet, qui primus bello ſacrilego religionibus indicto eiuſmodi impietatem commiſerat. Et uero etiam quos modo commemoraui Serapidis colentes, ex eo Orygem male oderunt, quòd ad ſolis exortum conuerſus, ſicut Aegyptij ferunt, aluum deijciat. Et Pythago-

rei de animalibus ſolum aſinum afferunt ad harmo-niam non factum eſſe, proinde abſurdam beſtiam, nullo ſenſu ad lyræ ſonum affici. Geminos aſinam ex ſeſe peperiſſe non facile quenquam meminiſſe fe-runt.

De aſinis Mauritaniæ. CAP. XIX.

MAuruſij aſini primum ut ſe in uiam dederunt, incredibiliter incitata celeritate iter conficiunt, ut euolare, non excurrere uideantur: Deinde eos cito feſſos de uia, & pedes & ſpiritus deficiunt, ac pe-dum tarditate ad currendum conſtricti inſiſtunt, & acerrimas profundunt lachrymas, non tantopere, meo iudicio, ob futuram mortem, quàm ob pedum infirmitatem, quare ut captiui ad equos alligati tra-huntur.

De propria ui & natura quorundam anima-lium, & de Aſino. CAP. XX.

HAnc etiam uim & naturam quorundam anima-lium non alienum eſt explanare: Ouis & aſi-nus ineptiſsimis ſunt moribus, & degeneribus ani-mis. Hinnuli, cerui, capræ ſylueſtres, lepores timidi exiſtimantur. Tum ex uolucribus paſſeres, ex aqua-tilibus mugiles: libidinoſus eſt perdix, clàm enim & ſilentio fœminas dicitur inire. Muſcæ & canes impu dentes atq; importuni.

De aſini cornibus Stygis aquam continentibus. CAP. XXI.

In Scy

IN Scythia aſini cornibus prædit naſcuntur, quorum cornua Arcadiæ fluminis Stygis aquam continent, quæ tranſmittit uaſa omnia, etiam ſi ſint ex ferro. Hæc cornua à Sopatro apportata fuiſſe aiunt Alexandro Macedoni, & illum admiratum miſiſſe Delphos, ut dedicarentur Pythiæ.

De Indicis aſinis. CAP. XXII.

SYlueſtres aſinos equis magnitudine non inferiores apud Indos naſci accepi, eosq; reliquo corpore albos, capite uero purpureo, oculisq; nigris eſſe, cornuq; in fronte gerere, cuius ſuperius puniceum, inferius autem album, medium uero nigrum ſit: atq; non omnes quidem Indos, ſed potentiores cum tanquam armillis quibuſdam brachia ſic cornua auro certis ſpatijs ornarunt ex his ipſis bibere ſolere. Ex hoc cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum fieri, neque eum ipſum conuulſionibus corripi, neque ſacro morbo tentari, neque uenenis ullis ferunt. Quinetiam ſi quid prius peſtilens biberit, tum id euomere, tumq; ad ſanitatem redire. Cum autem cæteri aſini, quibuſcunque in terris ſint, tam domeſtici, quàm ſylueſtres, tum ſolipeda animalia, non talos habeant, aſinos Indicos corrigeros Cteſias inquit, talis primum, ijsq; nigris, præditos eſſe. Deinde ſi quis eos confregerit, interiora quoq; nigra deprehenſurum eſſe: neque modo corporis uelocitate longe multumq; cæteros aſinos ſuperare,

perare, ſed & uelocitate eadem multo equis & elephantis præſtare. Cum autem in uiam ſe dederunt, tardius primo ingrediuntur, deinde paulatim tantum confirmantur ad contendendum iter, eos quidem ut ſequi operoſum ſit. Eorum uero curſum tranſcurrere nulli concedatur. Poſtea autem quàm fœminæ pepererunt, patres circum pullos à partu recentes ſumma cuſtodia uerſantur, eorúmque commorationes locis Indiæ deſertiſsimis ſunt. Cum à uenatoribus Indis inuaduntur, pullos ſuos adhuc ætate infirmos à tergo ſuo paſcentes habent, atque pro eis propugnant: contra equites audent uenire, eosq́ue ferire. Tanto ſanè hi robore exiſtunt, nihil eis ut obſiſtere queat, quin ſtatim & concidat, & perdatur, equorumq́ue incurſu latera diſcerpunt, ac lacerant, & uiſcera diſrumpunt: ex quo fit, ut ad eos equi appropinquare ualde metuant, appropinquatio enim capitalem utriſque mulctam miſerabiliter infert. Ex eo nanque conflictu non equi modò, ſed & aſini pereunt: pergrauiter calcibus pugnant, eorum morſus eatenus acerbiores exiſtunt, ut quicquid comprehenderint, funditus diripiant: ex his uero qui ſunt confirmata ætate incompræhenſibiles ſunt. Carnes eorũ quod amariſsimæ ſint, haudquaquam eſculentæ.

GILLII ACCESSIO.

De Onagro. CAP. XXIII.

Onagro

ONagrorum genus uelox ut procella fertur, robuſtis unguibus armatur, immanem gerit animum, eorum corpus ſatis amplum eniteſcit, tum argenteo colore, tum longis auribus ſpectatur, nigra uitta in utroq; extremo niuea corona ornata per medium dorſum decurrit, paſtu aluntur herbarum, quas abunde fundit terra, fortibus feris opima præda ſæpe fiunt, magna uxorum multitudine gaudent, quoquò maritus ducit, fœminæ ſequuntur, ſiue is ad paſtiones, ſiue ad fontes proficiſcitur, atque ad ueſperam unà cum ipſo ad domeſticam ſedem redeunt: ac nimirum ex obtrectatione, & riualitate tantopere laborat, ut ſui pulli de matre ſint ei ſuſpecti. Itaq; fœminæ parienti proximus aſſidens, partum expectat, ac ſi fœmina editur, amat partum, & lingens ipſum lingua conformat: Sin autem editum marem uidet, tum ſanè animo incitatur, & ex ægritudine laborare incipit, quòd alter mas natus ſit, qui matre aliquando potiri poſsit, quamobrem furenti animo & prompto pullorum teſticulos aggreditur abſcindere: Mater etſi pariendi doloribus debilitata, ſuo tamen infelici filio contra patrem auxiliari molitur, & quemadmodum in uaſtatione urbis, cum hoſtes filio interfecto matrem trahunt, quæ gnatum adhuc cæde palpitantem plangit, & magno gemitu plorat, genas lacerans, & mamillas filij ſanguine madentes uexat: Sic onagra uidens filium uicinum ad moriendum, miſerabiliter lamentatur, & lugenti perſimilis eſt. Diceres

miſeram ſuum partũ circueuntem ſuaui & ſupplici locutione dicere: Marite, cur tuus aſpectus tam truculentus? Cur oculi tui, qui ante lucidi eſſent, ſanguinei apparent? An ne Meduſæ faciem uides, quæ homines in ſaxa conuertit? an ne leænam plangentem arreptos catulos? O me miſeram quæ partum edidi infelicem ob ſcelus paternum: O filium hoc miſeriorem, quòd non unguibus leonum, ſed pluſquàm hoſtilibus patris dentibus ob riualem inuidiam caſtraris: O quàm ualde acerbum eſt obtrectationis uirus. Naturæ enim (à qua prima commendatio proficiſcitur, ut filios diligamus) uim longe ſuperat, non enim eorum quæ procreauerit mouetur: non ſocios, non parentes, non fratres agnoſcit.

De Onocentauro. CAP. XXIIII.

ONocentaurum quiſquis uidit, non incredibile ducet, quod fama peruagatum eſt, Centauros fuiſſe, neque fictores atque pictores in eorum deſcriptione erraſſe. Verum ſiue reuera fuerint, ſiue omni cera flexibilior, & ad fingendum habilior, fama illos finxerit, prætereo. De onocentauro quidem mihi nunc eſt animus explicare, quæ auditione, & fama accepi. Eum ipſum homini ore, & promiſſa barba ſimilem eſſe, ſimul & collum, & pectus humanam ſpeciem, ſimilitudinemq́; gerere: mammas diſtantes ex pectore pendêre: humeros, brachia humanam figuram habere: dorſum, uentrem, poſteriores pedes, aſino perſimiles eſſe: & quemadmodum aſinum, ſic

cinereo

cinereo colore eſſe: imum uentrem leuiter exalbeſce-
re: duplicem uſum ei manus præſtare, nam celeritate
ubi ſit opus, eæ manus præcurrunt ante poſteriores
pedes: Ex quo fit, ut non cæterorum quadrupedum
curſu ſuperetur: ac ubi rurſus habet neceſſe uel ci-
bum capere, uel aliud quiddam tollere, qui antea pe-
des eſſent, manus efficiuntur: tumq́ non graditur,
ſed in ſeſsione quieſcit: Animal eſt graui animi acer-
bitate, nam ſi capiatur, non ferens ſeruitutem, liberta-
tis deſiderio ab omni cibo abhorret, & fame ſibi mor-
tem conſciſcit. Hæc de onocentauro Pythagoram
narrare teſtatur Crates ex Myſio pergamo pro-
fectus.

De mulo Athenienſi. CAP. XXV.

ATHenienſis mulus iam uetulus, quanuis immu-
nitate uecturarum donatus eſſet, non laborum
tamen, qui per affectam ætatem obiri queunt, ſtudio
exſolutus eſſe uoluit. Nam cum Veſtalium templum
Athenienſes ædificarent, is nulla re onuſtus, nullius
imperio, ſed ſua ſponte adoleſcentibus mulis, tan-
quam ad iter faciendum dux anteibat: & quemad-
modum quiſpiam ſenex artifex, per exactam ætatem
quidem iam opere dimiſſus, ueruntamen experien-
tia, & ſenili doctrina iuuenes ad laborem exacuens:
Sic is ultrò citroq́ commeans, ad opus iumenta inci-
tabat. Quod quidem ipſum ut Athenienſis populus
intellexit, per præconem declarari iuſſit, ut ne à fru-
mentis prohiberetur, ſed & expleri, & ſatiari permit-

teretur: & in prytaneo uictus huic, ſicut athletæ iam ætate confecto, præberetur à populo.

De muli aſtutia. CAP. XXVI.

MAlitioſe factum muli Thales Mileſius manifeſtò deprehenſum, ingenioſe admodum ultus eſt: Cum enim ille ſale onuſtus fluuium aliquando tranſmitteret, uſu forte euenit, ut & caderet, & ſarcina euerteretur, ſal autem aqua perfuſus liquefieret: Is ex eo quòd iam ab onere ſolutus, & liber factus eſſet, magnam lætitiam, uoluptatemq́ue cepit, & ſimul ut quantum inter laborem & otium intereſſet cognouiſſet, in reliquum tempus fortunam ſibi iam magiſtram ſtatuens, quam primo labem & caſum inuitus feciſſet, deinde ſumma cum uoluptate prudens & ſciens admittebat. Hoc quidem ipſum Thales ubi intellexiſſet, ſapientia ulciſcendam illius malitiam arbitratus, pro ſale eum ſpongijs & lana onerari præcepit: Mulus inſtructarum ſibi inſidiarum ignarus, ex ueteri conſuetudine cecidit. Cum autem aqua completum onus eſſe grauius ſenſiſſet, atque aſtutiam in detrimentum ſibi uerſam percepiſſet, ex eo tempore ſine fraude & moleſtia flumina tranſiens, ab omni lapſu tibias ſuſtinebat, & ſalem ab eo incommodo integrum conſeruabat.

De ruffis mulis Indiæ. CAP. XXVII.

IN India equarum & aſinorum greges ſunt, & aſinos equæ facilime admittunt, & rubros mulos pariunt, ad currendum præſtantiſsimos, quos compedibus

dibus captos ad Praſiorũ regem adducunt, ex ijs qui bimi comprehendunt domari poſſunt: Contrà uetuli ab immaniſsimis, & carniuoris feris nihil differunt.

GILLII ACCESSIO.

De Tigride. CAP. XXVIII.

Tigride nihil ex omnibus feris ad ſpectandum iucundius naturæ ſolertia finxit. Nam formę pulchritudine tam ualde inter feras eximia eſt, quàm longe cæteris auibus pauo excellit: Leęnæ omnino ſimilis uidetur, præter ſolam pellem, quam uariam maculæ purpureſcẽtes, & efflorentes exornant. Ad curſum omnibus feris præſtat. Vana quædam fama ex eo uenit in ſermonem hominum, huius generis nullum marem eſſe, quòd fœminã ſæpe uideas, marem non item: hic enim relictis pullis, primum ut uenatorem ſenſit, ſtatim incitato curſu ſe in fugam conijcit. Illa autem captiuos filios conſequens, ſua ſponte in caſſes incidit, ac ſi nauigaturi ſunt, ad naues uſq; proficiſcitur, illiſq; recuperatis, incredibili lętitia abit: quòd ſi iam nauẽ, in qua capti pulli ſunt, ſoluiſſe uideat, mœrore gemituq; ſeſe in littore conficit, ſæpeq; ex eo acerrimo dolore perit. Tigrem dicunt ſi tympanorum ſono obſtrepitur, inſanire, atque furere, ſeſeq; diſcerpere, & lacerare. Megaſthenes ſcriptis mandauit, in Praſijs tigres gigni leonibus duplo ferè maiores, eo robore, ut ſi de manſuetis unus à quatuor hominibus ductus, muli poſteriorem pedem comprehenderit, ad ſe trahat.

GILLII ACCESSIO.

Quemadmodum amat Tigris ſuos familiares. CAP. XIX.

PLutarchus ſcribit hœdum, quo cum tigridi uiuẽdi conſuetudo eſſet, cum deuorandum huic quidam obieciſſent, eiuſmodi feram, quãuis alterius cibi nulla facultas eſſet, ab eo edendo non modò ſe ſuſtentaſſe, uerũ ut etiã ne hœdo, ſed alio cibo famẽ depelleret, caueã qna contineretur, diſtraxiſſe, & dirupiſſe.

De Camelis. CAP. XX.

HErodotus ſcribit, Camelum in poſterioribus cruribus gerere quatuor fœmora, & totidẽ genua, & ueretrum inter poſteriora crura caudam uerſus ſpectare. Cum Camelos quinquaginta annos uiuere percepi, tum bactrianos ad centeſimum annum: tum mares ut pugnatiores ſint à Bactris populis caſtrari, ita petulantia exciſſa maiori robore eſſe. Camelis etiam fœminis uuluas ferro exulcerari, ut partibus illis quæ ad furorem libidinis incitant aduſtis, ad bellum aptiores exiſtant.

De uerecundo coitu Camelorum. CAP. XXI.

MAſſagetæ, ut Herodotus inquit, ſuſpenſa ad plauſtrum pharetra, cum uxoribus in aperto & propatulo loco concumbunt, & concubitum licet omñes aſpiciant, præclare contemnunt. At contrà nunquam Cameli coëundam ueneris palàm ſocietatem inter ſe ducunt. Quod quidem ipſum factíne uerecundia,

recundia, an admirabili naturæ munere faciant, Democrito, aliisq́ diſputandum relinquo. Cum autem inter eos coniunctionis appetitum paſtor exoriri ſentit, aliquò concedit, & tanquam ſponſo decedit ingredienti thalamum cum ſponſa.

De Camelorum pietate aduerſus matrem. CAP. XXII.

TRagœdi fabulas erroris plenas animis offundũt de Laij filio & Thelepho, qui ſimul recumbens, tametſi cum matre complexu uenereo non iunctus fuerit, incæſtum tamen ſtuprum cum ipſa cõfeciſſet, niſi eos diuino ductu draco diremiſſet. Animalibus enim rationis expertibus eiuſmodi cõcubitus ex corporis contactu natura cognoſcendos dedit, neq; ad eos coitus percipiẽdos notionibus ullis egent. Etenim Camelus cum matre nunquam concumbit: Cuius rei exemplo eſt paſtor quiſpiam, is cum fœminã quoad eius fieri poterat, exceptis genitalibus obtexiſſet, deindeq́ filium matri ſic opertæ admiſiſſet: hic ex latebris coitus appetitione falſus, matrem imprudens ſuperuenit ſuam, quod ubi intellexiſſet, Camelarium ſcelerati coitus admiſſarium & mordicus premens, & ad terram abiectum genibus affligens, cum ſummis doloribus interfecit, atque ſeipſum præcipitem agens, uoluntariam mortem ſibi conſciuit.

GILLII ACCESSIO.

De Camelo Pardali. CAP. XXIII.

EX cameli & pardalis natura Camelopardalis conſtat, & eius tergum ſimiliter ut pardalium maculoſa pelle tegitur: præterea cum camelo communitatem habet. Collo eſt ſanè longo, auribus paruis, longis cruribus, ijsq; non æqualibus: nam priora maiora, poſteriora multo minora: ex media fronte geminum quiddam tanquam cornu exiſtit: os ut ceruorum non durum: Tenues, & candidi dentes: ſplendidi oculi: cauda quemadmodum ceruorum, ſic parua, & nigris ſummis pilis hirſuta. Decimo Aethiopicôn libro Heliodorus ait, Camelopardalim non modo ad cameli proceritatem accedere, ſed & camelino capite, & colore tanquam efflorcſcentibus maculis, uario pãtheræ ſimilem eſſe: eidemq; imas uentris partes humi ſic ſubſidere, ut in leonibus uidemus, ſimul & humeros & priores pedes, & ipſum pectus ſupra cæterorum membrorum portionem procera exiſtere: tum tenui ceruice eſſe, collumq; olorini colli ſimilitudinem & figuram gerere. Idemq; affert, propemodum ipſam duplo maiorem, quàm Libycã ſtruthum uideri, & uelut pictos oculos habere, ac illius gradum à cæteris animantibus maximam diſsimilitudinem habere: necq; enim gradiendi uiciſsitudinem crura ſimul efficiũt, ſed dextra pariter, deinceps ſiniſtra utraque mouet, tractationeq; tam facili motuq; eſt, ut eam quolibet tenui capiſtro, ad uerticẽ alligato magiſter ducere poſsit. Dion Pruſenſis tertio & quadrageſimo Romanæ hiſtoriæ libro, Cæſarem

comme

commemorat,hanc primo populo Romano ſpectandam dediſſe: Tum etiam dicit, ex cæteris quidem partibus Camelum uideri, ſed certe crura diſparia habere,nam poſteriora prioribus breuiora ſunt,ut à clunibus quaſi conſcenſionis gradus eius excelſitas leuiter attollatur,corpusq́ʒ reliquum excelſum prioribus cruribus ſuſtineatur: Colore ſimiliter maculoſo ut panthera diſtinguitur.

De rhinocerote, & quemadmodum pugnant contra elephantum. CAP. XXIIII.

Rhinocerotis figuram nimis ualde frigidum eſſet deſcribere,quum permulti ex Græcis & Romanis,qui illum uiderunt, eius formam planè ſciant: at enim uim & illius naturam actionum non alienum eſt exponere: Quòd in ſumma nare cornu gerit,cuius mucro acutus exiſtit, ex eo nomen traxit, neque ipſum illud de robore concedit ferro: quod quidem ipſum,cum eſt contra Elephantum pugnaturus, ſaxis exacuit, & limat: cætera non ei paria cum Elephanto,nam hic & proceriſsimus eſt, & fortiſsimus. Cornu igitur cuſpidato Elephanti crura ſubiens, aluum diſcerpit, & lacerat: isq́ʒ effuſo ſanguine decumbit. Pugna eorum eſt de paſtionibus, pro ijsq́ʒ tuendis multi mori dicuntur: ac ſi aluum non præoccuparit rhinoceros,ſed in aliam Elephanti partem aberrarit,Elephantinis dẽtibus diſtrahitur:ac tametſi eius pellis ea exiſtat firmitate,ut ægre iaculo penetrari queat,tamen tam uiolentus eſt Elephanti impetus,

ut eam traijciat.

GILLII ACCESSIO. CAP. XXV.

RHinoceros non multo Oryge maior eſt, ex eius ſummo naſo paruum cornu acutum nimirum adeo infeſtus gladius eminet, eo ferrum ut perforet, & impetu facto ſaxum diſcindat: eius frons leuiter rufa eſt, & dorſum maculis purpureis diſtinguitur. Huius generis fœminæ nunquam apparent, quod ipſum Oppiano poëticæ commentationis de eorum partu cauſam dedit.

GILLII ACCESSIO.
De Hyena. CAP. XXVI.

MEdium Hyenæ dorſum incurueſcit, ac eius corpus fuſcis uittis utrinq; diſtinguitur, & permulto pilo circumueſtitur, dorſum, & cauda ſtricta & longa: eius item pellis canum dentibus infeſtiſsima eſt, ac ſi eius pelle ſis calceatus, tantopere canibus formidoloſus ac horribilis exiſtes, ut non te quicquam ij latrare audeant.

De Hyena. CAP. XXVII.

HYena dextra in manu uim ſopiendi habet, & ſuo tactu ſomnum conciliandi, ſæpeq́; numero in ſtabula ingreſſa cum dormientem aliquem deprehenderit, & pedetentim ad illum progreſſa fuerit, ſoporiferam, ut ita dicam, manum eius naribus admouet, ſicq́; eas opprimit, hic ut ſine ſenſu eſſe uideatur, ac tantum terræ ſuffodit, quantum ſit ad eum ipſum obruendum ſatis: guttur uero & ſupinum & nudum relinquit,

relinquit,in quod incumbens,ſomno oppreſſum ſuffocat,poſteaq́; in latibulum abſtrahit. Iam cum lunæ orbis plenus eſt,retro poſito lunæ fulgore ſuam canibus umbram inijcit,quos ſtatim mutos reddit, & tanquam ueneficio quodam eorum ſenſus perſtringit: Deinde & elingues abducit, & optatis fruit̃. Itemq́; ad ſtabula noctu profecta, humanum uomitum aſſimulat,eam ut canes exaudierunt, ſic ad illam ipſam, tanquam ad hominem adeunt, ea uero comprehenſos uorat.

GILLII ACCESSIO. CAP. XXVIII.

HYena homini caníue dormiẽti ſuum corpus admouet, ac ſi ſeipſam maiorem dormiente ſentit, naturaliter ſua magnitudine ſenſibus eum priuat, ac ipſius manus non reſiſtentis exedit, & conficit: ſin ſe breuiorem animaduertit, ſtatim properat fugere. Quod ſi in te incurrerit, caue iam à dextera ipſam excipias, quoniam ſic obtorpeſceres, ut nullo modo te poſſes tueri: ſin autem ex ſiniſtra in eam inuaſeris, ipſam occides. Eius linguam ſi quis manu teneat,contra canum impetum maximam cautionem habebit. Si huius & pardalis pelles admiſcentur, pardalina pilos amittit, Hyena non item.

GILLII ACCESSIO.

De Crocutis. CAP. XXIX.

BEluarum,quas Ethiopes crocutas appellant, natura ex Cane & Lupo ut temperata ſit. Certe his ambobus robore dentium ſuperiores exiſtimantur,

quum enim omnia oſſa conquaſſat, & corrumpit, tum exedit & conficit. Porphyrius in eo opere quod inſcripſit de abſtinentia ab uſu carnium, Hyenam dicit ab Indis appellari Crocutam.

De Crocutæ calliditate. CAP. XXX.

CAllida item Crocuta, primum enim ſeſe in denſas ſyluas occultans, materiarios fabros nominatim inter ſe appellãtes auſcultat, illorumq́ cuiuſpiam nomen addiſcit: Deinde ſumma humani ſermonis aſſimulatione comparans inſidias, quod audiuit nomen humana uoce appellat, ad eam accedit appellatus, retro uero illa cedens rurſum appellat, idem iterum ſæpiusq́ ad humanam uocem accedit, ubi autem eum à socijs ſeduxit, & iam ab auxiliatoribus nudum conſtituit, correptum interimit, ex eoq́ quem uoce pellexit, ſibi inſtruit & conficit cibum.

FINIS LIBRI V.

LIBER SEXTVS
DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

Quemadmodum Suillum pecus uoraciſsimum: Item de ciconia,uulpanſere,& upupa. CAP. I.

SVILLVM pecus tantopere explendo abdomini deditum eſt, ut ne proprijs quidē ſuis fœtibus parcat, neq; helluationem ſuam ab humano corpore abſtineat. Quæ cauſa eſt, cur huiuſmodi animal ut impurum, deteſtabile, & uoraciſsimum apud Aegyptios in ſummo odio habeat̃. Contrà autem mitiores beſtiæ naturæ & miſericordis & piæ participes præcipuo quodam honore à prudentibus uiris ſolitæ ſunt affici. Ciconiæ enim apud Aegyptios eò uenerationem habent, quòd ſenectute affectos parentes alunt, ijdemq; ipſi idcirco uulpanſeribus & upupis honorem habent, quia illi quidem ſunt pullorum ſuorum amantes, hæ autem aduerſus parentes exiſtimãtur piæ. Manethonem porro Aegyptium ſumma ſapientia uirum accepi dicere, eum qui ſuillo lacte ueſcatur, uitiliginibus & lepra oppletum iri, quos quidem morbos Aſiani omnes peſsime oderunt. Aegyptij uero, quibus perſuaſiſsimum eſt, ſues ſoli & lunæ inimiciſsimos eſſe, ſemel tantum cum feſtos dies agitant, eos lunæ ſingulis annis, aliàs uero

t nunquã

nunquam, nec huic ipſi, nec cuipiam alij deorum ſacrificant: idq; propterea faciunt, quia execrandos & deteſtabiles ducunt. Tum Athenienſes in myſterijs iure optimo ſues immolant, propter perniciem quam ſegetibus moliuntur. Nam ex ſpicis ſæpe alias exinaniunt, alias quæ nondum ad maturitatē peruenerunt uaſtant, alias effodiunt. Eudoxus ideo inquit, Aegyptios ab immolandis ſuibus ſe ſuſtinere, quòd poſteaquam ſementem fecerunt, eorum greges ad proterendam & conculcandam frumentorū ſationem atq; depellendam in altiorem terram & humidiorē inducere ſoleant, ut hac quaſi occatione terra obducta ne ab auibus ſemina exhauriantur.

GYLLII ACCESSIO. CAP. II.

SVs, inquit Cicero, quid habet præter eſcam: cui quidem ne putreſceret, animam ipſam pro ſale datam dicit eſſe Chriſippus: qua pecude, quòd erat ad ueſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.

Quemadmodum Suillum pecus altoris ſuarij uocem intelligit. CAP. III.

POrculatoris uocem ſuillum pecus ſic agnoſcit, ut etiam ſi ab eo procul ſeductum fuerit, appellantem intelligat, cui quidam rei teſtimonio eſt id quod proxime ſequitur. Cum maris prædones ad Tyrrhenam terràm pyraticam nauem appuliſſent, ex hara

permultos

permultos ſues furto abactos impoſuerunt in na-
uim, quam ſoluentes ad nauigandum incubuerunt.
Subulci præſentibus pyratis ſilentiū tenebant, ſuesq́ꝫ
eatenus abduci quieſcebant, quoad ex portu latro-
nes ſe eripuiſſent, & à terra ſoluiſſent. Tum uoce ſui-
bus audiri ſolita ſuarij quàm maxime poterant excla
mantes, eos retro uerſus ad ſe reuocabant. Porci pri-
mum ut ſublatum clamorem paſtorum exaudierūt,
ſtatim ſe in alterū nauis latus compellentes, eam euer
terunt: malefici pyratæ naufragio quàm mox fundi-
tus perierunt, ſues ad ſuos enatarunt.

De Sue & Salamandra. CAP. IIII.

SVem ſuauiores carnes habere iandudum credi-
tum eſt, ac ſi quando ſalamādram comederit; ipſe
extra periculum eſt: eos autem qui ſuis carnibus ue-
ſcantur, interimit.

Vt ſalix nihil beſtijs nocet, & de Suillo pe-
core. CAP. V.

SI quis tritum ſalicis ſemen beſtijs dederit bibere,
eis non modo quippiam non nocet, ſed etiam alit:
Sin homo idipſum biberit, facultatem liberos gigneri
di ei adimit, & ſemen genitale perdit. Quare Home-
rus abſtruſa naturæ perſcrutatus, mihi, cum ſalices
frugiperdas ſuis uerſibus dixit, earum uim adum-
bratè oſtendiſſe uidetur. Cum autem cicutam homo
biberit, ei ſanguis quaſi conglaciat, & eatenus concre
tione ſpiſſus fit, ut inde moriatur. Suillum uero pe-

cus, huius ſaturitate ſe licet compleuerit, tantũ abeſt eius ueneno tollatur, hac ut maxime pingueſcat.

Suillum pecus non naſcitur in India. CAP. VI.

APud Indos nullum ſuem neq; ferum neq; cicurem naſci Cteſias Cnydius ait, & ſuilli generis uſum Indos à ſe deteſtari, & tantopere ab eo ueſcẽdo, quàm ab humanis carnibus, abhorrere. In Macedonia ſues muti eſſe dicuntur.

De Sue alato. CAP. VII.

SVem alatum Clazomenis exortum fuiſſe auditũ eſt, qui Clazomenios agros uaſtaret. Quod quidẽ ipſum in Clazomeniorum finibus Artemon confirmauit accidiſſe: unde illic locus decãtatus, Sus alatus nominatur. Id quod ſi cuipiam fabula uideatur, & ego hoc idem non ignorem, tamen de animali dictũ facile patior. Agatharſides ait ſues in Aethiopia cornua habere.

De ſuis medicina. CAP. VIII.

SVnt ſues medicæ curationis non imperiti, nam cum imprudentes Hyoſciamum comederint, etſi egerrime afficiuntur, tamen reptantes ſeſe ad aquas trahunt: quo profecti, cancros legunt, & deuorãt, eorumq; cibo ad incolumitatem reſtituuntur.

GYLLII ACCESSIO.

De Apro. CAP. IX.

APer longè multumq; præſtat inter feras, in deſertiſsima ſolitudine & receſſu locorũ præcipitũ

& deuio

& deuiorum uerſari ſolet, ad ueneris libidinem inflã-matiſsimus eſt, ceruicis ſetis ſic inhorreſcit, ut criſtæ galearum eſſe uideantur, ſpumas agit in ore, magno ſtridore dentium concrepat, efferueſcentem ſpiritum anhelat, coëundi furore ardet, ac ſi fœmina eum ſic libidine furentem patienter manet, omnem illius bi-lem extinxit, & libidinem ſedauit: Sin autem coitum refugit, is confeſtim doloris ſtimulis incitatus, aut ipſam ui expugnatam init, aut mortuam in terram dentibus abijcit. Oppianus lib. III. de uenatione ait: Cum ad terram procubuit, canibus & multis ha-ſtis debellatus, dentem illius inflammato anhelitu tantopere igneſcere, ut ſi quis de ceruice ſetam detra-ctam ad eiuſdem etiam inſpirantis dentem admoue-rit, candens in orbem contrahitur ac aduratur, ac ſi eo dente canes inſectantes attigerit, ſtatim ignita ueſti-gia pelli ipſorum imprimantur.

Quemadmodum Aper dentes acuit. CAP. X.

APrum priuſquam in aliquem inuadit, dentes exacuere ferunt: Cui rei teſtimonio eſt Home-rus, cum ait, Album acuens dentem. Atque etiam in-telligo Suillum pecus ſeſe in luto uolutãs, ac turbidã aquam bibens, cum pingue euadere, tum cibis qui ue hemẽter inflent & expleãt, delectari: tum etiam quie-tem & ſuille tenebris oppletum appetere. Non igno-rans præterea Homerus, ut ſus uidens fœminam, ſeſe extenuet, & carnes atterat, facit mares ſeparatim à fœminis cubare. In Salamine ſi ſus ſegetem herbeſcẽ-

tem fuerit depaſtus, eius dentes lege Salaminenſium exteruntur.

GYLLII ACCESSIO.

De Ceruis. CAP. XI.

CErui ueloces, picti, ęmuli, excelſis cornibus & magnis oculis, debili collo, exigua cauda, gracilimis cruribus, dorſo pingui, quaternis naribus, hebetibus cornuum mucronibus, atque corde puſillanimo præditi ſunt. Nunquam enim capite pugnarent, neq; cum fortibus feris, neque cum acribus canibus. Vehementi amoris libidine flagrant, ut tanquam gallinacei totos dies ad uenerem non ceſſent incumbere. Cornuū ramoſi mucrones, lanugine ueſtiuntur. Non ſimiliter atque aliæ fære beſtiæ ueneris coitione utuntur, ſed inſolentia coniunctionis implicantur: Neque enim ſtantes, neque inclinati complexu uenereo iunguntur, ſed magna celeritate currentes ineunt fœminas, ſimul & tametſi properantes fugere uxores pedibus amplectuntur, non earum tamen curſum retardare poſſunt, ſed inexorabiles ad conſiſtendum, maritos ferunt, & fugere perſeuerant, ij autem duobus pedibus innitentes, non eas antè relinquunt, quàm coitum abſoluerint. Formæ pulchritudine, & magnitudine cornuum, & uarietate ramorum ex omnibus feris maxime efferuntur. Elapſa cornua, ne quis eis potiatur, in terram occultant, ab ijſdemq́ inopes in denſa arbuſta ideo ſe abſtrudunt, quòd uereantur à ſuis ornamentis nuda capita feris oſtendere: more

claſsis

claſsis nauium mare tranſnant: unus cæteros ante- graditur, dux ad tranſmittendum: hunc alter capite innitens tergo, inſequitur, & ſimiliter cęteri deinceps ſubſequuntur. Cum autem primus antecedere defati- gatur, ad extremum agmen recurrit, & caput in alte- rum, inclinans paulum à labore recreatur. Secundus recens, defatigato ſuccedens anteit, atq; alij omnes in aliorum uicem ſuccedentes, duces efficiuntur: pedi- bus tanquam remis utūtur, cornua excelſa tanquam uela uentis permittunt. Mutuo inter ſe odio omne ſerpentium ceruorumq́; genus flagrat inexpiabili, ſer pentem ceruus longe lateq́; inquirens, tandem in il- lius ueſtigia, longis flexionibus apparentia, iucundè peruenit, naribusq́; ad cauernam admotis, ad pugnā pugnare nolentem ipſum, profert. Serpens extracta, in altum tollit collum, & crepitu dentium horribilis eſt, & acerba ſibila anhelat: Contrà ceruus ridenti ſi- milis e ueſtigio inaniter pugnantem, & cerui collum & crura circumplicantem, in ſexcenta fruſta lacerat. In Libycis finibus magna uis ſerpentum, ceruum (cum ſolus humi ſtratus iacet) undiq; inuadit, & in eius pellem dentes configit, neque cerui ulla pars eſt, quæ non ſerpentibus circunfuſa ſit, aliæ caput mor- dicus premunt, aliæ collum & pectus, uentremq́; di- ſtrahunt, aliæ item utrinq; circum latera uerſantes in- ſtant, nonnullæ crura, aliæ dorſum depaſcuntur, aliæ ex inguinibus pendent hoſtiliter infixæ. Hic omni- bus doloribus refertus, primum fugere tentat, & ru-

git,& quoquouerſum ſe uerſat, ſed magna turba circumſeſſus, non poteſt elabi, ſed tamen ore dilaniat infinitam & bellicoſam gentem, & cornibus inſequitur. Illæ uero nihil remittunt, uel ceruinis dentibus decerptæ, audacter incumbunt: Is alias dentibus diſſecat, alias pedibus perdit, ac ſerpentum per terram permultus ſanguis diffluit, earumq; membra ſemicomeſta ad terram abiecta palpitant, aliæ laceratæ in latera magno dentium robore inhæreſcunt, & ſola capita à reliquo corpore abſciſſa cerui pellem adhuc pertinaciter retinẽt. Quum autem ceruus ſe ita affectum ſentit, diuino quodam naturæ munere fluuium inquirit, unde cancellos corripiens, medicinam ſibi facit, confeſtimq; ferarum reliquiæ ex eius pelle excidunt, cicatrices autem obducuntur.

De Ceruorum cum ſerpentibus diſsidio.
CAP. XII.

MIrifico quodam munere naturæ ceruus ſerpentem funditus uincit, neque enim ipſum, tametſi hoſtis in latebrã abditus effugere poteſt. Etenim ille naribus ſuis in ſerpentis cauernam incumbens, uehemẽtiſsime inſpirat, & ſpiritu ſuo quaſi amatorio quodam alliciens extrahit, inuitumq; profert, ac nimirum procumbentem illam mãdere ingreditur. Quod hyeme facere maxime ſolet. Si quis autem cerui cornua in pulueres excidat, poſteaq; exciſos in ignẽ pulueres conijciat, fumus inde naſcens undiq; ſerpentes ne illius quidem nidorem ſuſtinentes, fugat.

Quid

Quid agant Cerui amiſsis cornibus.
CAP. XIII.

IN latebras amiſsis cornibus ſeſe cerui abdunt, hoc diligentius ab hoſtibus ſibi cauentes, quòd à cornibus iam inopes cum à priſtino robore, tum ab armis ſe nudos exiſtiment. Cauere etiam dicuntur, ne quando in uulnera, quæ acceperint recentia, ſolis radius incumbens priuſquam abducantur, carnem putrefaciat.

Quo in loco cerua parit. CAP. XIIII.

SEcundum uias cerua parere ſolet, quod quidem ipſum ſapienter facere uidetur, uel quòd hinnulis ſuis inſidias à feris timeat fieri, uel quia celeritatis fiducia homines egregie contemnat. Non enim, tametſi infirmior, dubitat eos effugere poſſe: poſtea autem quàm ſe opimo corporis habitu affectam ſentit, non amplius iuxta uias partum edit, quod iam ſe minus accommodatam ad currendum intelligit: at enim uel in ſaltibus uel conuallibus parit.

De Ceruorum moderatione. CAP. XV.

CEruus ad uiuendum præſentibus contentus eſt, nec plura deſiderat, imò uero hominibus temperantius multò & uentri moderatur, & cupiditates cõtinet. Nam in Helleſponto collis eſt, ubi cerui quorum altera diſſiſſa eſt auris, ſic paſcuntur, illius extra fines ut nunquam progrediantur, nec enim alias paſtiones deſiderant, nec prata alia bonitate præſtantiora

tiora concupiſcunt: & uero ſatis habent omni ann tempore præſentibus ueſci. Quid ad hæc homines? quos ſanè nunquam ne orbis quidem terræ explere queat.

De Syrorum ceruis. CAP. XVI.

IN Amano, Libano, & Carmelo Syriæ montibus, cerui naſcuntur, qui cum in Cyprum tranſmittere uolunt, gregatim ad littora perueniunt, ibiq; tandiu ſecundos uentos præſtolantur, dum per placatiſsimam quietem belle ſibi flare ſenſerint, tum fidenti animo ſeſe traijcere mare ingreſsi, & ordine natant, & uero in antecedentium tergo ſubſequentes capita, reponunt, ac nimirum dux idcirco retrocedit, quia non habet ubi nitatur, & poſt omnes clunibus proximi antegredientis, nitens ex labore quieti ſeſe dat, ſimul & extremum agmen ducit. In Cyprum ideo tranſnant, quòd paſtionum, quæ illic ampliſsimæ eſſe dicuntur, deſiderio tenentur, & profecto adeo feracem Cypri ſe incolere regionem teſtantur, de agrorum ut bonitate Aegyptijs non concedant. Eodem modo Epirotici cerui in Corcyram, quæ contra Epirum eſt mare, tranſeunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Cerua. CAP. XVII.

CIcero dicit ceruas paulo ante partum perpurgare ſe quadam herbula quæ ſeſelis dicitur.

Cur cer

Cur ceruorum cornua renaſcuntur.
CAP. XVIII.

CAuſam ceruis cur cornua renaſcuntur Democritus eam dicit, uentrem ijs calidiſsimum eſſe, & eorum uenas per uniuerſum corpus pertinentes eſſe rariſsimas, & os quod cerebrum amplectitur, membranæ inſtar tenuiſsimum & perrarum eſſe, indeq; ad ſummum capitis uerticem craſsiſsimas atque opimas uenas exoriri: itaq; cibum & huius nutrimentum minime concoctum, à natiuo calore in totum corpus eiusq; parteis diſtrahi. Idemq; ait eis pinguitudinem extrinſecus circunfundi, ſimul & cibi uim per uenas in caput retorqueri, & reflecti, ex eo cornua permulto humore irrigata enaſci. Continenter enim uicinis ad cadendum ſuccreſcentia & influentia ſummouent, atque expellunt priora, ac ſanè exortus humor extra corpus dureſcit ab aëre eum ipſum conſolidante, & in corneam duritatem confirmante. Humor autem qui etiam nunc intra cutem ſubeſt mollis, & tener, partim ab exteriore refrigeratione dureſcit, partim ab interiore tepore tener manet. Quocirca recens cornu enaſcens, & intrinſecus premens, uetus tanquam alienum expellit, & ſanè humor concreſcens, ad depellendum antiquum infirmus eſt, at dureſcens, priora extrudere poteſt, quorum pleraq; interno robore extrahuntur: nonnulla arborum ramis circumplicata & feram ad curſum incitatã ui impedientia abrumpuntur: Eo pacto ue-

tera excidunt, recentia ad erumpendum parata, naturæ munere proferuntur.

De Cerui cornu, & lapide ſerpentes fugante. CAP. XIX.

CEruini cornu ſuffimento ſerpentes fugari manifeſtum eſt. Fluuius eſt, nomine Pontus in quo lapis inuenitur, cuius ſuffitu ſerpentes pelluntur, ac ſi quis aqua perfuderit, incendio conflagrat: ſin ardentem flabello incendere uelis, reſtinguitur, atque eius ſuffimentum odorem ſulfure tetriorem emittit, in quod quidem ipſum, etiam Nicander conſentit.

Quemadmodum Apri & Cerui muſica capiuntur. CAP. XX.

TYrrhenorum ſermone peruagatum eſt, apros, & ceruos apud eos cum retibus & canibus, ut uenandi ſanè uſus ferre ſolet, tum multo maxime muſicæ adiumento capi, quod quidem ipſum quemadmodum fiat, iam porro dicam: Circumiectis retibus, & cæteris inſtrumentis accommodatis ad faciendas beſtijs inſidias, collocatis, homo ad tibiam canendi bene peritus, quoad eius fieri poteſt, omnem cantus contentionem remittit, & relaxat, & quidlibet ad canendũ ſuaue prȩclare uſurpat, & ſenſim pedetẽtimq́; progrediẽs in montium uertices & conualles, atq;, ut breui explicem, in omnia luſtra ferarũ, & cubilia, tibię

cantu

cantu influit, ac nimirũ primo in eorum aures influentis ſoni inſolẽtia ipſos exterret: deinde cum impotenti uoluptate aures tenentur, tum nullo negotio comprehenduntur, cantusq́ ſuauitate permulſi, & deliniti, in eorum quæ procreauerint & domeſticarum ſedium obliuionem ueniunt: Etiam ſi feræ beſtiæ non à locis ubi uerſari aſſueuerunt, aberrare ſolent. Sic igitur Tyrrhenæ beſtiæ paulatim tanquam ſuadæ illecebra ducuntur & quaſi cantu præſtrictæ, in laqueos ſeſe inſerunt, quibus illaqueatæ comprehenduntur. In Scythia natio quædam ferorum hominum eſt, qui ex feritate ceruos in eam manſuetudinem traduxit, ut in cicuribus illis tanquam equis inſideat.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum Phalangium ceruis perniciosum. CAP. XXI.

PHalangium non minus ceruis quàm hominibus ipſis pernicioſum exiſtit, & celeriter pereunt, niſi ſylueſtrem hederam comedant: neque ea adeſa, phalangij acerbitas eis quippiam nocet. Cretenſes iaculandi periti, feras captas in uerticibus montium paſcentes percutiunt: ex accepto uulnere, ſtatim Dictamum herbam comedunt, & eueſtigio iacula excidũt.

De hinnulo intelligente Græcum ſermonem. CAP. XXII.

PTolemæus ſecũdus, quem etiam Philadelphum appellant, cerui hinnulum munere accepit, qui cum aleretur, ſic ad Græcum ſermonẽ aſſueſcerat,

ut loquentes intelligeret, cum tamẽ ante hunc ipſum creditum eſſet, ſolam Indorum linguam ceruos percipere.

GYLLII ACCESSIO.

De Bubalis. CAP. XXIII.

VT magnitudine inferior bubalus eſt quã ceruus, lato capite præditus, ſimiliter dama longe inferior eſt, tum ſplendidis oculis, ſuaui colore, alacri aſpectu eſt: tum recti à capite cornuum rami exoriuntur, quorum mucrones retro ad tergum uerſus retorquẽtur. Domeſticam ſedem mirifice amplectitur, nam ſi ipſum uinculis aſtrictum uenatores in alienum locum longinquum abduxerint, ac ibidem in paſtionibus liberum & ſolutum reliquerint, non obliuiſcitur ad conſueta loca redire, neque diu patitur apud exteros ut hoſpes erret, neque enim ſolis hominibus amica patria eſt, ſed eius deſiderio etiã feræ beſtiæ tenent.

De feris Capris. CAP. XXIIII.

CApræ feræ ad ſummos Libycorum montiũ uertices commorantur, ad boum magnitudinem accedunt, ipſarum armi & crura luxurioſis pilis diffluunt, tibijs paruis, frontibus rotundis, oculis raris, & concauis, non ualde proiectis ſunt. Cornibus poſt primum exortum utriſq; ab alteris longe auerſis, & aberrantibus, & incuruis, non enim ſimiliter atque aliarum caprarum recta exiſtunt, ſed eatenus retorquentur, ut ad armos pertingant. Ex capris longe maxima ad ſaliendum habilitate ſunt; nam ex cacumine

in aliud

in aliud longe diſtans cacumen tranſiliunt,& tametſi ſæpe earum quæpiam, dum ex uno uertice in alterum ſaltare contendit,ob nimiam interuallorum diſtantiam per prærupta ſaxa præceps agitur, nihil tamen lęditur,ſic eſt aduerſus ſaxorum duritiem membrorum reſiſtenti firmitate, ut nec cornua frangat, nec caput diminuat. In ſummis montibus plurimas, ſolertia quadam captandi caprarij generis, nimirum uel iaculis,uel retibus,uel laqueis à doctrina artis uenaticæ inſtructi comprehendunt. Iam in patentium camporum æquoribus quilibet uel tardus pedibus eas,quòd ibidem non ualent ad fugiendum, capere queat. Earum pelles & cornua aliquot commoditates habent,nam in frigidis tempeſtatibus ad uim frigorum atque hyemē excipiendam paſtoribus & fabris materiarijs pelles mirifice proſunt. Cornua ad hauriendam de præterfluentium riuorum confluentibus,aut è fontibus potionem, ad depellendam ſitim,non minori uſui habentur,quàm uel calices ipſi: tanta enim capacitate ſunt,ut in bibendo reſpirare ſit neceſſe. Ab homine expoliendi bene perito cornu politum tres menſuras capere poteſt. In Copto Aegyptia urbe & magna conficiendorum aliorum ſacrorum religione Iſim Aegyptij colunt,& uero eodem cultu hanc ipſam uenerantur, quo aut cōiuges aut liberi à lugentibus afficiuntur: Vbi Iſis hanc religionem poſsidet, ibi acerrimi ad peſtiferum uulnus inferendum ſcorpij maximi uerſantur,qui ut percuſ-

ſerunt, ſtatim interficiunt: ad quorum uitationem omne cautionis genus Aegyptij adhibent, ſexcentaq́ machinamenta moliuntur, ueruntamen lugentes ad Iſidis fanum capræ feræ ex omnibus tegumentis nudæ inter ſcorpios humi iacentes ab horum acerbitate integrę incolumesq́ permanent, ex quo fit, ut Coptitę eius caprini generis fœminas ad diuinitatem & religionem conſecrent, & religioſiſsime colant, eaſdemq́ Iſidi in amore & delitijs eſſe exiſtiment: contrà autem mares immolant.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XXV.

FEræ capræ, ſicut Oppianus inquit, noſtris domeſticis haud multo maiores, ſed ad currendum uelociores ſunt, ac ſi quis cornibus ipſarum ceram infundit, uitæ uiam, & ſpiritus meatū interdudit, quòd tenuis ſpiritus per media cornua ad cor ipſum proficiſcitur. In hoc genere mater ſuos pullos etiam atque etiam diligenter curat. Quam quidē maternam educationem filij cum pari ſtudio compenſant, & quemadmodum homines parētem ætate affecta infirmum alunt & laborioſe patris educationi ſatisfaciunt, ſic caprarum pulli, charos parentes ſenectute confectos tractant, pabulum nimirum ſuo ore collectum eis porrigunt, & ex fluuio hauſtam aquam ad potionem afferunt, ac nimirum eorum corpus horridum lingentes, nitidum reddunt. Quòd ſi ſolam matrem cōprehenderis, continuò etiam ſuam capies teneram prolem, eam ſanè exiſtimares tanquam uerbis filios impellere

impellere ad fugam, procul talibus gemitibus orantem: fugite filij infeſtos uenatores, ne me miſeram capti materno nomine priuate. Eos contra circum matrem errantes, diceres primum luctuoſum cantum occinere, deinde humana & ſupplici uoce loqui: Per Iouem uenator te rogamus, per Dianam ipſam, charam matrem, libera, & nos infelices præmium ſuſcipe: flecte tuum durum cor, uerere deorum iura, & genitoris tui ſenectutem. At enim cum uenatoris inexorabilem animum ſentiunt, ſua ſponte in uincula incidunt, & cum matre capiuntur. Cicero dicit capras in Creta feras, cũ eſſent confixæ uenenatis ſagittis, herbam quærere, quæ dictamus uocaretur, quam cum guſtaſſent, ſagittas excidere è corpore dicunt.

De Dorcadibus & Cemadibus. CAP. XXVI.

DE Libycis dorcadibus, & cemadibus animus eſt mihi nunc dicere. Dorcades quanquam uelocitate ſunt mirabili, tamen inferiores ſunt in currendo equis Libycis: earum aluus nigris uittis diſtinguitur, reliqui corporis color rubet, & pedes quidem eis longi ſunt, cornibus caput ornatur, oculi nigri, longiſsimæ aures habentur, κεμὰς à poëtis nuncupata, turbinis inſtar celerrime fertur, flauis pilis ſpectatur, cauda eſt tum piloſiſsima, tum exalbenti, eius oculi cyaneo colore tincti uidentur, aures peraltis pilis refertæ, neque modo in terra pedum celeritatem oſtendit, ſed etiam cum in fluuij confluentem inciderit, ungulis pedum remigans, fluctus perrumpit, & uero in

lacubus natare gaudet, unde ſibi paſtum comparat: uirides iuncos & cyperum depaſcitur.

De naturali medicina, quam capræ ſua ſponte nouerunt. CAP. XXVII.

CAliginem oculorum caprinum pecus probe curare ſcit: Cum enim conturbatum oculum, & non probe affectum ad uidendum ſentit, eum ad rubi ſpinam & admouet, & reſerandum permittit: hæc ut pupugit, pituita ſtatim euocatur, nullaq́ pupillæ læſione facta, uidendi uſum recuperat. Neque ſanè hominum ſapientia ad faciendam ſibi medicinam eget, ac potius huiuſcemodi curationem homines ab ea didiciſſe exiſtimantur. Anhelandi aliud quiddam pluſculum habet à cæteris animalibus: Pecuarij ſermones, & paſtoritij eam ex auribus & naribus reſpirare teſtantur, ſenſuq́ audiẽdi, ex omnibus ungula bipartita præditis animalibus, acerrimo eſſe. Cauſam quare id fiat, ignoro.

Quemadmodum capræ uitant hominis ſaliuã ualentem interficere Scolopendras marinas. CAP. XXVIII.

CApræ ſaliuam humanam pernicioſam eſſe noſcunt, itaq; uitant, quemadmodum nos conamur quæ homini ſunt pernicioſa, effugere: ueruntamen ſæpe imprudens ſibi noxia homo haurit, at non item capras ſaliua hominis latet, quæ marinas ſcolopendras poteſt interficere, poſtea uero quàm capra

proxima

proxima eſt ut iuguletur, non amplius cibum attingit. Ac nimirum indignum putans ſe in extremo ouili pecoris agmine incedere, gregem quidem antegreditur, at ipſam hircus barbæ fiducia antecedit.

De Capris Lyciæ. CAP. XXIX.

CAlliſthenes Olynthius, capras ſcribit in Lycia denſiſsimo & prolixiſsimo hirſutas eſſe pilo, ut muliebres crines eſſe uideantur, & paſsim tanquam oues tondere, ex eiſdemq́ue nauium fabros rudentes contexere. Libycorum capræ ex pectore ubera appenſa habent. Sardiniam pecudum optimam eſſe parentem, Nymphodorus ſcribit, caprasq́ue procreare, quarum pellibus pro ueſtimentis indigenæ utantur, tamq́ue mirifica ui eſſe, ut hyberno tempore calefaciant, æſtiuo refrigerēt, ſimulq́ue in ijs ipſis pellibus cubiti magnitudine pilos innaſci, atque ei qui ijs indutus fuerit, ſi commodum uideatur cum eſt frigida tempeſtas, pilos ad corpus conuertit, ut ab ijs caleſcat: cum autem eſt eſtas, inuertit, ne calore uexetur. Non ſilentio præteribo Orthagorã, is in libris, quos conſcripſit de rebus Indicis, inquit, in Coytha uico ſic nuncupato ab indigenis piſces capris comedēdos obijci.

Alexãder Myndius ait: Capras in Gimanti natas ſex menſes non bibere, ſed tantum in mare intueri, & ore hiante illinc auras excipere. Idemq́ue affert Illyricas capras ungues quidem habere, ſed non bifidos. Mirifica quædam etiam Theophraſtus narrat, piſces Babylonæ ex fluuio egreſſos in arido paſci.

Quemadmodum ex Eryngio herba curſum Capræ ſiſtunt. CAP. XXX.

SI ex caprarum grege quæpiam eryngium herbam ore ſumpſerit, Plutarchus eam dicit primum, ac deinceps reliquum caprarum gregem tandiu à progrediendo ſuſtinere, quoad de eius ore herbam paſtor detraxerit.

De Capris Aegyptijs. CAP. XXXI.

CApræ Syriæ quantum aliæ nullæ lac habere dicuntur. At Aegyptias quinqꝫ parere ferũt. Cauſam huius rei eſſe Nilum, cuius aquæ fœcundiſsimæ ſunt. Itaqꝫ paſtores, quibus curæ eſt de augendo pecore, aquam ex Nilo lactis inopibus pecudibus & infœcundis dare ſolent. Caſpiæ Capræ & albiſsimæ ſunt, & cornibus mutilæ, & ad maximorũ equorum magnitudinẽ accedũt. Earum uilli adeo molles, cũ Mileſijs lanis ut mollitudine cõparari poſsint, ex ijsq́ꝫ ſacerdotes & Caſpiorꝫ ditiſsimi ueſtes cõficiant.

De Capra adamata à caprario. CAP. XXXII.

IN urbe Sybari homo peradoleſcens, nomine Crathis, cuius opera in tuendi caprini pecoris munere uerſabatur, cum cupiditate libidinis flagraret, in eam amoris caprini conſuetudinem cecidit, ut ſi quando uenereis rebus uti haberet neceſſe, cum omnium caprarum formoſiſsima uenereo cõplexu iungeretur, eamq́ꝫ ipſam in amaſiæ numero locoq́ꝫ duceret, donaq́ꝫ non à capræ deſiderio abhorrẽtia daret, hæderã nimirũ, & iuncũ edendũ eidẽ obijceret, os illi reddens ad oſcu

ad oſculationē ſuaueolētius, ſed & molles, & teneras, ut nympha mollius dormiret, herbas ſubſterneret: quod quidē ipſum ut hircus gregis dux perſpexit, riualitate laborare, atq; interea ſuum occultare animū cœpit, quoad aliquādo tandem eum ſomnum capere deprehēdiſſet, tum enim omnibus reuocatis uiribus, facto in eum impetu, cerebrum diminuit. Cum eiuſmodi factum ad indigenas permanaſſet, non modo ei tumulum magnificum excitarunt, ſed ex eo etiam fluuium Crathim nominarunt, infantem autem puerum ex eius cum capra conſuetudine ſuſceptum, caprina habentem crura, & faciem humanam, in deos repoſitum, deorumq; honore affectum fuiſſe, & Syluanum deum eſſe in ſermonem hominum uenit. In beluis igitur obtrectationem & riualitatem ineſſe hircus docet. Septimo poſt die, quàm in lucem editus hircus eſt, coire incipit, & quanuis ſterile ſemen emittit, omnium tamen maturiſsime quadrupedum ingreditur coire.

Quemadmodum utrunq; æquinoctium ſignificat arietis cubitus. CAP. XXXIII.

ARies ſex hybernos menſes in leuum latus iacēs, quietem capit: Contraq; ab æquinoctio uerno in dextrum incumbens ſomnum accipit, ad utrunq; igitur æquinoctium ipſam aries mutat cubandi rationem.

GYLLII ACCESSIO.

De arietibus Scytharum. CAP. XXXIIII.

IN Scythia arietes aſinis magnitudine non inferiores,& cauda tam ſanè longa, & lata, ut ad triginta libras accedat: eximia formæ pulchritudine, & ad ueſcendum optimi ſunt. Coraxorum lana tanta erat coloris pulchritudine, ut emiſſarius aries talento uenderetur.

De ouibus. CAP. XXXV.

OMnium maxime animalium oues ad parendum faciles ſunt: Etenim ad uerba paſtoribus obediunt,& canibus obtemperant, & capras ſequuntur, ſimul & inter ſe amant. Luporum inſidijs minus idcirco patent, quòd non ita ſeparatim à reliquis errant, quemadmodum ſingulæ capræ à gregalibus ſuis ſegregantur. Arabes dicunt, ouium greges apud ſe muſica plus ſanè quàm cibo pingueſcere: ſale delectantur, quòd eiuſmodi cibus potionis deſiderium mouet. Neque etiam ignorant, ut boreas & auſter maximo ad conceptionem adiumento ſint: atque ut boreas concipiendis maribus ſit idoneus, ſic fœminis auſter, præclare tenent: perindeq; ut uel hac uel illa prole ſit opus dum ineuntur, aut in hunc aut in illum uentum ſpectant. Achilles ad comburendum ſocium in rogis iacentem prece obſecrationeq; humili & ſupplice uti, tum ut Iris ei uentos imploraret, & ipſe quoq; aduenientibus ſacrificium tanquam præmium polliceretur, neceſſe habuit. Neoclis filius uentos facta ſacrificatione placare Athenienſem populum docuit; oues nõ item; at uero uentos adminiſtros

conceptuum

conceptuum ſua ſponte & non appellatos & promptos habent, ad quos periti paſtores eas dirigunt: Cum enim auſter flat, tunc ut fœmineæ prolis numerus augeatur, ouibus arietes admittunt.

De ouibus ſine felle. CAP. XXXVI.

OVes in Ponto ſine felle eſſe dicuntur: Contrà in Naxo inſula duplici felle præditas eſſe. Ariſtotelis filius Nicomachus in Budianorum regione ait, albam ouem nullam naſci, ſed nigras omnes eſſe. Oppianus libro ſecundo de uenatione, tradit, in Gortynide & rufas, & quadricornes oues eſſe. Ad Garamantas ouillum pecus carne & lacte alitur: Aegyptus tam abunde herbida eſt, ut bis anno oues ex ſeſe pariant, bisq́ tondeantur. Cteſias ait, apud Indos ouillæ caudæ latitudinem cubitalem eſſe. Alexander Myndius dicit in Ponto amariſsimo abſinthio pingues fieri. Qui ouillam lanam pexerit, atque ex ea ueſtem confecerit, ſcabiem, ut ferunt, procreabit ei, qui ea ueſtietur.

In gelidis locis oues fellis expertes ſunt.
CAP. XXXVII.

IN regionibus perfrigidis cum niue & hyeme uehementi anni tempus infeſtum eſt, fellis expers eſt ouillum pecus: Intra enim ouilia compulſum, nouo pabulo non utitur. Deinde ineunte uere, cum ad paſtiones proficiſcitur, felle impletur, quod ipſum Scythicis ouibus uſu maxime euenire ſolere aiunt.

De Indicis ouibus. CAP. XXXVIII.

OVes Indiæ & capras ad maximorum magnitudinem aſinorum audio accedere. Quatuor fœtus cum pleruncp pariunt, tres uero cum minimum: Nunquam enim ibi neque ouillum pecus, neque caprinum tribus minus edit. Caudæ ouillæ longitudo ad pedes uſque pertinet, Caprinæ uero in eam procedit longitudinem, ut terram contingat: Idcirco eas paſtores ouibus matricibus abſcindunt, quòd tum ſic facilius ineantur. Tum ex earum adipe oleum exprimatur. Arietum quocp diſſecant caudas, atque adipem extrahunt. Eatenusq́p deinde ſectio coniunctiſſime committitur, cicatricis ut ne tenue quidem ueſtigium appareat.

De potione fluuij Crathis, quo pecora albeſcunt.
CAP. XXXIX.

COnfluentem candidi coloris efficientem Crathis fluuius emittit. Nam ouillum, & bubulum pecus & omnis grex quadrupes, ſicut Theophraſtus ait, ex eo bibens, de nigro rufóue albus fit, boues quocp in Eubœa ferè omnes albi naſcuntur. Poëtæ Eubœam boum principatum tenere teſtantur.

De colore quem animalia ex uarietate fluminum mutant. CAP. XL.

AD diuerſam potionem colorum mutationem oues faciunt, quod quidem ipſum ex ui & natura amnium uſu eis euenire eo anni tempore, cum ineuntur, ſolet: Itaque ex albis commutatio in nigras fit, contraq́p ex nigris in albas conuertuntur. Hæc

autem

autem cum ad Antandrum amnem accidunt, tum ad Thraciæ fluuium, cuius nomen Thraces accolæ tibi dicent, tum uero ad Troiam Scamāder ex aqua ſua potantes oues fuluas efficit, ex eo factum eſt, ut huic qui initio Scamander nominaretur, deinde aliud nomen aduētitius ouium color Xanthum impoſuerit.

De Arabicis ouibus. CAP. XLI.

PRæditas eſſe oues Arabiæ caudis inſolitis & diuerſis Herodotus ſcribit: earum ſanè duo genera ponit, unum dicit caudas maxima magnitudine habere, ut dimetienti non tribus breuiores ſint cubitis, quæ ſi trahantur, omnino ad terram atteruntur, & exulcerantur. At paſtores ad fabrilem artem inſtituti, ploſtella fabricantur, ad quæ quidem ipſa alligatæ caudæ nituntur & ſuſtinentur, quo fit, ut à uulneratione defendantur. Alterum caudarum genus dicit eſſe cubitali latitudine.

Quemadmodum ad amplificandam prolem animalia excitantur. CAP. XLII.

EX animalibus, ſibi quo plus prolis naſcatur, harum rerum curatores, & paſtores ouium, caprarum, & equarum, genitalia tempore coitus, delibutis multo ſale & nitro manibus, perfricant; unde ijs uehementior coitus appetitio exoritur. Alij ea pipere, alij nitro perungunt, alij urticæ fructu, ſunt etiam qui myrrha & nitro eadem inungant: ex ea ſanè fricatione fœminæ & libidinoſiores euadunt, & mares ſuſtinent.

GYLLII ACCESSIO.

De feris ouibus. CAP. XLIII.

OVes feræ non multo quidem noſtris ouibus domeſticis maiores, ſed certè ad currendum uelociores, & ad pugnandum fortiores, tum retortis cornibus, tum infeſtis & robuſtis frontibus armatæ. Sæpe in ſyluis ſuillum pecus ad terram abijciũt, & proſternunt: Interdum impetu facto inter ſe pugnant. Neq; ubi ſemel pugna commiſſa eſt, fas putant fugere, imo frontibus conſertis, alterutram eſt neceſſe aut uictoriam referre, aut ſtratam iacere mortuam.

De Agnis. CAP. XLIIII.

SEro admodum ſuos parentes homo cognoſcere incipit, cum tamen intueri in patrem, complecti matrem, uerſari cum domeſticis doceatur, atque eius etiam oculis, ac animo nomen paternum crebro inculcetur, & decantatum habeat. Agni uero ſimul ut ſunt in lucem ſuſcepti, circum matres ſtatim erratico ſaltu concurſare, & domeſticum incipiunt ab alieno internoſcere, neq; tamen ad huius rei notionẽ præcipientium opera habet uti neceſſe.

GYLLII ACCESSIO.

De Oryge. CAP. XLV.

ORyx in ſyluis uerſatur, feris infeſtiſsimus, colore eſt lacteo, excepto ore nigro: cornibus excelſis, acutis, nigris, ferrei mucronis ſimilitudinem gerentibus armatur: tum immani eſt animo, & ſuperbo: neq; enim

enim canis latratum timet, neq; apri efferueſcentem feritatem, neque tauri mugitum refugit, neque Pantherarum triſtem uocem, neq; ipſius leonis uehementem rugitum horret, neq; item hominum robore mouetur, ac ſæpe robuſtum uenatorem occidit. Cum autem eiuſmodi fera aut aprum, aut leonem, aut urſum uidet, ſtatim inclinatis cornibus, in terram caput confirmat, ac inuadentis impetum manet, atq; interficit. Etenim in eius pectore facile ferarum cornua eluduntur, & celeriter ſuum ſanguinem manantem lingua exſorbet. Interdum inter ſe pugnant, neq; ubi ſemel pugna commiſſa eſt, fas putant fugere: alterutrum neceſſe eſt uincere, aut mortuum iacere, eamq; ob cauſam mutuis cędibus ambo pereunt, & agreſtiũ quiſpiam, aut bubulcus, aut arator in mortuos incurrẽs, ad pedes ſtratam prædam ſumma cum admiratione nullo negotio conſequitur.

GYLLII ACCESSIO.

De Oryge. CAP. XLVI.

ORyx cum luna exoritur, eam obtutu infeſto ſuſpiciens, clamorem tollit, idq; illius odio, non amore, eam facere ex eo liquet, quòd prioribus pedibus terrã effodit, & caput occultat, quòd ægre illius exortum ferens, eam intueri abhorreat. Hoc idem in orientem ſolem facit, ac poſtquã ex fonte bibit, aquã puluere lutóue immiſſo, perturbat, ut alijs animalibus fiat inutilis, eundemq; Aegyptij dicunt eo die quum aſtrum oritur quod ipſi Sothen, nos Canem,

ſeu Syrium appellamus, uocem mittere.

GYLLII ACCESSIO.

De Hiſtrice. CAP. XLVII.

NOn in opacis ſyluis quicquam horribiliore aſpectu, neque infeſtiore exiſtit, quàm hiſtrix. Lupo eſt magnitudine paulo minor, aſperis, & denſis ſimiliter ſetis, atque uarium erinaceorum genus horret. Vnguium robore, & dentium ad diſſecandum præſtantia confidentes ſunt lupi, urſi, pardi, leones; Hiſtrix non item, ueruntamen non à natura armis ad ſe tuendum deſtituitur.

De Cynocephalis. CAP. XLVIII.

POſt uaſtam Aegypti ſolitudinem, quam omnem ſeptem diebus tranſiri ferunt, ſecundũ uiam quæ ad Aethiopiam pertinet, Cynoproſopi homines habitantes, ex uenatu Dorcadum & bubalorũ uiuunt, nigro aſpectu, capite & dẽtibus caninis prædití ſunt, quæ corũ ſimilitudo cum canibus effecit, ut hic ipſorum mentionẽ interpoſuerim. Vocis quidẽ expertes ſunt, ſed ſtrident acute: infra barbã mentũ poſſident, ſic promiſſum, ut ſerpentium ſimile id eſſe uideatur: eorum manus robuſtis unguibus, & acutis armãtur, ſimiliterque toto pectore, ut capite ipſo hirſuti habentur, atque etiam pedum celeritate & ualent, & captu difficilia non ignorant, loca ea eſſe ubi aquæ exiſtant.

De Cynocephalorum uictu. CAP. XLIX.

CYnocephali ex eo nomen trahunt, quòd canino præditi ſunt capite, cætera membra humana habent:

bent: ferarum pellibus induuntur, & iuſtitiæ retinentes, lędunt neminem: Cumq́ Indici ſermonis intelligentes ſint, tamen nihil loquuntur, ſed ululant: ferina ueſcuntur, quam quidem quia uelociſsimi ſint, ideo facile comprehendunt, & captas beſtias interficiunt, non tamen eas igne, ſed ad aſſatulum ſolem mẽbratim conciſas coquunt. Alunt etiam ouillum & caprinum pecus, atque lac bibunt. Lihidinoſi Cynocephali, & hirci ad res uenereas ardent, hos enim cum mulieribus uenereo complexu iungi ferunt: illos libidinis furore in uirgines inſanire, & uim inferre. De Cynocephalis mihi etiam illa ueniunt in mentem explicare, ſi eſculenta teſtaceis inuolucris circunueſtita reperiant, cuiuſmodi ſunt amigdala, glandes, nuces, excernunt præclare, intelligentes intima quidem eſculenta eſſe, extima uero reijci oportere: uini item potione uti non recuſant: atque etiam carnibus uel elixis uel aſsis exſaturantur, & his quidem recte & ſuauiter apparatis, magna delectatione afficiuntur: Contrà ex non accurate elixis ualde offenduntur: ueſte indui mirifice gaudent, ac ſi eorum catulos etiam nũc perparuulos ad mulieris ubera admoueas, tanquam pueruli lac exſugunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Cynocephalo. CAP. L.

AD lunæ rationem huiuſmodi animal uarie afficitur: Cum enim luna eſt in coitu, mas neq́ uidet, neque comedit, ſed ex multo mœrore laborat,

atque ſic oculos in terram deijcit, ut lunæ uicem do-
lere uideatur. Fœmina etiam cum ſimiliter nõ uidet,
atque eodem affectu tentatur, tum eius genitale ſan-
guine fluit, eamq́ ob cauſam Aegyptiorum ſacerdo-
tes eos alebant, ex ijs ut lunæ ratio perſpicua eſſet.
Maxime omnium animalium eiuſmodi beſtiæ natu-
ra iracundæ ſunt. Iam cum eſt æquinoctium, nõ mo-
dò cotidie in ſingulas horas duodecies meiunt, quod
ipſum etiam toties noctu factitant, uerum etiam ſimi-
liter in ſingulas horas duodecies latrant.

De Indicis animalibus ſatyrorum ſimilibus.

CAP. LI.

FInitimos Indiæ montes tranſmittenti, ad intimum latus denſiſsimas conualles uideri aiunt, & Corudam locum nominari, ubi beſtiæ ſatyrorum ſimilitudinem formamq́ gerentes, & toto corpore hirſutæ, uerſantur: atque equina cauda prædítæ dicuntur. Eæ cum non à uenatoribus agitantur, in opacis & ſpiſsis ſyluis ſolent uiuere. Cum autem uenantium ſtrepitũ ſentiunt, & canum latratus exaudiunt, in montium uertices incredibili celeritate recurrũt: Nam per montes iter conficere aſſuetæ ſunt. Contra eos qui ſe inſequuntur pugnant, de ſummis montibus ſaxa deuoluentes. Ex ijs nonnullæ, ſed ægerrime tandem, aut ægrotantes, aut grauidæ comprehendũtur. Illæ quidem propter morbum: hæ uero ob grauiditatem.

FINIS LIBRI VI.

LIBER SEPTIMVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

De Catobleponte, apud Libycos. CAP. I.

CVM multiplices & uarias Africa procreat beſtias, tum Catoblepontem ſic nuncupatum parere exiſtimatur: tauro ſimilis ſpectatur, truculentus, terribilisq; aſpectu: alta ei & denſa ſunt ſupercilia, oculi non perinde quidem magni ut bubuli ſubijciuntur, ſanguine ſuffuſi: non directè, ſed ad terram uerſus intuetur: à uertice incipiens iuba, equinæ ſimilis, per eius frontem promittitur, quæ ſi uſque ad faciem pertinet, formidabiliorem eum reddit: mortiferas depaſcitur herbas, ac ſimul ut taurino aſpectu conſpexit, ſtatim horret, & iubam erigit, ea autem in excelſum excitata, atq; apertis labris per guttur quiddam uehementer acutum & horrendum emittit, ut aër ſupra caput obducatur, & inficiatur: animalia autem appropinquantia, quæ hoc cœlum hauriant, grauiter affligantur, & uocis uſum amittant, in letalesq; conuulſiones incidant.

De Indico Manticora. CAP. II.

APud Indos naſcitur immenſo robore præditum animal, cui Indorum lingua Manticoræ nomen eſt, magnitudine maximi leonis, colore rubrum, canis

modo uilloſum: facie eadem prope quæ hominis: dentium triplici utrinq; ordine mucrone acutiſsimorum, caninis maiorum: auribus hominis ſimilibus, niſi quòd hæ & grandiores, & uilloſiores ſunt, oculis cęſijs, & his non diſsimilibus hominis: pedibus & unguibus eiſdem qui leonis: ſumma cauda illi Scorpionis modo terreni, aculeo pluſquam cubitali armata, reliquum caudæ, utrinq; aculeis cuſpidatum eſt, quos tanquam tela, ſi quis inſequatur, eminus iaculatur: Aculei ſi quem attigerint, letales emiſsiones habent. Cum in anteriorem partem uerſus aculeos iaculatur, caudam intorquet: ſin retrouerſus, aculeos emittit, tum extentiſsime caudam porrigit. Aculei quos iaculatur, pedali magnitudine & funis craſsitudine ſunt. Cteſias Indos ſibi affirmaſſe ait, locis emiſſorum aculeorum alios ſuccreſcere, ut ſit huius peſtis perpetua ſucceſsio. Humanis, ut idem affert, carnibus maxime delectatur, quocirca complureis homines interficit, nec duntaxat in ſingulos homines inuadit, ſed plureis collectos, uel ipſe ſolus interimit. Reliqua item animalia uincere poteſt. Quòd autem humanis carnibus ſeſe complere ei ſuaue ſit, eius nomen oſtendit. Indicè enim ideo Mantichora appellatur, quòd beſtia hominum conficientiſsima ſit, ex rebus quas agit nomen trahens. Eadem eſt qua perniciſsimi cerui corporis uelocitate eius pullos aculeatis nondum caudis armatos uenantur, caudaſq; eorum ad ſaxum elidunt, atque crebris ictibus confrin-

gunt

gunt, ut aculeos ne poſtea producere queant. Vocem edunt proxime accedentem ad fiſtulæ ſonum, tubæq́; concentum. Cteſias apud Perſas hoc animal ſe uidiſſe teſtatur, ex India regi Perſarum muneri miſſum.

De Monocerote, ab Indis nuncupato Cartazono. CAP. III.

MOntes eſſe dicuntur in intimis regionibus Indiæ, ad quos difficulter eatur, ubi quæ apud nos beſtiæ domeſticæ ſunt, feras aiunt eſſe, ut oues, capras, boues, & per ſe, & ſua ſponte errare: & canes feros, ab omni cura paſtoritia exſolutos eſſe: earũ quidem ferarum innumerabilitatem infinitatemq́; & hiſtoricorum & Indorum ſermones teſtantur: inter quos Brachmanes numerãdi, qui hoc idem ſentiunt: in ijs Monocerotem, quem uocant Cartazonon, numerant: eumq́; magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere dicunt, iubaq́; & pilis fuluum eſſe: pedum bonitate, & totius corporis celeritate excellere, atque ſimiliter ut elephantos pedum digitis indiuiſis eſſe: apri caudam habere, inter ſupercilia cornu uno, eodemq́; nigro, non leui quidem, ſed uerſuras quaſdam naturales habenti, atq; in acutiſsimum mucronem deſinente ornatum exiſtere: omniumq́; maxime animalium obſonam uocem & contentam mittere: & ad alias quidem beſtias ad ſe accedentes manſueſcere, cum uero gregalibus ſuis pugnare. Neque modò cum maribus naturali quadam contentione

z diſsi

diſsidere, ſed cõtra etiam fœminas certare, pugnamq́; uſq; ad mortem ingraueſcere. Nam & maximo robore præditus, & inexpugnabili cornu armatus eſt: deſertiſsimas regiones perſequitur, ſimul & ſolitarius errat. Coitus tempore ad fœminã manſuetè aſſueſcit, & gregalis fit: Cum hoc tempus trãſierit, & uentrem fœmina ferre cœperit, rurſus efferatur, & ſolus uagatur. Praſiorũ regi illius pullos etiã nunc teneros aiunt deportari, eoſdemq́; feſtis diebus ad pugnã cõmitti, ad robur oſtendendum: Nam integræ ætatis & perfectæ nullum unquã quiſquã meminit captum fuiſſe.

De Chamæleonte. CAP. IIII.

CHamæleon Indiæ animal, non uno atq; eodem colore ſpectatur, ſed & ſeſe furtim ſubducit, & uidentiũ oculos ueluti perſtringit: Nam nigro colore ſi eum offendis, mutat ſe ipſe, & aliud coloris genus inſtituit, ac ſe cito in uiriditatem inuertit, & quaſi mutatione ueſtium facta, alius rurſus uiſus album colorem, tanquam aliam perſonam hiſtrio, ſic induit, naturam ementitam: ſed etſi non ueneficijs, ueluti Medæa quædam, aut Circe illitus eſt: tamen præſtigijs potens, uidentium oculis eludere ſolet. Alexander Myndius dolore & moleſtia cibi inopia, à Chamæleonte ad hunc modum ſerpentem affici ait: Mordicus ſcilicet illum bene latam feſtucam & ualidam tenentem, ſub eaq́; perinde ſe ut ſub clypeo uerſantem contra hoſtem ſerpentẽ uenire: Serpentem uero quia feſtucæ latitudinem circumplecti non poſsit, Chamæleontem

leontem dentibus configere non poſſe: itaq; hunc ab ipſa confici, exediq; nequire: membra enim ut illius reliqua ſerpens mordeat, non tamē ea in ipſius carnē penetrare poteſt, tanta nimirum pellis firmitate & robore exiſtit, nihil ut prorſus ſerpentis morſus ſentiat.

De Tharando. CAP. V.

RVborem, pallorem, liuorem, homini & beſtijs cutem mollem habētibus, & minime uilloſis, accidere, nihil mirum: Tharando uero animali, cui eſt tergus impenetrabile, & uillus urſorū magnitudine, admirabile uideri debet: ſeipſum enim cum uillis ſuis hic uertit, milleq; colorum ſpecies cum ſummo uidentiū ſtupore reddit. Scythicum animal eſt, dorſo & magnitudine tauro ſimile, eius coriū ne ſpiculo quidem penetrari poteſt.

GYLLII ACCESSIO.

De Vris. CAP. VI.

VRi, magnitudine paulò elephātis inferiores, taurorum ſpeciem ſimilitudinemq; gerunt, magno robore, & magna uelocitate ſunt, ut nullum animal, neq; hominem, neq; feram non aſſequantur. Hos ſtudioſe foueis captos interficiunt. Aſſueſcere ad homines, & manſueſieri, ne paruuli quidē excepti poſſunt. Amplitudo cornuū & figura (ſicut Cæſar ait) & ſpecies multum à noſtrorū boum cornibus differt. Hæc ſtudioſe conquiſita argento Germani olim circuncludebant, atq; in ampliſsimis epulis pro poculis utebantur. Hoc ſe labore durabant adoleſcentes, atque

hoc genere uenationis exercebant. Et qui plurimos ex his interfeciſſent, relatis in publicũ cornibus, quæ eſſent teſtimonio, magnam laudem ferebant.

GYLLII ACCESSIO.

De Halce Celtica beſtia. CAP. VII.

HAlcæ eadem ſunt figura qua capræ, eadem uarietate pellium, ſed magnitudine paulo antecedunt, mutilos cornibus Cæſar eſſe dicit. Pauſanias in ſupercilijs cornua habere mares teſtatur, fœminas contrà omnino carere. Harũ crura nodis articulisq́ carent, neq cũ dant ſe quieti procumbũt, neq ſi quo afflictæ caſu conciderunt, erigere ſeſe, aut ſubleuare poſſunt. Arboribus ꝓ cubilibus utũtur, ad eas enim reclinatæ ſomnũ capiũt, quas impreſsione ueſtigiorũ cum uenatores animaduerterũt quo ſe recipere ſolitę fuerint, omnes aut à radicibus ſubruũt, aut ſuccidunt arbores tantum ut ſumma ſpecies earum ſtantiũ relinquatur, huc cũ ſe cõſuetudine inclinauerũt, infirmas arbores pondere affligunt, atq unà ipſæ concidunt. Pauſanias item ſcribit, cerui, & cameli mediã ſpeciem ſimilitudinemq́ gerere, & ſolã ex omnibus feris inueſtigari & uideri ideo non poſſe, quòd quàm ſagaciſsime hominẽ uel longinquo interuallo, odorari feratᷣ, atq in cauernas & ſpeluncas in magnã altitudinẽ depreſſas abdatur: itaq uenatores locum mille ſtadiorꝝ circũcludunt & cõprehendunt, quòd ſi intra ambitũ illũ nõ deliteſcat, nulla alia machina cõprehendi põt.

De Monope Pæonico. CAP. VIII.

Pæoni

PAeonicum animal, quod Monopem Pæones nominant, piloſo tauro magnitudine ſimile. Cum ab inſequẽtibus urgetur, præ uexatione acre & igneũ reddit ſtercus, quod quidem ipſum ſi in uenatorum quempiam inciderit, mortem affert.

De Pœphagis animalibus Indiæ pulcherrimam caudam habentibus. CAP. IX.

INdicum animal Pœphagus, duplo quàm equus maior, ſpiſsiſſima cauda, & nigerrima præditus eſt: humani pili ſubtilitatem eius ſetæ uincunt. Permagni eas idcirco Indiæ mulieres æſtimãt, quòd eis ipſis crines ſuos pulcherrime implicent & deuinciant. Ad bina cubita ſingulæ ipſius ſetæ longitudine procedunt: ex una radice triginta ſimul exoriũtur. Omniũ animalium timidiſsimus eſt, nam ſi à quopiam ſe inſpectum ſentit, eueſtigio quanta poteſt maxima celeritate ſeſe in fugam properat conijcere, in quam magis ſtudioſe quàm celeriter ſe impellit, ac ſi cum inſequentibus canibus & equis ad currendum promptiſſimis urgetur, intelligat ſe appropinquare ut comprehendatur, prius occultata cauda contra ſtans, uenatores intuetur, ſimul & ex magno timore colligit ſe, & quadam fiducia nititur, neque enim iam cauda abdita ſe ullius precij putat amplius uiſum iri, quòd præclare ſcit in cauſa caudam eſſe quamobrem tantopere appetatur. Veruntamen interea quiſpiam præſtanti telo illum ferit, & ab occiſo caudam præmium prædæ abſcindit, & pelle, quæ utilis eſt, ex toto corpore

detracta, cadauer abijcit, quòd eiuſmodi carnium uſum nullum Indi habent.

De animali Cepo nuncupato. CAP. X.

TErrenum quoddam animal Pythagoras ſcribit ſecundũ mare rubrum procreari, & Cepum, hoc eſt hortum, appoſitè iccirco nominari, quòd tanquã hortus uarijs coloribus diſtinguatur. Cum eſt confirmata ætate, pari magnitudine eſt cum Erythrienſibus canibus. Iam porro huius colorum uarietatem, ſicut ille ſcribit, animus nobis eſt explicare. Eius caput & poſticæ partes ad caudam uſque prorſus ualde igneo colore ſunt, tum aurei quidam pili diſſeminati ſpectantur, tum album roſtrum, inde ad collum aureæ uittæ pertinent: Colli inferiores partes ad pectus, & anteriores pedes omnino albi: mammæ duæ manum implentes cæruleo colore uiſuntur: uenter candidus: pedes poſteriores nigri ſunt, roſtri forma Cynocephalo recte comparari poteſt.

De feris animalibus Samijs. CAP. XI.

EVphorion in commentarijs ſcriptum reliquit, Samum cum olim deſertiſsimam fuiſſe, tum in ea beſtias feras, maxima magnitudine, nomine Neades fuiſſe, quarum ſola uoce terra diſcederet: Indeq́ profectum eſſe id prouerbium, quod uulgò Samij dicũt, Maius in Neadum. Idemq́ affert, earum oſſa maxima uel ſua ætate extitiſſe.

GYLLII ACCESSIO.

De Subo. CAP. XII.

Subus

SVbus ruffo colore, & robuſtis cornibus geminis armatus, in utraq; ſede uiuit. Cum in mari natat, cum permultus piſcium grex conſequens oſculatur, quòd ex illius cõſpectu ſumma uoluptate afficiatur: ſed præcipuo quodam ſtudio circum ipſum uerſantur Pagri, Oculatæ, Acus, Mulli, Aſtaci. Id autem habet admirationem, quòd feræ beſtiæ alieni generis amore teneantur. Attagenes enim ceruorum, & Perdices damarum, Otides equorum, Pſitaci luporũ ſtudio flagrant. O uehemens amoris numen, quãta uis tua, quantum cogitas, quantum imperas, ſola terrarum tuis ſagittis commouentur extra fines. Longè lateq; mare uagabatur, at tuo nutu ac ditione ſuo alueo ſe continet: aſcẽdiſti in cœlum, nouit te magnus olympus. Timent te omnia cœleſtia & terrena, & miſeræ gentes mortuorum: quæ etſi (ſicut poëtæ perhibent) Lethei hauſta aqua omnem dolorem fugarunt, te tamen adhuc horrent: tibi Sol, & Iouis fulmina cedunt, & diuerſæ feræ coniunguntur. Attagenes in ceruorum dorſo ſaliunt, in damarum item Perdices alas explicantes ſe refrigerant, Otides circum pedes equorum cõcurſant, Sargi ad conſpectum caprarum accedunt, circum Subum omne piſcium genus errare gaudet, atque ordine iter faciens, à tergo dextra & ſiniſtra eidem comitatur: ſed ſceleſtus ille externam amicitiam contemnens, marinos ſocios exedit & conficit. Hi uero tametſi ob oculos uerſantem mortem uident, tamen interfectorem ſuum neque oderunt,

neque relinquunt. Sed ſcelerate Sube & fraudulente, non impune innocenteis piſces occideris, nam ipſi tibi perniciem piſcatores molientur.

De Sphinge. CAP. XIII.

SPhingem alatū tum pingunt, tum fingunt omnes qui in ea arte quæ actionem manuum habet cum actione coniunctam operam ponunt. Sphingem Aegyptij qui ſcalpturam exercent, & Thebanæ fabulæ duplici natura conformantes, biformem conantur nobis repræſentare, ipſum ex corpore uirginis & leonis cum grauitate & compoſitione architectantes. Sed hæc in fabulas reijcienda, nos animalium naturas perſequamur.

Quemadmodum Ichneumo utriuſq; ſexus eſt particeps & aſpidi & crocodilo hoſtis. CAP. XIIII.

ICHneumoni utriuſq; ſexus participi à natura tributum eſt, ut & ſuo ſemine grauiditatem & partū alijs afferat, & ipſe quoq; uentrem ferat, & ex ſeſe pariat, qui in pugna quam inter ſe pugnant uicti fuerint, ea bellicæ offenſionis nota inuruntur, ut & in uiliorem ſexum cenſeantur, & muliebria patiantur. Contrà, ij qui ex bello ſuperiores euaſerunt, uictos ſubigunt, & ſimul ſuo ſemine implent: at uicti ex ea male à ſe pugnata pugna, hoc præmio afficiuntur, ut & partus dolores ſufferant, & ex patribus qui iam ante fuiſſent, matres reddantur. Cum homini infeſtiſsimis beſtijs aſpide & crocodilo inimicitias gerunt. Latonæ & Lucinæ ſacri eſſe exiſtimantur. Apud Aegyptios Heracleopolitas

cleopolitas uenerationem & religionem poſsidere ferruntur.

GYLLII ACCESSIO.

De Ichneumone. CAP. XV.

ICHneumo ut paruus ſit, cum certe magnis prudentia & robore animi beſtijs conferendus eſt: nam ſolerti machinatione duas beſtias maxime feras aſpidem & crocodilum interficit. Cum enim hic humi iacet ſtratus, illius autem immenſo rictu os patulum eſt, tum is doloſa conſilia de illius pernicie iniens, limis oculis tandiu eum obſeruat, quoad arcto oppreſſum ſomno intuetur: tum confeſtim ſingulari animi fiducia mortis portam intrat, & per latum guttur in aluum delabitur: Crocodilus uero inexpectatum malum in uentre ſentiens, ſomno ſoluitur, & incitato curſu furibundus & conſilij inops, longe lateq́ue uagatur, modò in imam fluuij ſedem ſe demergit, modò magnum acerbitatis uirus anhelans, ſeſe ad terram abijcit: at non ideo Ichneumo quicquam læditur, ſed magis ad uiſcera inhæreſcens, ſua ui expletur cibo, ac nimirū exſaturatus, iam exinanito crocodili uentre, exſilit foras. O incredibili robore animi ſeptum Ichneumonem, quid te, qui tam immane & mortiferū hiatum ſubire audeas, audacius dicemus? Iam porrò aſpidem ijs artibus expugnat, totus præter oculos & caudam arena obrutus, aſpidem expectat, ac cum hanc ignem ſpirantem animaduertit, ſtatim caudæ girum agens, immanem feram prouocat:

ea autem capite elato & exerto dente, fruſtra pugnare aggreditur: nam Ichneumonem nihil metus tardat ad excipiendam pugnam, imo uero ipſam mordicus premens utrinque ſe in orbem contrahentem lacerat, & mortiferum uenenum ore eiicientem conficit, & occidit. Hunc alij caniculo dicunt ſimilem eſſe, alij muſtellæ. Ideoque hac ætate quod murinam ſpeciem ſimilitudinemque gerit, uulgò murem Indicum uocant.

De Ichneumone & Aſpide. CAP. XVI.

AEgyptiarum pugna ferarum eiuſmodi eſt Aſpidis & Ichneumonis: Hic non inconſultè ac temerè in bellum deſcendit, neque illa trepidantius timidiusque certamen init. Ille tanquam uir omnibus armis ſeptus in luto uolutatur, ac agglutinati luti operimento obducitur, ſicque poſtea iuſtis armis ſe tectum arbitratus, in certamen uenit: ſi lutum deſit, aqua ſe alluens, ſeque in altum madidumque ſabulum abijciẽs, ex improuiſis rebus ac fortuitis, arma ad tuitionem ſui ingenioſe comparat, continuoque cum capitali aduerſario depugnat: ſummas autem nares ſuas, teneras, ac ualde aſpidis morſui opportunas, ſuæ caudæ flexu ſeptus, tuetur: ſi eas aſpis aſſequi poſsit, hoſtem debellauit: ſin minus aſſecutus fuerit, fruſtra dentes contra lutum exercet. Contra autem Ichneumo illi anteuertens, ſi ex inopinato fauces comprehenderit, illam ſtrangulat. Quocirca tota uictoria cum ſit poſita

ſita in anticipatione, uictor exiſtit, qui morſibus alte-rum præuerterit. Crocodilorum fœcunditati ſa-lutariter natura obſiſtit, nam oua quæ ex ſeſe Cro-codili ſecundum flumina parere ſolent, inquirit Ich-neumo, ac perdit, & quod magnam admirationem habet, nec oua comedit, nec ad ſuam, ſed ad hominũ utilitatem naturæ inſtinctu conterit.

De Simia. CAP. XVII.

SImia actuoſum animal, & ad omnia imitanda ha-bile: Omne quod corpore agitur, ſi doceatur, præclare diſcit, & idipſum actione repræſentat: ac ſi ſaltare doceatur, ſaltationem aſſequitur: Si ad tibiam canere, canit. Ego aurigæ munus obire uidi, habe-nas nimirum uel abducendi, uel remittendi, & fla-gello ſimul utendi: breui ſi quis ad alia quæpiam in-ſtituat, non fallit docentem: adeo uarium natura ani-mal eſt, & multiplex, ut ad omnem actionem ſeſe uerſet. Cum cæteris in rebus omnium beſtiarum ſimia peruerſiſſima eſt, tum peruerſior in ijs, in qui-bus hominem imitari conatur: Cum enim nutricem ex eminenti loco perſpexiſſet puerum infantem in pelui lauare, & faſcias in orbem contrahere, & in ar-ctum ad aquæ expreſsionem contorquere, atque quo reliquiſſet loco puerum obſeruaſſet, ſimul & cir-ca eum ipſum à cuſtodibus magnam introſpexiſſet ſolitudinem, feneſtella quæ tum pateret in domum intrauit ad puerum, quem ſimiliter ut factitari à nu-

trice uiderat, ex lecto ſublatum integumentis nudauit, & aquam, ſuccenſis carbonibus, caleſcentem, in miſerum infantem infudit, atque interfecit.

De Simia & Fele. CAP. XVIII.

CVm Feles ſimiam in Aegypto inſequerentur, hæc autem omni neruulorum contentione in fugam ſe impellens, rectà conſcendiſſet in arborem, atque illi ad eandem arborem aſcendiſſent, (ad corticem enim inhærentes ſurſum correpere ſciunt) hæc ſanè ut ſola à pluribus circumuenta ex arboris trunco ad ramorum cacumina ſe uertens diu multumque ex ijs extremis pependit: Illi tum quòd eò accedere non quirent, ad aliam ſe conuerterunt uenationem. Hæc autem ipſa ſtudioſe & diligenter ſe ex periculo ſeruauit, nec cuipiam alij, quàm ſibimetipſi, ſalutis præmium debuit.

De Simijs Praſiorum Indiæ. CAP. XIX.

IN Praſijs Indijs ſimiarum genus eſſe ferunt, humanis ſenſibus, & magnitudine Hircanorum canum: tum earum comam etſi naturalem, artificio tamen ueritatis imperito elaboratam uideri, tum barbam ipſarum ſpeciem ſatyricæ ſimilitudinemque gerere, caudamque leoninæ ſimilem ſpectari: reliquo corpore albas, capite & extrema cauda flauas eſſe. Neque uero quòd uiuendi ratione & genere ipſo ſylueſtres ſint (montanis enim rebus & agreſtibus paſcuntur) propterea

propterea feras eſſe,imo natura cicures, ad ſuburbiũ Latagis urbis frequentes proficiſcuntur, quibus coctam oryzam rex comedendam obijcit, ac quotidie cibaria eis proijciuntur: expletæ in domeſticas ſedes cum magna moderatione redire, necq; obuium quicquam lædere dicuntur.

De Praſianis Simijs. CAP. XX.

IN Praſiana Indorum regione Megaſthenes ſimias ſcribit,maximis canibus non inferiores eſſe magnitudine, quincq; cubitorum caudam habere, tum ex earum fronte comas propendere, eaſdemq́; barbam promittere: tum facie alba eſſe, & uero corpus nigrum ſpectari,neque malitia cæteris ſimijs ingenita, ſed manſuetudine & humanitate imbutas eſſe.

De Simijs Indicis. CAP. XXI.

IN India, Clitarchus tradit, ſimiarũ genus uarium & multiplex oriri, tantamq́; earum in montibus multitudinem eſſe,ut uel Alexãdrum magnis copijs ſeptum eæ frequentes perterrefecerint,quòd arbitraretur ſe ſibi inſidiantem exercitum uidere. Nam cum Alexandro ſe oſtenderunt caſu, excelſo & recto corpore erant, non capiuntur retibus,neque ſagacium canum uenandi ſolertia præditorum: ſed cum ſit animal ſaltationis auidum, ſaltare cupit: ſi item quempiam uiderit calceos induentem,imitatur: & ſi quem uiderit oculos pingentem,aut lauantem,hoc idem facere ſtudet: itaque pro his ex plumbo factos graues calceos proponunt,& laqueos ſubijciunt, ut pes qui-

dem ingredi poſsit,& interim firmo uinculo retineri. Itemq́ uiſco decipiuntur,nam illis uidentibus Indus pelues aqua plenas in earum cõſpectu ponit, ex eaq́ oculos oblinit, ac mox uiſcum pro aqua reponit: illæ aſpicientes (ut ſunt ad omnia imitanda aptæ) continuò deſcendunt, oculosq́ & ora ipſi ſimiliter uiſco oblinunt, itaque poſtea facilime capiuntur.

De Simijs. CAP. XXII.

TYgres domitos, cicures pantheras, oryges quadricornes, columbas, quas negant manſuefieri poſſe,ad ſuum regem Indi afferunt: tum generoſos canes,de quibus ſuprà ſcripſi: tum ſimias nonnullas albas,alias nigras,nam rufas ideo in urbes non adducunt,quòd ueneris libidine inflãmatæ, in muliebrem ſexum furentes ſint: ac ſi quando deprehendunt,eas tanquam adulteros odio perſequentes,interficiunt.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XXIII.

VT Elephantus uini potione obliuiſcitur fortitudinis,ſic Simia hauſto uino, fraudis immemor, non eſt ad capiendum difficilis. Cum ex ſeſe binos fœtus parere ſoleat, non æqualem tamen utriſq; impartitur amorem: ſed alterum amat, alterum odit. Prætermitto plura dicere de tam turpi beſtia, quis enim non doleat,quum uidet tam turpiter aſſimulatam hominis faciem,triſtem,fraudulentam?

GYLLII ACCESSIO.
De Cercopithecis. CAP. XXIIII.

DE bonis uiris noſtræ ætatis accepi, Cercopithecos magnum detrimentum agricolis Calecuthēſibus afferre, quòd in arbores conſcendentes, liquorum ex quo uinum illi conficiunt, effundant, uaſaq́ꝫ, quibus liquor excipitur, euertant. Cercopitheci crocodilos intueri tantopere perhorrent, ut ne longinquum quidem crocodilinæ pellis conſpectum ferre poſsint: ac nimirum potius per ignes & aquas effugiant. Quod quidem ipſum cum experirer, & ex altiſsima feneſtella conditum crocodilum his longo interuallo diſtantibus oſtenderem, cum clamore, & alui deiectione, & tremore, & ſi uinculis conſtricti tenebātur, per obiectos ignes & aquas euadere furenter conabantur.

GYLLII ACCESSIO.

De Simiuulpa. CAP. XXV.

II qui noſtra memoria Payram regionem luſtrarūt, beſtiam dicunt ſe uidiſſe quadrupedem, ex anteriore parte uulpem, ex poſteriore ſimiam: præterquàm quòd humanis pedibus ſit, & noctuæ auribus, & ſubter communem uentrem, inſtar marſupij alium uentrem gerat, in quem tam diu eius catuli occultantur, dum tutò exire, & ſine parentis tuitione cibaria inquirere poſſunt, ac nimirum non ex eo receptaculo prodeunt, niſi cum lac ſugunt.

De Vulpe & Veſpa. CAP. XXVI.

VVlpes in exuperantiam infinitæ tum malitiæ, tum fraudis progreditur, nihil ut nō & malitio-

ſe,& doloſe agat: Cum enim ueſparium refertum eſſe animaduerterit,retrorſum eò accedit,atque tota à ueſpeto auerſa,ab aculeorum ſanè uulneribus declinās in cellas ueſparias immiſſa, hirſuta cauda, eademq́ bene prolixa,ueſpas concutit.Cum autem ueſparum circumueſtitam ſpiſsis pilis caudam impetentium referta eſt,tum eam ipſam uel ad arborem, uel ad parietem ad maceriémue allidit: Itaque multa caudæ attritione his extinctis,in reliquas inuadit, perindeq́ eas ut primas interimit: Iamq́ reliquas cæteras ab aculeis intelligens inopes eſſe,os in ueſparium abijciens, idipſum uorat.

De Vulpis inſidijs. CAP. XXVII.

VVlpem beſtiam improbam poëtæ & fraudulentam appellare ſolent. Sedet improbus Erinaceus terreſtris & inſidioſus,nam ut uulpem is uel audiuerit,uel uiderit,os contrahit,pedesq́ comprimit, & ſe totum in globoſam formam concludit: Illa autem cū hunc ſic in arctum conſtrictum comprehendere non quit,in eius os urinam reddit:hic uel ex contractione, uel ex uulpis fraude ſpiritu intercluſo ſuffocatur.

Quemadmodum uulpes inſidias parat Erinaceis, Otidibus,& piſcibus. CAP. XXVIII.

VVlpes fraudulentum animal,inſidias hoc pacto in Erinaceos terrenos molitur, ut cū eos rectos, quòd à morſu uulpinum impetum ſpinis prohibent, expugnare non queat,ipſos ſumma cautione oris leniter & caute primum euertens, ſupinos conſtituat,

deinde

deinde & laceret,& qui antea eſſent formidabiles,ex‑
edat, conficiatq́ꝫ. In ponto ſic Otidas uenatur,ut &
ſeſe auertens,& in terram abijciens,tanquam auis col
lum, ſic caudam extendat: eæ autem hac inſidiarum
inſtructione ſeductæ, ad illam,tanquam ad ſuam gre
galem accedunt,illa uero ſe uertens nullo negotio ca‑
piat. Tum uero ſecundum fluuiorum ripas gradiens,
paruulos piſciculos callide exceptat, nam caudam in
aquam deijcit, in quam ij innantes denſis pilis com‑
prehenduntur,quod quidem ipſum uulpes ſentiens,
caudam ex aqua remouet, & repente ſe in aridum
ſubducens eam excutit,piſciculi excidunt, atqꝫ ab ea
deuorantur. Thraces quando conglaciantes fluuij
periculoſe tranſeuntur,uulpis indicio,& periclitatio‑
ne percipiunt: nam ſi glaciem reſiſtentem,& nihil ce‑
dentem tranſmiſerit,eius ueſtigia fidenter perſequun‑
tur. Ad hunc modum tranſmiſsionem non eſſe peri‑
culoſam hæc experitur, ut ad glaciem aurem admo‑
ueat, ac ſi intra non ſubſonare atqꝫ ſubterlabi fluctus
ſentit, libenter ſe conſiſtenti glaciei credens, prima
tranſmittit: ſin aliter,nequaquam tranſit.

Quemadmodum à uulpibus lepores captantur.
CAP. XXIX.

LEpores interdum à uulpibus non tantum curſu,
ſed etiam magis arte comprehenduntur. Captio‑
ſe enim circumuenire, inducere uulpes probe nouit:
Cum enim noctu in leporis ueſtigium inciderit,& ſen
ſum ex eo perceperit, animam continens, ſpiritumq́ꝫ

B com

comprimens, ſenſim & pedetentim uſq; eo ueſtigijs leporis inſiſtit, quoad in ipſo cubili eum deprehendens, tanquam de inſidijs ſecurum animi & inſperantem capere aggreditur. At enim non hic diſſoluto & ignauiter remiſſo animo, ſed ſuſpenſo & ſollicito ſomnum capit, ſimul ac primum uulpem aduentantem ſenſu comprehenderit, de cubili exſilit, properans fugam capere, & curſum ad ſummam celeritatem facit: uulpes item ueſtigijs eum inſequens ingreditur currere: uerum longam uiam ubi hic confecerit, ut qui iam longinquo abſceſſu contra uulpem ſuperior factus ſit, ſub dumeta, aliáue fruteta denſiora ſubiens, ex longo curſu, libēti animo & prolixo ſe quieti dat: at uulpes eueſtigio inſequēs, ei non concedit ex fuga ut conſiſtat, & laboris requietem habeat, ſed ad alterū curſum ex quiete eum excitat, & agitat: poſtea uero quàm incitato curſu is permultū uiæ procedens, itinera non minora quàm prius fugerit, rurſus uehemēter quietem cupit capere: Illa uero frutetum quo ſe is cōiecerit urget, ac radicitus excutiēs, ab aſsiduo curſu non ſinit conquieſcere: itaque is iterum excurrit, illa quoq; non ſe ad inſequendū tardans, currere inſiſtit, cum autem continenter ex alio alius curſus hunc uigilijs diu multumq; fatigatum exceperit, currendo feſſus, & laboribus ſuccumbit, & longius procedere deſiſtit: ipſa uero conſecuta, eum ipſum non ſanè curſu, ſed longinquitate temporis, & captioſa inueſtigatione comprehēdit. Iam porro fœtus ſuos quum in plu-

reis

reis locos lepus diſpergit,hoc pacto arbitrans à rapinis tutiores eſſe, tum ſummo in eos amore flagrat, neq; à uenaticis modò inſidijs de ſe timet,uerũ etiam uulpium incurſiones perhorreſcit, nec minus auium impetus extimeſcit, ſed & coruorum, & aquilarum uocem multo maxime metuit, atque horret; & ſanè quidem cum his auibus nulla pace coniungitur, ſed ſeſe abſtrudit in dumeta, in aliáue fruteta, aut ceſpites, aut cum neceſsitate urgetur,in quoduis aliud latibulum ſe occultat.

De uulpibus Caſpijs. CAP. XXX.

AMyntas in manſionibus,quas ſic inſcripſit,eam ait Caſpiarum uulpium eſſe multitudinem, ut non modò agreſtia ſtabula adeant, ſed urbes quoq; ingrediantur:nihil tamen nocẽtes,neq; rapientes, ſed ita cicures Caſpijs tanquàm caniculæ adulantur.

GYLLII ACCESSIO.

De Vulpis fraude. CAP. XXXI.

INtimas cauernas,quæ multos habeãt exitus, procul inter ſe diſtãtes incolit,ne circum exitum unum poſitis uenatorum inſidijs comprehendatur. In omnes hoſtes ſuos infeſtiſsima eſt; neq; modò contra canes,ſed & cum feris robuſtioribus, & cum uenatoribus molitur pugnare.Neq; ſolis beſtijs terrenis,ſed etiam aquatilibus, & uolatilibus mille inſidias comparat. Cum auium greges ſubuolãtes uidet,humi ſtrata iacet, ſimul & oculos claudit, & animam continet, & prorſus extinctæ ſpeciem ſimilitudinemq;

B 2 gerit.

gerit. Cum autem eam ſic ad terram abiectam aues deſpiciunt, mortuam arbitrantes, gregatim delabuntur, in eaq́ue ſeſsitantes ludunt: at uulpes eas ad roſtrum appropinquantes ore hiante atque imminente, deuorat.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum glaciei indicem Thraces habent uulpem. CAP. XXXII.

THraces congelatum flumen molientes tranſmittere, uulpem, Plutarchi teſtimonio, præmittunt, glaciei indicem, quantum firmitatis habeat: ea enim pedetentim & moderate gradiens, aurem admouet: ac ſi ex ſtrepitu confluentem non multo infra ferri ſentit, ſtatim cōiectura aſſequitur, frigoribus fluuium non bene penitus conglaciaſſe, ſed tenuem & infirmam glaciem exiſtere, itaque regreditur: ſin ſubterlabens aqua non admurmurationem facit, confidenter tranſit. Quod quidem ipſum non acrem beſtiæ ſenſum dicimus eſſe: ſed ex ſenſu ratiocinationem. Sic enim uulpes colligit, ipſum ſtrepere motu præditum eſt, quòd autem motum habet non gelu conſtringitur. Itemq́ue: Quod aquæ non glaciat liquidum eſt, quod autem liquidum, facile concedit.

De Lepore. CAP. XXXIII.

DE Lepore mihi hæc in mentem hoc loco ueniũt explicare. Non eum ſanè prius ſub ſolitum cubile ſubire, & ſuccedere, quàm modò ingrediens, modò

modò egrediens ſua conturbarit ueſtigia: ut ne ea ſtruentibus ſibi inſidias appareant, naturali quadam ſagacitate homines aſtute decipiẽs. Quædam propria ei à natura ingenerata ſunt: Palpebris patentibus ſomnum capit, eius annos indicant foramina quædam, nam quot ſunt illi corporis cauernæ, totidem annos ætatis agit: uno & eodem tempore quædam in utero inchoata & imperfecta fert, quædam parturit, quædam modò peperit.

Quemadmodum mas Lepus parit.
CAP. XXXIIII.

DE uiro rei uenatoriæ bene perito, & cætera quã bono, & à mẽdacijs alieno, auditione accepi, mares Lepores uno eodemq́ tempore tum alios implere, tum ex ſeſe parere, tum nutrire, nempe qui ſint utriuſq; ſexus participes. Idemq́ teſtabatur aliquando duos, aliquando tres parere. Huc etiam addebat, marem ſemimortuum captum fuiſſe, ipſum autem prægnantem fuiſſe, atq; in diſſecti utero tres lepuſculos repertos fuiſſe, eos primum extractos immobiles fuiſſe, deinde à ſole intepeſcentes, reuixiſſe, & eorum quendam poſtea reſpexiſſe, celeriterq́ & linguã porrexiſſe, & cibi deſiderio os aperuiſſe: itaq; lac ei admotum fuiſſe, & paulatim alitum fuiſſe.

Tempora & uentos Lepus cognoſcit.
CAP. XXXV.

RAtionem tum uentorum, tum temporum lepus planè ſcit. Hyeme apricis locis cubilia idcirco in-

format,atque imprimit,quòd apricationem uehemē-
ter appetit: frigus hoſtilem in modum declinat,æſta-
te uero,altioris ſedis ſtudio captus ad aquilonem cu-
bitat. Temporum commutationes nares ei indicant.
Non oculos claudit cum ſomnum capit, imo uero
cum reliqua membra ſomnum accipiunt, interea ta-
men oculi uident. In paſtionibus tum nocturnis tum
longinquis pabulū inquirit,ſiue quòd fortè peregri-
ni cibi deſiderio tenetur,ſiue etiam quātum equidem
intelligo,ut ſe exerceat, & pedum celeritatem firmet.
Viam retrouerſus pertinentem cupide amplexatur,
conſuetam ſedem omnibus locis antefert, eóq; non
parum ſæpe capitur,quòd aſſuetum cubile relinque-
re non poſsit.

De Leporum uelocitate montanorum & campeſtrium. CAP. XXXVI.

Lepus quem canes & equi inſectantur, ſi campe-
ſtris ſit,celeriore & concitatiore curſu,quam mon
tanus uiam conficit,propter corporis exiguitatem,&
tenuitatem. Cum enim gracili habitu ſit, ipſum celeri
tate præſtare uero proximum eſt. Primum igitur ex
terra exſiliens ſaltu fertur, & per dumeta aliaue den-
ſiora uirgulta expeditus perlabitur. Tum uero ſicubi
herbæ ſint altæ & frequentes, ex eis facile ſeſe expli-
cat,atque elabitur: ac quemadmodum leonibus cau-
dæ ad excitandas uires magno adiumento eſſe dicun
tur,ſic huic aures roboris numina, & uexilla, & cur-
ſus incitamenta exiſtunt; fugiens eas ad tergum re-
torquet

torquet, ſicq́; ipſis tanquam ſtimulis torporē & ignauiam, ne à currendo retardetur, concitat. Iam porro curſum nec unum, nec rectà tenet, ſed & huc illuc ſe uerſat, & uero de recto curſu deflectit, ut exterreat canes, & circũueniat ad id quidem diuerticulum, quo uult iter conuertere: de auribus alterutrã intorquet, atque inflectit, eaq́; quaſi moderatrice curſum dirigit. Neque uero improuide uno eodemq́; tempore omnes ſuarum uirium neruulos contendit, ſed & impetum inſequentis obſeruat, & ſi ad inſequendum tardus & ſegnis ſit, non omnem ſuam celeritatem profundit: Sed duntaxat canes antegredi maturans, ſeſe integrum ſeruat, & uiribus ſuis moderatur, ne omnẽ ſuam currendi facultatem urgens, ex incitato curſu uiribus deficiat. Penitus enim cognoſcit ſe ad curſum longe multumq́; antecellere, & uidet impenſius laborare non eſſe neceſſe. Quòd ſi pedum celeritate canis ad conficiendum interpollet, tum omnibus reuocatis uiribus lepus quanto maximo poteſt curſu fertur. Cum autem longe multumq́; canibus anteuerterit, & longo ſanè interuallo uenatores atque equos reliquerit, tum ſanè in aliquem tumulum aſcẽdit, & in poſteriores pedes ſeſe erigens, tanquam ex aliqua ſpecula, & inſectantium certamen proſpicit, & quantum equidem exiſtimo, eos ut debiliores ridet. Poſt ex eo loco intuens, ſe omnia ſuperiora habere, is nimirum quietem & tranquillitatem adeptus, ex laſſitudine grate & libenter dormit. Montium incolæ nõ

tam ueloces, quàm qui in planicie uerſantur, niſi quã do ſub montem ſubiectos habent tractus in planiciem explicatos, quò ex montibus decurrant: unde fit, ut tametſi montes incolant, tamen in campis exerceantur, unde ſæpe campani homines eos excitant, atque inſequuntur. Cum autem proximi ſunt ut capiantur, campeſtris uiæ breuitatem declinantes, in altiores locos & montoſos ſe conuertunt, in ſuas nimirum ſedes feſtinantes, idcircoq́ʒ euadunt, & inſperatam ſalutẽ aſſequuntur, quòd canibus & equis montium itinera infeſta atque inimica, pedes obterunt & debilitant, ſed eo acerbius canes uexantur, quod carneos pedes & minime ad perpetienda ſaxa reſiſtẽtes, & quemadmodum equi ungulas habent. Contrà, lepus conueſtitos pilis pedes habet, & duritatis & aſperitatis patientes. Iam ex leporibus qui in crebris dumetorum frequentia locis commorãtur, laboris inertia ſegnes, non ad curſum uelocitate ualẽt, ex pedum tarditate ad fugiendum laborantes. Nam huiuſcemodi opimo habitu, & ceſſatione torpentes, currendi inſueti ſunt, & ad proficiſcendum longiſsime perimbecilles. Ipſorum ratio uenandorum talis eſt. Primũ per frutices perparuulos & minime continenti crebritate denſos permeant: denſiores uero, qui tranſiri non poſſunt, tranſiliunt: ueruntamen ubi fruticetum aliud ex alio nexum latiſsime continuatur, ibi hoc ipſum facere coacti cum ſint, corporis grauitate ad ſaltum parum ualentes, ſanè quàm cito laborant

& ſuccum

& ſuccumbunt. Canes uero ab eis ipſis primum ab-érrant quòd non eos propter minutarum arbuſcularum frequentiam uident, & uero per frutices ſaliunt odoris ſenſu illecti, deinde tandem aliquando uiſos, inſequuntur, de cõtentione currendi nil remittentes: illi autem ipſi ex continuatione ſaliendi ad capiẽdam fugam longiorẽ remolleſcunt, & uiribus defecti comprehenduntur: atq; etiam ut facile ſurſum uerſus feruntur quòd poſteriora membra longiora habẽt: ſic ſane deorſum uerſus egre ideo decurrunt, quia anteriora cum ſint breuiora, eos affligent.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XXXVII.

Hegeſander Delphus in commentarijs memoriæ tradidit, Antigono Gonata regnante, in Aſtipalæa maximam leporum multitudinem extitiſſe, ut Pythiam Aſtypalenſes de eis cõſulere habuerint neceſſe: eam reſpondiſſe canes alendos eſſe: quo facto uno anno plus quàm ſex milia cepiſſe. Ex eo enim tam ingens leporum numerus procreatus fuerat, quòd Anaphæus quiſpiam in eam inſulam duos lepores iniecißet, quemadmodum etiam Aſtypalenſis quidam in Anaphen duos perdices antè dimiſiſſet, unde tanta perdicum uis in Anaphe exorta fuerat, ut ſedibus incolæ pellerentur. A principio lepores non habebat Aſtypalæa. Xenophon & Herodotus maxime fœcũdum animal genus leporaceum teſtantur. Nam etſi comprehenditur à feris auibus, atque

hominibus, tamen adhuc redundat, fœtuum enim alius in uentre piloſus, alius à pilis nudus, alius in uulua recens fingitur, alius in lucem profertur. Xenophon leporem ait clauſis oculis uigilare, apertis dormire. Apud Bizaltas lepores bina iecora habere Theophraſtus dicit. Lepores ut ſint omnes ſanè longis & piloſis auribus, tibijs neque magnis, neque æqualibus: certe diuerſos inter ſe colores habent, alij cyanei, alij in ſolis terrarum nigris fuſci, alij in rubris terris rutili, nonnulli omni ex parte albi.

GYLLII ACCESSIO.

De leporis aſtutia in tuenda ſua procreatione. CAP. XXXVIII.

EX ſuis lepuſculis alium alibi lepores ponunt, ut iugeris ſæpe interuallo diſtent inter ſe, ne ſi uel homo uel canis interuenerit, omnes ſimul periclitentur, ipſi autem lepores ad cubile redeuntes, poſtea quàm uarium & multiplex poſuerunt ueſtigium, ab alijs longe remotum, extremum ſaltum ſaltant, ne nimirum ueſtigiorum perpetuitate ſomnum capientes deprehendantur.

De Cuniculis. CAP. XXXIX.

ALiud eſt etiam genus leporum, natura perparuum, nec tamen augetur unquam, ei cuniculus nomen eſt: quod quidem ipſum nouatum à me non eſt, at etiam in conſcribenda hiſtoria Græci quidam uſi ſunt, quod à principio Hiſpani impoſuiſſent.

Caudam

Caudam cæteris breuiorem habet, cætera reliquis leporibus conſimilis eſt, præterquam quòd magnitudo capitis quippiam differt, quia exilius ſit, & minima carne præditum, eius uniuerſum corpus candidius quàm reliquorum leporum.

De Fele. CAP. XL.

QVemadmodum ex felibus mas eſt libidinoſiſsimus, ſic amantiſsima catulorum fœmina: quæ uenercam idcirco maris conſuetudinē refugit, quòd is calidiſsimum, ignisq́ʒ ſimile ſemen emittat, genitale ut fœminæ comburat. Eiuſce quidē rei mas non ignarus, communes catulos ſuos interimit. Hæc autem nouorum catulorum deſiderio permota, eius libidini morem gerit. Quòd autem ab omni tetro odore feles abhorrere dicantur, eò excrementa ſua prius foſſa facta, in terram occultant.

GYLLII ACCESSIO.

De Fele. CAP. XLI.

FElem marem Aegyptij dicunt pupillas ad ſolis rationem uariare, cum enim exoritur ſol, tum longæ fiunt, in meridie rotundæ uidentur, ad ueſperam autem obſcurantur: eum odore unguentorum Plutarchus ſcribit grauiter uexari.

GYLLII ACCESSIO.

De Talpa. CAP. XLII.

CVm ad comprehendendas talpas fictile uas anguſtis faucibus in ſcrobem de induſtria factum

demiſiſſem, earumq́ue una in hoc ipſum incidiſſet, & exitus non ei pateret, quòd ſurſum uerſus propter decliuitatem adrepere non poſſet, altera ei opem & ſalutem tulit, terramq́ue effoſſam in uas tandiu coniecit, quoad exaggeratione facta, altera exire potuerit. Sed quis ille ſenſus ſine oculis concipere alterius caſum, & liberandi rationē percipere, quam haud ſcio an cæcus homo ſine uocis indicio aſſequi queat.

FINIS LIBRI VII.

LIBER OCTAVVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

De Muribus. CAP. I.

MVRES cum ſua ſponte fœcunda animalia crebros partus ex ſeſe edũt, tum multo ſupra conſuetudinem accedente ſalis uſu fœcundiores. In Paro inſula ferrum exedere & conficere dicuntur. Amyntas in Teredone Babylonica ſcribit, eodem cibo uti.

De Murium iecore. CAP. II.

A Coitu recreſcente luna, muris iecuſculum mirabilem in modum ſibi fibram quotidie quandam progignit, uſque ad plenam lunam. Deinde luna decreſcente fibræ pariter decreſcunt, ac in unum corpus extenuatæ paulatim euaneſcunt. In Thebaide cum grandine pluit, mures in terra apparere audio, qui partim etiam nunc cœnum limoſum, partim iam caro exiſtunt.

De Aegyptijs Muribus ex pluuia naſcentibus. CAP. III.

PRimum ut in Aegypto pluit, perparuulis guttis Mures naſci ſolent, qui longe lateq; totis aruis uagantes, maxima calamitate ex ſpicarum circumroſione & ſucciſione ſegetes afficiunt, & manipulorum

aceruos uaſtantes, magnum Aegyptijs negotium exhibent: eo fit, ut ij inſidias eis conentur muſcipulis tendere, & ſepimentis repellere, & foſsis ac incenſionibus arcere: ſed mures ut minime ad muſcipulas accedunt, ſic cum ſint ad ſaliendum apti, & ſepes tranſcendunt, & foſſas tranſiliunt. Aegyptij uero de ſpe & conatu depulſi, omni machinatione inſidiarum, tanquam parum efficaci relicta, ſe ad ſuppliciter deprecandam à Deo calamitatem uertunt. Mures diuinæ iræ metu, in montem quempiã acici inſtructione ordinem quadrangulum conſeruantes diſcedunt: horum omnium natu minimi primo in ordine conſiſtunt, maximi uero extremum agmen ducunt, eos qui laſsitudine deficiũt, urgent, ac ſeipſos ſequi cogũt. Quòd ſi ex itinere minimi natu laborantes ſubſiſtãt, omnes quoq; conſequentes, ut eſt in more belli inſtitutoq; poſitum, inſiſtunt, & interquieſcunt: Simulq; ſe, ut primi mouere cœperunt, cæteri continuo omnes ſubſequuntur. Hoc idem qui Pontum incolunt mures illic agere dicunt. Ex omni autem domo cuius ruinæ impendeant qua primum datur, celeriter demigrare creduntur. Cum autem uocem felis aut uiperæ ſibilum exaudiuerunt, è nido muſculos in locum alium transferunt.

De Muribus inſulæ Heracleæ. CAP. IIII.

QVantum eſt cunq; murium in Heraclea, quæ in Ponto inſula eſt, deum & religioſe colet, & quod deo cunq; dedicatum eſt, non attingit. Itaque cum ui-

tis

tis,quæ ibi deo frondeſcit,& ſoli eidem ad religionem conſecrata eſt,cuiuſq; racemos dei adminiſtri ad ſacra ſeruant, uuæ aſſecutæ fuerint maturitatem, tum de inſula mures decedunt, ut ne ſi remanerent, per imprudentiam eas contingant, quas tangi fas non ſit: poſt uero ubi id anni tempus præterierit,ad domeſticam ſedem reuertuntur. Atque hæc quidem Ponticorum murium eſt probitas. Contrà Hippon, Diagoras, Heroſtratus,reliquíq; dei hoſtes,quomodo uel à racemis, uel aliis rebus conſecratis cupiditatem manuſq; abſtinuiſſent, qui ne ab ea quidem inſania ſuã aſſenſionem ſuſtinuerint,quominus & nomina deorum, & opera quomodocunq; tollere conati fuerint.

De Muribus. CAP. V.

CVm mures in aquatile uas delapſi aſcendere non queunt,mutuas inter ſe caudas mordicus tenentes,ſeſe ſubtrahunt, ſecundum quidem primus, tertium ſecundus: ſic enim eos mutuas inter ſe operas ſapientiſsima natura ponere docuit.

De Muribus terræ Caſpiæ. CAP. VI.

AMyntas in Manſionibus, quas ſic inſcripſit, in Caſpiam dicit infinitam murium multitudinem accedere,eoſdemq; in perennibus fluuiis rapide præcipitãtibus intrepidè innatare,& caudas inter ſe mordicus tenentes,firmamentum habere,eoq; firmo uinculo fluuios tranſmittere. Cum autem in arationes tranſierint,ſegetes ſuccidunt, & in arbores aſcendentes fructus edunt,& ramos frangunt: Quibus Caſpii

ubi reſiſtere non queunt, hoc modo infeſtas eorum incurſiones moliuntur ulciſci,ut non habētibus uncinatos ungues auibus quippiam noceant, quæ quidem ipſæ tantis gregibus ut nubes eſſe uideantur eò aduolantes, mures ſedibus pellunt, & ſuo proprio quodam naturæ munere à Caſpijs famem depellūt, neque magnitudine inferiores quā Aegyptij Ichneumones: Itemq́; agreſtes ſunt & acerbi, & robore dentium non aliter diſſecare ac deuorare poſſunt, quàm mures ferrum in Teredone Babyloniæ, quorum pelles molles inſtitores ad Perſas uehunt, quibus ueſtes conſuuntur,& corpus optime fouetur.

Quemadmodum Mures domum collapſuram prænoſcunt. CAP. VII.

QVod uicinam domum ad edendas ruinas mures & muſtellæ præſentiunt, idcirco eius caſum & prolapſionem præuertētes, ex ipſa emigrāt,quod quidem ipſum in Helice oppido uſu eueniſſe dicitur. Cum enim Helicenſes impium facinus in ſe aduerſus Iones admiſiſſent,eos nimirum in altaribus mactantes,tum ſanè his propinqua ruina ex oſtentis portenta fuit.Nam quinq; antè diebus quam Helice funditus euerteretur,qui in ea eſſent mures, muſtellæ, ſerpētes,& uerticillæ,cæteraq́; eiuſmodi ex eo loco exierunt: quod quidem facinus Helicenſibus id ipſum intuentibus,ſummam quidem admirationem mouebat: ueruntamen quam ob rem diſcederent,cauſam conijcere non poterant, poſtea uerò quàm ex urbe

hæc

hæc animalia exceſſere, ex terræ motu tantæ labes domorum noctu factæ ſunt, ut non modò ex hoc caſu deſederit urbs, & conciderit, atque ex permultæ tempeſtatis alluuione funditus deleta fuerit: uerum etiam cum forte decem naues Lacedæmoniorum in urbis portu ſtationeq́ꝫ eſſent, ex marinorum æſtuum tempeſtate perierunt. Diuina enim iuſtitia, ſatellitibus atqꝫ adminiſtris beſtijs, ad ulciſcẽdos impios homines utitur. Cui rei etiã teſtimonio eſt Pauclas Lacedæmonius, qui cũ fabros Dionyſianos iter facere ad Citheria per Spartã prohibuiſſet, poſt in ſeſsione Ephororum à canibus laceratus fuit, & diſtractus.

Quemadmodum ſua ſponte mures cum moriuntur, eorum partes non generatim, ſed ſigillatim extinguntur. CAP. VIII.

MVres qni non ex inſidijs, ſed ſua ſponte moriũtur, defluentibus membris, è uita paulatim excedunt: unde profectum id quod eſt in prouerbio, Iuxta muris interitum. Cuius Menander meminit in Thaide. Flagrãti autem libidine dicunt mures eſſe, teſtemq́ꝫ Cratinum afferunt, dicentẽ in poëmate inſcripto, Fugitiuis: Age nunc tibi ex æthere murinã laſciuiam Xenophontis fulmine percutiam. Atqꝫ fœminam quoque murem maiore Veneris rabie flagrare dicunt. Et rurſus apud Epicratẽ in poëmate quod inſcribitur Chorus: Poſtremò ſubijt deteſtabilis lena, deierans per Dianã eſſe uitulam, eſſe uirginẽ, eſſe pullã indomitã: At illa murina erat. Superiectione ſala-

ciſsimam eam dicere uoluit, quum prorſus murinam uocauit.

De Muribus bipedibus. CAP. IX.

IN Cyrene diuerſa tum colore, tum forma murium genera naſci ferunt, ac quoſdam ipſorum quemadmodum feles, ita lata facie eſſe: alios uiperæ ſpeciem ſimilitudinemq́ue gerentes, acutas ſpinas habere, quos indigenæ echenatas uocant. In Aegypto audio bipedes mures maxima magnitudine eſſe, & prioribus pedibus tanquam manibus uti, eoſdemq́ue rectos duobus pedibus nitentes gradi: cum autem inſequētibus urgentur, ſalire. Hæc Theophraſtus. Ex panibus multis & uarijs ſimul poſitis optimum quenque ſeligens circumrodit: quare optimi panis iudicium in muribus exiſtimatur eſſe.

De Murium religione. CAP. X.

MVres item adorant ij, qui Troadis Amaxitum incolunt: unde Apollinē, qui apud eos maxima religione eſt, Smynthium appellant: Murem enim Smynthiū Aeoles & Troiani nominant: ſicut Aeſchylus in Siſypho teſtatur, cum ait: Sed agreſtis quis eſt Smynthius. Tū uero apud Smynthios circures aluntur mures, eisq́ue uictus publicè præbetur, atque infra altare ubi degunt, latibula habent. Apud etiam tripodem Apollinis mus manet, de cuius religione hanc accepi fabellam, Permulta murium millia cum Aeolium & Troianorum ſegetes inuaſiſſent, atque immaturas ſuccidiſſent, & ſimul eis qui earum ſementē feciſſent

ciſſent, infructuoſas reddidiſſent: cumq́; Delphicus deus de hac re conſultus eſſet, reſpondiſſe: Oportere ſacrificare Smynthio Apollini. Eos quibus datũ eſſet oraculum reſpõſum ſecutos, ab hoc murium impetu liberatos fuiſſe, & frumentũ eis ad ſolitas meſſes perueniſſe. Huc etiã addunt, Cretenſes in coloniã domo miſſos, Pythium rogaſſe, quempiã ſibi locum ad habitandum appoſitũ oſtenderet: Illum oraculũ edidiſſe, ubi terra geniti bellum eis inferrent, ibi conſidendũ, atq; urbem excitandã eſſe: ita eos profectos ad Amaxitum caſtra poſuiſſe, ut illic quieſcerent: muriũ uerò incredibilem multitudinẽ erupiſſe, & clypeorum lora deroſiſſe, & arcuum neruos exediſſe: ex quo coniecturam duxerunt, illos eſſe terrigenas: proinde ad armorum inopiam redactos, hunc locum incoluiſſe, atque Smynthio Apollini templum excitaſſe.

De Muſtella, quam Thebani in Bœotia adorant. CAP. XI.

AEgyptij quòd diuerſa animaliũ genera in deos referant, & ſacra religione colant, multiplex & uarius riſus eos conſequitur. At Thebani, natione quidem Græci, riſu obruẽdi, qui muſtellam religioſe uenerentur, & dicant, Cum Herculem Alcmena parturiret, & parere non poſſet, hanc accurriſſe, & parturiendi uincula diſſoluiſſe, eoq́; eſſe factum, in lucem ut Hercules expeditius exiret.

De Muſtella, & ſerpente, & earum pugna. CAP. XII.

PErnicioſa belua muſtella eſt, pernicioſa etiam ſerpens. Nam muſtella cum ſerpente pugnatura, primum quidem rutam edit, deinde fidenti animo ad pugnam tanquam armis tecta procedit: Cauſa eſt rutæ odor, ſerpentibus infeſtus.

GYLLII ACCESSIO.

De Sciuris. CAP. XIII.

SCiurus ea eſt ſolertia, ut in maximis ſolis feruoribus ad frangendũ calorem erecta cauda & patula ſeſe ita opacet, quemadmodũ pauones, ut uehementẽ æſtatis ardorẽ defendãt, ſe excitata cauda adũbrant.

De Herinaceorum terreſtrium & Lyncis inuidia. CAP. XIIII.

TErreſtris Herinaceus inter animalia inuida cenſetur, ſtatim ut capit̃, urina ſua reddita, tergus ſuũ conſpergit, cuius ui perfuſum corrumpitur, & quod futurum erat ad multa utile, reddit inutile. Et Lynx etiam urinã ſuam in terrã occultat, quæ ubi concreuerit ac congelarit, lapis efficitur, ad ſculpendũ accõmodatus, & ſimul ad muliebrem mundum expetitus.

De Herinaceorum prudentia. CAP. XV.

HErinaceus eorum quæ ad uitæ uſum pertinent, natura ſua nec imprudens creditur, nec imperitus comparandorũ & condendorum in hyemem fructuum: Planè enim nouit, non omni tempore percipiendorum tempeſtiuitatem fructuum datam eſſe, quare cũ hirſutus ſpinis tam ſit, ſeipſum in locis, ubi pomorum acerui conſtructi ſunt, uolutans, ſuis aculeis

leis transfixa portat non pauca in theſaurum cauernarum, in quas abdita atque condita ſeruantur: unde promere queat, cum nulla ex parte extrinſecus fructus colligi queunt. Terreni Herinacei nunc ueteratoriam explicabo: Cum enim is uicinus eſt ut capiatur, contortisſime ſeipſum concludit, & tantoperè contrahit, ut comprehendi non queat, ſimul & animam continet, ſpiritumque comprimit, & ab omni motu conquieſcens, mortui ſpeciem præ ſe fert.

GYLLII ACCESSIO.

De Herinacei, & ſerpentis pugna. CAP. XVI.

SErpens & Herinaceus mutuo inter ſe odio flagrãt: Cum hic illam ad pugnam deſcendere ſentit, callidus ſpinis totum ſe contrahit in orbem, & imam partem ab aculeis inopem ad terram firmiter abijcit. Ea uero inania uulnera infert, quòd aculeis prohibeatur dentes infigere; & tametſi aculeis affligitur ſerpens, tamen non tam diu omittit eum oppugnare, dum aut pari caſu moriatur uterque, aut ex mortua Herinaceus prudens elabitur.

GYLLII ACCESSIO.

De Herinaceorum ſolertia. CAP. XVII.

MIrificam procurationem Herinaceus habet: cum uuæ matureſcere incipiunt: ſub uites ſubit, & pedibus ex racemo uuas ad terram deijcit, ſeque huc & illuc uerſans, ſpinis eas colligit, ut illius aliquãdo aculeos cum transfixis uuis plenos intueremur, ſerpere racemum, & ambulare opinaremur. Deinde in late-

bram ingreſſus, excedēdas catulis ſuis eaſdem obijcit. Duo uero foramina eius cubile habet, alterum ad auſtrum, alterum ad boream pertinet: ac pro temporis ratione, tanquam uelum gubernatores nauis, ſic id quod ad uentum ſpectat, obſtruit, alterum autem aperit: quod ipſum cum quiſpiam animaduertiſſet, eam gloriam aſſecutus eſt, ut ex eo uentos futuros prædiceret.

De Teſtudine & Vipera. CAP. XVIII.

TErrena Teſtudo cum Origanum comederit, Viperam præclare contemnit. Quòd ſi eius facultatem non aſſequatur, comeſa ruta contra hoſtem armatur. Iam ſi utriuſq; facultate caruerit, à ſerpente exeditur, planeq; conficitur. Cum teſtudini ſerpentē comeſſe contigerit, cunila adeſa ſtatim illa extra periculum ueneni eſt, quod aliter confeſtim ab uſu hanc funditus ſublaturum fuerat.

De libidine Teſtudinum. CAP. XIX.

EX terrenis Teſtudinibus mas ad uenerem inflammatiſsimus eſt. Demoſtratus fœminam humi ad coitum ſtratam ait ſupinā iacere, deinde expleto coitu, propter teſtæ magnitudinem cum ſe conuertere nō queat, eſcam paratam à marito relinqui cum alijs animalibus, tū aquilæ: unde fit, ut mares eas ad coitū ideo illicere non poſſint, quòd fœminę magna moderatione libidines contineant, & ſalutem uoluptati anteponant. At enim mares mirabili quadam natura illecebram amatoriam, & omnis metus obliuionē afferentem

rentem

rentem fœminis inijciunt: neque tamen huiuſcemodi illecebræ ſunt cantiunculæ, quales Theocritus, paſtoritiæ luſionis compoſitor, nugatur: ſed occulta herba, cuius neque ille nomen ſe ſcire dicit, neque aliũ cognoſcere confitetur: itaque mares eam ore continentes, ad libidinem fœminas alliciunt: & quæ antea fugiebant, nunc exardeſcunt ad coitum, & nullo de ſe timore afficiuntur.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum humi latet. CAP. XX.

OMne hybernum tempus teſtudo intra terram abdita manet immobilis: cuius naturam non ignorantes homines, eam ineunte hyeme terræ operimento obducunt: poſt uero hyemem ibi locatam ac ſitam, ubi terra obruerunt, reperiunt, ſine cibo totam hyemem traduxiſſe. Oua non modo incubare ſolo aſpectu dicitur, ſed etiam ad excluſionem perducere.

De Rubeta rana. CAP. XXI.

EST rubetarum genus, cuius facta non modo perniciosa, ſed illius aſpectus aſpicientibus infeſtiſsimus exiſtit: Nam ſi quis ex ijs, qui malas artes ingenioſe factitare ſciunt, eam primo contriuerit, deinde eius ſanguinem ſiue ad uinum, ſiue ad aliam potionem admiſtum, cuipiam per inſidias bibendum dederit, is ſanè ſine mora perit. Eius aſpectus hanc improbitatem habet, ut eam aduerſam ſi quis acriter intueatur, & illa contra improbo obtutu ſuo reſpiciat, ac ſuam aſpirationem humano colori hoſtilem anhelauerit

uerit, hominem eo pallore afficit, ut ægrotanti ſimilis eſſe uideatur: ac pallor per aliquot dies manet, deinde euaneſcit. Tymeus, & Neocles medicus rubetas dicunt duo iecora habere: & alterum quidem occidere, alterum alteri aduerſantem ſalutem afferre.

De Cochleis. CAP. XXII.

PErdices & Erodios idcirco defugiunt Cochleæ, quòd eos pernoſcunt penitus hoſtes ſibi eſſe: nec cernere eſt limaces ibi ſerpere, ubi illi ipſi uerſentur: eos tamen naturali quadam aſtutia Cochleæ quædam præſtantiores decipiunt, & circumueniunt: Siquidem ex natiuis teſtis egreſſæ, in magna ſecuritate paſcuntur. Aues autem, quas modo dixi, in teſtas inanes, tanquam in eaſdem illas inuolant: ut uero nihil inuenerint, eas ut ſibi inutiles abijciunt, atque diſcedunt. Illæ uerò ſingulæ exſaturatæ paſtu, atque ex aberratione qua hoſtes fefellerunt ſeruatæ, ita in teſtas tanquàm ſuam propriam domum reuertuntur.

Pilularius Scarabeus caret fœmina.
CAP. XXIII.

IN ſuo genere Scarabeorum natio fœminei ſexus quòd ſit expers, ideo in fimi pilam ſemen emittit, quam octo & uiginti dierum ſpatio & uolutat, & concalefacit, deinde fœtum procreat. Aegyptiorum porro bellatores Scarabeum in digitis inſculptum habere ſolebant, ex eo adumbrante nimirum legislatore, ſolos omnino mares pro patria bellum gerere oportere, quòd ſane ſcarabeus caret fœmina. Scarabeum perdis

perdis, ſi roſas in eum injjcias.

GYLLII ACCESSIO.

De Scarabeis. CAP. XXIIII.

SCarabeus ex bubulo ſtercore pilulam rotundam ad cœli ſimilitudinem conficit, quam ab ortu ad occaſum uerſus tandiu ipſe uerſat, dum ad mundi figuram perduxerit: poſtea autem quàm eãdem defoderit, duo de triginta dies terra obrutam eſſe ſinit, quot enim dierum ſpatio Luna duodecim cœli ſigna percurrit, totidem ſcarabeorũ genus animatur. Nono & uiceſimo pòſt die eam refoſſam in aquã deijcit, idemq; triginta tanquam digitulis præditus eſt, ſolis ardore ſolet excæcatus perire.

De Formicis. CAP. XXV.

FActis meſsibus, circum areas uerſantes Formicæ ad trituram conueniunt aut ſingulæ, aut binæ, aut ternæ: domicilia ſua & conſueta tecta relinquentes, triticum legunt, eadem ſemita iter faciunt: aliæ ad legenda grana eunt, aliæ onus portantes redeunt, ac ſummo cum honore & modeſtia aliæ alijs de uia decedunt, & multo magis expeditæ onus gerentibus; in cauernis granorum aceruos ſibi conſtruunt, ac ſingula ſemina exterebrant, quod excidit, in ſuum prandium conuertunt, reliquum uero quod circũroſum remanet, ſterile eſt. Ergo iſta generoſiſsimę œconomę & cuſtodes formicæ intra cauernam machinãtur, ne imbrium fluxionibns integra ſemina rurſus in fruges è terra exeant, unde in cibi inopiam & famem in-

E currant,

currant, unde illis labor & ſedulitas pereat. Hæc igitur, ſicut alia pleraq;, natura formicis largita eſt.

Rerum cœleſtium notionem habere, curſum ſyderum tenere, atq; uim intelligere, ſapereq; Babylonios & Chaldæos teſtantur hiſtorici. Formicæ uero neque cœlum ſuſpiciunt, neq; digitis menſis dies numerare ſciunt: hoc tamen eis natura donauit admirabile, ut menſis nono quoq; die, non pedem ex cauerna egredientes, admodum quiete tecto ſe teneant.

De ingenio Formicæ. CAP. XXVI.

CLeantem hæc de formica hiſtoria coëgit & inuitum & fortiſsime contradicentem beſtias concedere rationis non expertes eſſe. Nam cum aliquando otioſa ſeſsione fruentem, ferunt formicas, quæ complures ad eius pedes eſſent, animo cœpiſſe uacuo & ſoluto contemplari, alteras nimirū uidiſſe alicunde mortuam in alienarum domiciliū & ſuarum minime contubernalium portantes, in formicariæ cauernæ faucibus conſiſtere, atque inde continuo alteras perſpexiſſe prodire, & cum externis uelut quiddam con trahentes, iterum & ſæpius ultro citroq; cõmeare, deniq; lumbricum tanquam redemptionis pretium attuliſſe, eumq; alteras accepiſſe, & ſimul quàm ferrent mortuam dimiſiſſe: alteras cum gaudio & libenter ſimiliter atq; uel fratrē uel filium recepiſſe. Quid ad hæc dicet Heſiodus, qui ſcripſerit Iouem naturas diſtinxiſſe, beſtijsq; terrenis, aquatilibus, uolucribus dediſſe, ut & inter ſe conficerent, & minime quidem

mutua

mutua inter ſe iuſtitia uterentur: hominibus autem iuſtitiæ munus largitum fuiſſe. Atqui non hæc dicet Priamus, ſiquidem is ipſe homo ab homine, & heroë, & ex Iouis ſtirpe oriūdo, ipſe quoq; Iouis progenies; multa Hectorem pecunia redemit.

De Formicarum ſedulitate. CAP. XXVII.

FOrmicæ in primis ſedula atq; operoſa animalia, tanto laborādi ſtudio tenentur, ut ne noctes quidem in ſuo opere ceſſent, modò ſit plena luna: nec uero, quemadmodum homines inertiæ, fugæq; laborandi excuſationes prætēdunt: Quid enim inertium dierum multitudinē commemorē, neceſſe eſt? Indicta ſunt Dionyſia, Lenæa, Saturnalia: alia Spartam ſunt translata, alia Thebas recepta: quin ſingulis etiam urbibus, mille dierū inertiſsimæ ſegnitiæ nō apud barbaros ſolum, ſed etiā apud Græcos indictæ ſunt.

De terræ foſsionibus, quas faciunt formicæ.
CAP. XXVIII.

AEgyptias foſſas & Creticos labyrinthos hiſtorici literarum memoria celebrāt, & poëtarum natio uerſibus decantat: uerum foſsionum quas formicæ efficiunt, uaria diuerticula, flexiones, anfractus nondū ſciunt: enimuero eæ mirabili ſapientia ſubterraneas ædificatiunculas tortuoſiſsimè conſtruunt, ut uel difficilem inuentu aditum, uel omnino inuium inſidias ſibi molientibus efficiant: terram enim quam effodiunt, pro foraminibus aggerant, & tanquā muros quoſdam, & propugnacula circumijciunt, & ne

ex cœlo aqua pluuia defluens ſeipſas funditus alluuione perdat. Intermedia item ſepimenta, cauernas alias ab alijs ſecernentia, ſolertiſsime machinantur, atq; ut de ſplendidis hominum ædibus fieri ſolet, domum ſuam triplici regione formaq; circūſcribunt: alterum enim in ea locum Andronem, in quo mares habitent, ædificant: alterum Gynecium nuncupatū, ubi fœminæ pariant, moliuntur: tertium granorum aceruis deſtinant: cum tamen ab Iſchomacho & Socrate rei œconomicæ peritis nihil tale didicerint. Quum autem tanquam ad pabulandum proficiſcuntur, natu grandiores ſimiliter eas, atq; exercitus duces, ducūt: ut ad ſegetes peruenerunt adoleſcentiores ſub ſtipula ſtant, duces uero aſcendūt, & ſpicas abſciſſas inferioribus deijciunt: hæ uero circumſtantes, ariſtas diſtrahunt, ſimul & ex earū uallo & uaginis grana incluſa explicant: neque ad excutiendum ullo inſtrumento egent, neq; ad uentilandum uiris, neq; uentis ad purganda à ſordibus grana, ex frumentis, quæ homines exarant, cibos ſibi conficientes, humanis laboribus fruuntur. Illud etiam auditum habeo prudenter factum, eas humatione mortuas afficere ſolere.

GYLLII ACCESSIO.

De Formicis. CAP. XXIX.

FOrmicarum domeſtica diſpenſatio & prouidentia explanari non poteſt, neq; enim ullam formicarum induſtria eminentiorē uirtutis effigiem natura finxit. In ijs ineſt amicitia, communitate iunguntur, in ijs

in ijs fortitudinis imago elucet, & laborādi ſtudium: inſuper inſunt, multa moderationis & frugalitatis ſemina, multa prudentiæ & iuſtitiæ. Cum quippiā quod eſculentum ſit ferre non queunt, derodunt & diuidunt, ut à pluribus commodius portari poſsit: Cumq́ ſemina ſitu corrumpi ſentiunt, ut reficiantur, extra cauernam eijciunt. Introitus non rectus, ſed diuerticulis, flexionibusq́ interceptus, in tres cauernas deſinit, quarum una commune ipſis domicilium eſt, altera ciborum receptaculum, in tertiā mortuas efferunt. Si earum aliquas uras, reliquas fugabis. Eas auditione accepi ſenſum diuinationis habere, cum futura eſt annonæ caritas, & fames, tum enim maxime ad recondenda frumenta, & reliqua ſemina ſuo uſui apta, operoſiores exiſtere.

De Formicarum prudentia. CAP. XXX.

SVa ſponte, prudentia, non aliena inſtitutione ualent etiam apud nos animalia, non totidem tamen quot ſunt in India: Illic enim eiuſmodi ſunt, Elephantus, Pſitacus, Sphinges, & nūcupati Satyri. Noſtrates formicæ cauernas quidem & latibula quædam effodiunt, ſub terra habitantes: at Indicæ ſingulari ſapientia præditæ domunculas commodas in excelſis locis conſtruunt, non in deuexis & planis, qui facile inundari queant. In eis ambitus, &, ut ita dicam, foſſas Aegyptias, & Creticos labyrinthos magna ſapientia effodientes, domeſticas ſedes conſtituunt: non rectas quidem, & peruias, aut in quas quippiam in-

fluere poſsit, ſed ſinuoſis foraminibus obliquas, in quarum ſuperficie foramen unum relinquunt, per quod quidem ipſum ingrediātur ipſæ, & ſemina quæ colligunt, in ſuos theſauros inferant. In excelſis quidem locis latibula machinantur, ut fluminum alluuiones effugiant.

GYLLII ACCESSIO.

De Formicis Indicis. CAP. XXXI.

ONeſicritus Formicarum Indiæ ſcribit ſe uidiſſe pelles, pantherarum ſimiles. Megaſthenes in Derdis Indis montanis ad orientem pertinentibus, dicit collem eſſe, cuius circuitus ter mille ſtadiorum ſit, ubi auri ſecturas Formicæ, uulpibus non inferiores magnitudine, excauent, & terram perfodiant, & hyberno tempore, quemadmodum talpæ, ſic ad cauernæ fauces terram exaggerēt, & ſimul aurū eijciāt, quod ipſum uicini latenter diripiant, aperte enim non poſſunt obſiſtentibus formicis, quæ non modo eos in furto præſenti deprenſos impugnant, atq; interficiunt, ſed & longiſsime in fugam impulſos inſequuntur. Verum ut eæ à longinqua inſectatione retardentur, ferarum carnes diſtractas in plurima loca ſpargunt, quas interea cum ipſæ comedunt, cum auro elabuntur.

De Formica Laërte nuncupata, & eiuſdem nominis Veſpis. CAP. XXXII.

MOrtiferum genus quoddā formicarum eſſe dicitur, quæ Laërtæ nūcupantur. Eodem nomine

Veſpas

Veſpas quaſdam appellarũt. Hæc ait Telephus Cre‑tenſis ex Myſio pergamo profectus.

De Campe uermiculo. CAP. XXXIII.

CAmpe & olera exedunt, & celeriter cõficiunt: eis mulier, ſi per media olera peruaſerit, ex mẽſibus laborans, perniciem affert.

GYLLII ACCESSIO.

De Bufonibus. CAP. XXXIIII.

SVbterraneæ beſtiæ, quas uulgò Bufones uocant, totam hyemem oculis clauſis manẽt in terram ab‑ſtruſi, ſomno ſepulti, miſeri, ſine cibo, ſine luce, neque in ſuis cauernis quicquam præter ſomnum habent: hyemali morte affecti, terra tandiu humati iacẽt, dum uernum tempus incaleſcit: tum tanquã reuiuiſcunt, & ex humatione excitati, cibum iandudum ſumere obliti, quaſi reminiſcuntur.

De Aranei textrina. CAP. XXXV.

TExtrinam & lanificia deam nomine Erganẽ inue‑niſſe fama hominum celebratum eſt: Araneus uerò ad textrinum opus ſua ſponte naturaq́; natus eſt: non enim textili artificio ſtudet, neque aliunde filum aſſumit, ſed ex ſuo uentre ſtamina deducit, ce‑leritate pedum uenabula contexit, atque in retis ſpe‑cie diffundit: tum filis quæ ad texendum de uentre ſuo detrahit, ijſdem uentrem ſuum ſtudioſiſsime alit. Mulieres autẽ quæ maxime ad nendi artificiũ digito‑rum argutijs ualent, filumq́; elaboratiſsimũ confice‑re præclare ſciunt, non cum eo ſubtilitate operis ſunt

conferendæ: huius nimirũ filũ, tenuitate pilũ uincit.

De geometria Araneorum. CAP. XXXVI.

NOn modo texendi ſolertiam Aranei prçclare tenent, ac ſimiliter ut Minerua, Erganæ, Pinyte deæ tereti manuum miniſterio & tenui ualent, ſed & natura etiam ſunt ad geometriam eruditi, nam & centrum ſeruant, & quaſi circino circunducunt, & circũſcriptionem exacte ſciunt. Neq; tamen Euclide egẽt, geometricis rationibus erudito. Ad mediũ centri ſedentes, inſidias prædæ ſuæ tendunt. Neq; modo texendi rationem norunt, uerumetiam ſarciendi artificio excellunt. Nam ſi ex eorum quippiam ſolerti opere ruperis, ſtatim à ruptura tanquam ſartum tectum, integrumq́; præſtant.

GYLLII ACCESSIO.

De Araneorum ſolertia. CAP. XXXVII.

ARanei opus cum mulierum textrina cõmunitatẽ habet, & hominibus utendi retibus ſcientiã attulit. Sed quid non ex illius opere maximã admirationẽ habet? Tela nõ ex ſtamine cõſtat, ſed tenuis membranulæ perpetuitatẽ habet: neq; glutinatur perſpicuo quopiã glutine: ſimul & eius color licet aërius ſit, ad deliteſcendum tamẽ ſuperficiem obſcurat. Iam porro quanta illius ſolertia in gubernanda machina. Primũ enim ut quippiã comprehenderit, ſtatim reticulum cõ trahit, quod ipſum niſi fieret in conſpectu noſtro, fidẽ nõ haberet, & fabula planè uideretur. Eſt etiã mihi admiratio ſumma in Araneo, quãta celeritate ſeſe huc

illuc

illuc iaculetur, uel cum telã texit, uel cum prædã com prehendere conatur, ultro, citroq́ ſurſum, deorſum ad punctum temporis commeans. Neq; modo culices muſcasq́ capit, ſed & aſilos & fucos. Quis uenator ſcientius retibus utitur? muſca laqueis irretita effugio pennarum elabi ſtudet, & fremitu reſonat, pedibusq́ reticulum conuellere conatur, ſed exitus nullus patet: nanq; araneus celeriter huc illucq́ ſeſe uerſans, eam in anguſtias compulſam, acutis pedibus urget, & occidit.

De Phalangijs Zacynthi. CAP. XXXVIII.

IN Zacyntho Phalangiorum morſu percuſsis, bene periti dicunt, non ea modo accidere, quæ alibi ictis uſu euenire ſolent: ſed eadem ipſa etiam omnia acerbiora fieri. Primum enim, ut quis morſus ſit, totum eius corpus obtorpeſcere, & debilitari: pòſt tremore affici, & frigidiſsimum eſſe, & uomitum cum conuulſione ſubſequi. Iam porro quod audientibus terrorem inijcit, & uidentibus admirationem mouet, exponã: Cum ab eorum morſu quidam integri atq; intacti balneas, quarum lauatione phalangio uulnerati fuiſſent uſi, ſubijſſent & pedes abluiſſent, omnibus doloribus, quibus torquentur morſu preſsi, exarſerunt. Phalangij genus eſſe dicũt, qui Rhox appellatur, quoniam acino nigro ſimilis ſit: naſcitur in Libya, longis pedibus præditus, os habet in media aluo, celeriter perimere poteſt.

De Mure araneo. CAP. XXXIX.

F Mus

MVs araneus ſi in orbitam inciderit, tanquã uinculis capitur, ac moritur: ei qui ab eo fit morſus remedio eſt, terra ex orbitarũ tranſitu ſumpta, eaq́ſ ſimul ut uulnus aſperſum ſit, ſtatim ſanatur.

De Scorpijs. CAP. XL.

MAres Scorpij infeſtiſsimi habentur, fœminæ multo remiſsiores: non enim tantum uirus acerbitatis habẽt. Eorum nouem eſſe genera accepi, albũ, fuluum, fumoſum, nigrũ, uiride, uentricoſum: aliud cancri ſimile, infeſtiſsimũ, hoc flammeum appellant: aliud etiam ferunt alatum eſſe, & duplici aculeo armatum: aliud quod ſeptem haberet internodia. Non oua ſcorpij, ſed fœtus animantes pariunt.

Quemadmodum Libyci Scorpij dormientibus inſidiantur. CAP. XLI.

FRaudulenti etiam natura Scorpij, & doloſi exiſtunt: etenim Libyci ab eorũ multitudine metuentes, ad uitandos ipſos omnia machinamenta moliuntur: ſoccos ferunt in lectis cum longe à pariete remotis, tum in excelſum collocatis, tum fulcrorum pedibus in hydrias aquæ plenas impoſitis, ſublimes ſomnum capiunt, qua machinationis molitione facta, ſeſe quieto, & tuto ſomno uſuros arbitrantur: atqui Scorpius ſi quid, unde ſemetipſum in tecto ſuſpẽdat, nanciſcatur, ibi fortiſsime pedibus inhæreſcit, ſimul & exerit aculeum, & deijcit: ſecundus igitur ex tecto deſcendens per primum ſerpit, atq; ſuis fragellis ad illius aculeum adhęreſcit, & ſublimem ſinit ſuum aculeum:

leum: item à ſecundo tenetur tertius, à tertio quartus: quintus ſimilem ordinem conſeruat, itemq́ꝫ cæteri omnes. Deinceps per primos decurrunt, poſtremus dormientem ferit, & per ſuperiores recurrit: Similiter ab illo ſecūdus, tum uero ab ultimo tertius, reliquiq́ꝫ ſeſe ſubducunt, quoad uelut ſanè catenam ſoluentes, inter ſe omnes ſubtraxerunt. In Cariæ Latmo dicuntur eſſe Scorpij, qui indigenas mortifera percuſſione interimant: externos uero leniter mordeant. In mari rubro duorum, & ſæpe trium cubitorum ſcorpij naſcūtur. Scorpij alati mira magnitudine in India procreantur. In Aethiopia Scorpios lacertis audio expleri, & aſpidibus, uerticillis, omniq́ꝫ ſerpentium genere: quorum excrementa conculcantes, exulcerari auditione accepi.

Quemadmodum Scorpium necat herba Thelyphonus. CAP. XLII.

THelyphonum herbam Theophraſtus narrat, ſi eam ad Scorpij dorſum admoueas, hunc ſtatim perire. Idemq́ꝫ affert, eundem ad integritatem ualetudinis reſtitui, ſi eum candida helleboro oblinas: atqꝫ equidem Thelyphonum probo, non item helleborū: quòd ſanè ita homines egregie diligam, ut acerbe & penitus ſcorpios oderim. Callimachus etiam canit in terra Trachimia arborem nomine Smilum naſci, ad quam appropinquantes, & eam contingentes ſerpentes, pereunt.

De Scorpijs qui naſcuntur inter Mediam & Suſiden. CAP. XLIII.

IN itinere ſecundi diei eorum qui à Perſicis Suſis in Mediam proficiſcũtur, quod permagna Scorpiorum multitudo naſci dicitur. Idcirco Perſarum Rex quum eò ſuſcepit iter, triduo antè omnibus imperat ut eos uenentur, & ei qui plurimos confecerit donat munera: niſi hoc fit, locus tranſiri non poteſt: nam ſubter omnem lapidem & ceſpitem abditus ſcorpius manet. Megaſthenes in India Scorpiones dicit maximos procreari, & ſimiliter aculeis atque Europeos pungere. Pammenes in eo opere quod de uenenatis ſcripſit, alatos tradit ſcorpiones in Aegypto naſci duplici aculeo armatos, & id quidem ipſum ait ſe auditione accepiſſe, ſed ex ſeſe hanc hiſtoriam profiteri.

FINIS LIBRI VIII.

LIBER NONVS
DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

De gula Serpentum. CAP. I.

CVM uoraciſsimæ Serpentes ſint, & longam & tenuem habeãt gulam, ſeſe humo excitant, ſeq́; celſas & erectas conſtituunt, extrema cauda nitentes, ut in aluum procliuior delabatur cibus: pedibus carent, ſerpunt uelociſsime, earũ quædam ſimiliter atque iacula ſemetipſas iaculantur, ex eoq́; quod agunt nomen trahunt, nam Iaculi nominantur.

Quemadmodum oculorum hebetudinem ſanat Serpens. CAP. II.

INeunte uere, cum ſenectutem ſerpens exuerit, tum etiam uiſus hebetudinem, tanquam oculorum ſenectutem, abijcit: quo ex morbo, admotis ad marathrum oculis, liberatur: nam ex eius hyberna in latibulis obſcuris manſione, oculos hebetes & præſtrictos frigoribus calefaciens marathrum purgat, atq; acres & acutos efficit. Hæc etiam uĩs & natura ad ſerpentium nationem pertinet, cor quidem ut in gutture habeant, fel autem ad inteſtina, teſticulos ad caudam poſsideant: longula ſanè oua & mollia pariãt, in dentibus uenenum gerant. Tum ſerpenti, cum

exuta ſenectute rurſus noua pelle exultat, neue occurreris: neue item in eam incideris, cum ex latebris cerui anhelitu extracta, ſe in fugam impellit.

De Serpentis ortu. CAP. III.

HOminis mortui ſpinæ medullam putreſcentem in ſerpentem conuerti aiunt, exoririq́ꝫ feram, & ſerpere animantem immaniſsimum ex manſuetiſsimo. Atque bonorum honeſtorumq́ꝫ hominum reliquias requieſcentes non modò quietem pro pręmio, ſed etiam eorum animas bona, quæ toties atteſtata ſunt, à ſapientibus habere. Malorum uero hominum ſpinas poſt è uita exceſſum talia monſtra parere. At id aut eſt totum fabuloſum, aut ſi adhibenda ei fides ſit, præmium meo iudicio dignum ſuis moribus malus retulerit, qui ſerpentis pater efficitur mortuus.

De Serpentibus Indiæ. CAP. IIII.

MVltas & diuerſas terra India ſerpentes profert, quæ non ſolum hominibus, uerum etiam alijs animantibus pernicioſè incommodant: eademq́ꝫ herbas, defendentes à uenenatorum morſuum pernicie, gignit: ad quarum uſum & ſcientiam tantopere periti ſunt indigenæ, ut quodnam medicamẽtum cuiq́ꝫ ſerpentium aduerſetur, probe teneant: ſimul & ne acerrima ueneni uis celerrime per corpus manet, néue id ipſum conficiat, præſens ſibi mutuò ferunt auxilium, quod neceſſarium regio ipſa abunde ſubminiſtrat. Iam porrò ſerpentem quæ hominem interfecerit, Indi (permultis in hanc rem teſtibus Libycis

& Aegy

& Aegyptijs Thebarum incolis utentes) dicũt, idcirco ſubterraneam latebram (quia terra ſuis ipſa ſedibus eam non amplius recipiat, atque quaſi gremio ſuo in exilium eijciat) ingredi nequire: Sed poſtea errare, uagari, & pluribus iactatam miſerijs, æſtiuo & hyberno ſub dio ærumnoſum omne ætatis tempus degere: neque amplius à coniugibus adiri, neque ab ijs quos ex ſe procreauerit, parentem agnoſci. Ergo pœnas, diuina prouidẽtia uindice, etiam rationis expertia, ob cedes hominum factas, dependunt. Quod quidem ipſum à me commemoratur, uir prudens ut ex earum ſupplicio documentum, ne ipſe humanam occiſionem efficiat, capere poſsit.

De Serpente Theſsalo, qui Aleuam paſtorem Theſsalum amauit. CAP. V.

EGemon in Dardanicis uerſibus cũ alia de Aleua Theſſalo conſcribit, tum in eius amorem inuſitata magnitudine ſerpentem cum ad Theſſalicum fontẽ, nomine Hæmonium, boues paſceret, ueniſſe, ſenſimq; adrepere ad adamatum ſolitum fuiſſe, & comam, quam ille auream haberet, oſculatione proſecutum fuiſſe, & faciem linxiſſe: etenim ſi Glaucæ citharœdæ, quã Ptolomæus etiam amaret, amore aries inceſus fuerit, & in Iaſſo urbe puerum delphinus amauerit, quid uetat ſerpentem amore in forma præſtantem paſtorem flagraſſe, & cum oculos acres atq; acutos haberet, bonum eximiæ pulchritudinis iudicem fuiſſe. E natura igitur beſtiarum eſt, nõ modò ſui ge-

neris,ſed etiã alieni animalia,modò formoſa,amare.

De Serpentibus Euphratem accolentibus. CAP. VI.

EVphrates,qui inter Parthos, & Syros intermedius fluit, quàm longe cæteris fluminibus præſtet,aliàs dicam: Iam nunc de eo ipſo, quod Parthi, & Syri non ignorant,quodq; ab hoc inſtituto ſermone non abhorret, ponam. Ad primos ortus huius fluminis quædam ſerpentes naſcuntur hominibus externis,non item indigenis,inimiciſsimæ,atque uſq; eo infeſtæ,ut eos morte mulctent. Trogloditarum genus hominum, quod ex habitandi & uiuendi ratione nomen duxit, ſerpentibus idcirco formidabile eſt, quòd eas huiuſmodi hominum natio exeſt, ac conficit. Teterrimum odorem ſerpentes inter ſe miſtæ emittunt.

Quemadmodum Serpentes Agnos & Nepeta perſequitur. CAP. VII.

PErmultam ſerpentium fugam Nepeta & Agnos faciunt & longe lateq; expellunt,in Atheniẽſium Theſmophoris Atticæ mulieres Agni folijs cubilia ſubſternunt,quòd ſerpentibus ſit infeſta,& quòd exiſtimetur ab appetitione ueneris prohibere, unde nomen traxiſſe uidetur. Herba etiam Libanotis nuncupata ſerpentibus formidabilis eſt.

De Serpentibus bicipitibus. CAP. VIII.

BIcipites ſerpentes,binis pedibus ad caudam præditas eſſe in flumine nomine Arcade, quod ad Perſicam

Perſicam Pſitacen eſt, Cteſias inquit: eaſdemq́ꝫ capite albas, reliquo corpore nigras: quatuor cubitorum magnitudinem habere, & quos percuſſerint interimere. Interdiu eas haudquaquam natare ſolere, ſed noctu uel aquantibus, uel linthea lauantibus perniciem inferre. Aegyptios ſua propria quadam magica ratione, accepi cum de cœlo aues deducere, tum ſerpentes primum præſtringere, deinde ex latibulis facilime extrahere.

De magnitudine Serpentium. CAP. IX.

IN nauigatione maris rubri Alexander dicit ſe ſerpentes uidiſſe longitudine quadraginta cubitorũ, & craſsitudine pro recta lõgitudinis portione. Clitarchus item, in India ſerpentem ſexdecim cubitorũ gigni, atque etiam aliud ſerpentium genus non ſpeciem ſimilitudinemq́ꝫ aliorum gerere, ſed magnitudine multo inferiores eſſe, & tanquàm pigmentis diſtinctos, ſic uerſicolores ſpectari: uittas enim à capite ad caudam pertinentes habere, alias æreas, alias argenteas, nonnullas rubras, alias aureas, eaſdemq́ꝫ peſtifero morſu celerrime interimere poſſe. Aethiopia dracones ad longitudinem triginta paſſuum progredientes generat, & nomen proprium non habent, ſed duntaxat elephantorum interfectores ipſos nominant, & proueniunt ad ſummam ſenectutem. In Phrygia autem dracones ad magnitudinem quadragenûm pedum procedentes naſci ferunt, qui quoti-

G die

die media æſtate hora cum forum hominum conuentu plenum eſſe ſolet, & iam prandendum eſt, ex cauernis procedere, & ad nuncupatum in ponto amnem Rhyndacum cauda ad terram adniti, reliquo erecto corpore toto gutture eminente, & paulatim laxato ore hiante, uolucres ſuperuolantes, tametſi ſublime & perniciter ferantur, ſua aſpiratione tanquam amatorio quodam ad ſe attrahere, ac allicere: eas autem ex horum ſpiritus ductibus detractas in illorum uentrem decidere, atque illabi: & hæc quidem ſibi maxime propria ad occidentem ſolem agere, ac ſeipſos poſtea occultantes, gregibus ex paſtione ad ſtabula redeuntibus inſidiari, multamq́ perniciem inferre, atque inde prandium ſibi abunde comparare.

GYLLII ACCESSIO.

De magnitudine Serpentium. CAP. X.

SEcundus Ptolemæus, cum uim & naturam animalium, quæ ſuo conſpectu & robore mouerent hominum admirationem, ſtuderet cognoſcere, propoſitis præmijs, ad eorum inquiſitionem nõ paucos excitauit: quod ipſum in cauſa fuit, cur de uario & multiplici genere animalium, antea ignotorũ, Græci notionem habuerint. Nam non modò elephantos, atq; alias feras, quarum aſpectus magnam admirationem faceret, uenatores in conſpectum regi dederunt,

runt, uerum etiam regia munerum magnificentia in-
citati, communiter conſtituerunt uiuam quampiam
ingentem ſerpentem Alexandriam ad Ptolemæum
in conſpectum adducere: quorum conſilium etſi mul
tis difficultatibus affici uidebatur, tamen bene atque
feliciter euenit: ſerpens enim longitudine triginta cu-
bitorum ſecundum aquam ſtabulabatur, quæ cum
aliàs in orbem complicata & humi ſtrata iaceret im-
mobilis, in alías tamen animantes ad aquam uenien-
tes repentino impetu inuadebat, atque ore ad cædem
imminente nonnullas comprehendebat, alías cauda
circumplicatas exſorbebat. Cum autem eam longin-
quam uenatores ſpectaſſent, & laqueis, & catenis ca-
pi poſſe arbitrati eſſent: primum firmo animo, & ma-
gna confidentia perrexerunt ad eam ire, deinde cum
ad ipſam appropinquantes inſpexerunt, igneum ocu
lorum fulgorem, ſquammarũ aſperitatem, ſtrepitum
quem faciebat dum mouebatur ingentem, dentes ex
ore eminentes, horridum & trucem aſpectum, exal-
buerũt timore, ſimul & timide & pedetentim in illius
caudam iniecerunt uincula, ad quorum contactum
fera beſtia magnis editis ſibilis ſeſe retorquens, eum
qui ſibi propinquior eſſet unum deuorauit, alium fu
gientem, & iam longinquum cauda exceptum, inter-
fecit: cæteri metu perculſi, fuga ſalutem adepti ſunt.
Veruntamen haud quaquam omiſerunt inire no-
uam aliam huiuſcemodi beſtiæ capiendæ rationem:
quòd ſanè commodi ſpes, quæ ex illius compre-

henſione oſtendebatur, metum uinceret. Cum itaque non ui, ſed doloſa machinatione eam attentandam cenſuiſſent: Primo robuſtis funibus rete beluæ capax confecerunt, pòſt uero obſeruato ſerpentis cubili, atque egreſſu, regreſſuq́ʒ notato, ſimul & capto tempore, cum ſoleret exire, ut permulta animalium cæde facta ſeſe expleret, cauernæ aditum terra & lapidibus exaggeratis obſtruxerunt: Deinde beſtiæ à faciendis rapinis reuertẽti iaculatores & funditores, tum equitum magnus numerus, tum tubicines, ut cla more tubarum ea obſtreperetur, omnes ſeſe quidem oſtenderũt, ſed certe aliorum exemplo ad cauendum periti, nulli accedere propius auſi fuerũt. Vbi uero ſe hac tanta multitudine circunfuſam uidit, excelſo capite, & horribili ſibilo ingentem terrorem minitabatur: at enim & coniectione telorum eminus, & equorum conſpectu, & latrantium canum multitudine, tum tubarũ ſono perterrita, ad ſoliti latibuli aditum ſeſe impulit: quem poſteaquam obſtructum inuenit, non tantopere ſæua extitit, imò uero conſilĳ inops, armorum equorumq́ʒ ſtrepitu, & tubarum ſono obſtupefacta, in rete incidit: ac ubi ſe irretitam ſenſit, non modò horribilẽ ſibilum edebat, ſed etiã dentibus rete lacerabat. Verum cũ eius robur multa uerberatione fregiſſent, & dentes cõtriuiſſent, iam ad reſiſtendũ remolleſcentem, & illaqueatã, Alexãdriã ad regem adduxerũt. Hæc enim paulatim ſubducto cibo ita de ui ribus remiſerat, ut ex immani feritate ad mãſuetudinẽ

traducta

traducta, ſingulari admiratione ſpectatores afficeret. Ptolemæus uenatoribus perſoluto præmio, & dimẽſo alens cibo ſerpentem, externis ad ſe uenientibus, mirificum ſpectaculum præbebat. Neque hoc certe à ueritate remotum iudicabit, qui memoria noſtra in nouo orbe terræ, Senegæ nuncupatæ, ea uaſtitate ſerpentes uiderit, ſolidas ut capras nulla earum laceratione deuorent. In Hiſpana itẽ inſula inuſitata magnitudine excellunt, ſed tantopere innocentes, ut omnino haud noceant quicquam. In Ecuba uſus ſerpentum ſuauiſsimus exiſtimatur, ijs ut ſoli reges ueſcantur. Ad Calechutum in tantam amplitudinem procedunt, ut maximorum ſuum ſimiles efficiantur, excepto capite, quod uaſtius exiſtit, ac nimirũ quòd earum uſus omnibus interdictus ſit, ideo earundem tanta eſt uis. Errore enim implicatus Calechuti rex, adeo acri interdictione eas tuetur, ut eum qui ſerpentem confecerit, non minus acerba, quàm ſi hominem interfeciſſet, morte mulctetur. Simul & curat mapalia ad ipſarum tuitionem contra pluuias aquas ædificari. Cauſam autem cur eas tanti æſtimet, afferunt, quòd ipſas de cœlo delapſas, diuina eſſe numina arbitretur: quod quidem ipſum ex uulnere quod infligunt colligit, nam eo ſolo ſubitam mortem inferunt.

In Macra loco ſic nuncupato Poſſidonius ſcribit, mortuam ſpectatam fuiſſe ſerpentem iugeri longitudine, tanta craſsitudine, ut ex utraq; parte aſtantes equites inter ſe intueri non poſſent, tamq; largo rictu

imminuiſſe, inſidentem ut equo hominem exhauri-ret, ac ſingulas ſquammas clypeo maiores fuiſſe.

Ex Paulo Veneto accepi in regione, quā Caraiam ipſe uocat, quam ſe pedibus obiuiſſe teſtatur, ſerpentes longitudine decem paſſuum, & craſsitudine decem pedum naſci, prioribus pedibus quidem carentes, ſed corū loco ungues habere leonis ſimiles, tum grandi capite, tum oculis quoquouerſus pedē unum amplis tamq́; oris rictu largo imminere, ut hominem deuorent: Nullumq́; eſſe neq; hominem, neq; aliud animal, quod non eas horreat intueri. Ad hanc rationem capiuntur: interdiu intra ſubterraneas cauernas abduntur, noctu uero longè lateq́; uagantes, cibum inquirunt: nullam animalium nationem extimeſcūt, imo leones & urſos exedunt, & conficiunt: poſtea uero quàm ſeſe cibo expleuerunt, ad domeſticam latebrarum ſedem redeunt. Cum gradiuntur, tam alte ueſtigia imprimunt, ut ſui corporis pondere in ea terra ſabuloſa mirabilem foueam efficiant, ut dolium quodpiam uini plenum circum ſabulum uerſatum dicas. Iam uero uenatores huiuſmodi feris inſidias molientes, permultos, & robuſtos palos ex ſupremo capite acuto ferro munitos in ſabulo uicino cauernæ ubi latitare ſolēt, interdiu defigunt, eoſdemq́; ſabulo obruunt, ne ex ijs quæpiam uideri poſsint. Cum autem, ut ſolet, noctu ad cibi inquiſitionem prodiens, magna ſui corporis mole ad arenam adrepit, ſæpe latenti ferro transfixa, perit, aut graui accepto uulnere,

ſauciam

ſauciam uenatores, qui in inſidijs collocati ſunt, impetu facto interimunt.

De Dracone puellæ amatore apud Idumæos.
CAP. XI.

APud Idumæos, ſeu Iudæos, cum Herodes rerũ potiretur, eximia magnitudine Draconi perpulchram admodum adoleſcentem fœminam in amore fuiſſe indigenæ prædicant, ad quam ille quidem uentitaret, & ſimul cum ea amanter dormiret. Hæc uero etiam ſi amator quoad poterat leniter & manſuetè ad ipſam adreperet, eius tamen metu perterrita, & ſeſe ſubduxit, ut ex amicæ abſentia eum amoris obliuio caperet, menſtruum ſpatium abfuit: at ei ſanè quàm abſentis deſiderium augebatur, indiesq; amatorius affectus eatenus ingraueſcebat, ut noctes & dies ad eum locũ, ubi cum adoleſcentula uerſari ſolitus erat, frequens accederet. Cum uero eam quam amabat nõ inueniret, tanquàm amator, cui amor optatis non reſpondet, acerrimo dolore afflictabatur. Poſtea autem quàm puella reuertiſſet, ab eo confeſtim eſt abdita: atque is ualde amatorie, plenus ſuſpicionum, tanquã ſpretus, ob eamq; rem amantiſsima ira incitatus, reliquum per aduleſcentis corpus circumplicas eius crura parcè & molliter uerberabat. Non ergo expertia rationis animalia optimus ac maximus negligit: ſed ex his & alijs quemadmodum & erga ea affectus ſit, & ſingula curet, oſtenditur.

GYLLII ACCESSIO.

De Dracone Aetolidis amatore. CAP. XII.

DRaco Aetolidis amator, ſicut Plutarchus ſcribit, ad eam noctu uentitabat, neque tamen ad puellæ corpus ſubiens, quicquam nocebat: ſed prima luce ſenſim, atque moderate diſcedebat: quod ipſum cum diu multumq́ꝫ feciſſet, eam genere proximi longè ſummouerunt: quam cum draco non inueniſſet, huc & illuc errare ad huius inquiſitionem cœpit: tandem eam nactus, non leniter, ut ante ſolebat, ſed aſperè cum ſpiris illius manus alligabat, tum extrema cauda ſic tibias multa uerberatione uexabat, ut leuem quandam & plenam amoris iram exercere uideretur.

De Dracone & eius adamato puero.
CAP. XIII.

CVm paruulus draco, Arcadiæ indigena, ſimul cum puero infante, natione etiam Arcade, educaretur: & puer ætatis progreſſu iam adoleſcens eſſet, & Draco etiam permagnus euaſiſſet, & mutuo inter ſe amore flagrarent: Proximi aduleſcentulo cognatione illius magnitudinem perhorrentes, nam is aſpectu horribilis, perpauculis diebus ad corporis magnitudinem inuſitatas progreſsiones effecerat, illum unà cum puero in eodem lecto dormientem, quàm longiſsime gentium exportant: Puer autem reuertit: ille ſyluam ibi nactus, in ea remanſit. Temporis interuallo hic ad integram ætatem & perfectam proceſsit, ille Draconis amans & amatus etiam, ad confirmatam

progreſſus

progreſſus, cum per deſertam ſui amantis regionem aliquando iter faceret, in latrones incurrens, ſtrictis gladijs appetitus fuit, & percuſſus quidem, ſiue quòd doleret, ſiue quia opem imploraret, auxilium, ut par erat, exclamauit. Draco autem beſtia, & ad audiendum acerrima, & ad uidendum acutiſsima, poſtquã puerũ, quo cum amoris conſuetudinẽ habuerat, exaudiuit, edito ſibilo, tanquàm iræ ſuæ denunciatione formidinũ terrorem illis iniecit: cuius metu trepidantes ſcelerati, alij aliò diſperguntur: quoſdam deprehenſos acerbiſsima morte affecit, atq; ut eum comitatus fuiſſet, poſtea ad eum locum reuertit, quo expoſitus fuerat: neq; tamẽ ei ex eo iratior factus eſt, quòd in ſolitudines abiectus fuiſſet, neq; ut peruerſi homines antiquum amicum in periculo deſeruit.

Quemadmodum Dracones gratiam referre nouerunt. CAP. XIIII.

LYcaoni Emathyæ regi, nomine Macedo, filius fuit, ex quo poſtea, antiquo nomine obſoleto, nominata regio eſt: ex hoc quoque Pindus, id enim ei nomen erat, filius procreatus, cum robore animi atq; uirtutis indole præditus fuit, tum forma etiam excellens: ex illo etiam alij liberi nati improbo animo affecti, & corpore minus ſtrenui. Cum Pindo & uirtutem & cæteras illius dotes inuiderent, non modo eum oppreſſerunt, uerumetiam pœnas tanti maleficij pendentes, ſeipſos funditus perdiderunt. Pindus

ſentiens ſe fratrum inuidia ardere, atq; ab ijs inſidias ſibi comparari: regno, quod à patre acceperat, relicto, cum robuſtus eſſet, & ad uenandi ſtudium propenſus, non ſolum quidem uertit, ſed certe illic ibidẽ æuum in uenando agitans, cum ſemel hinnulos inſequeretur, & ſumma uirium contentione equum incitaſſet, ab eis qui ſecum uenabantur, ſe longiſsime abduxit: hinnuli uero altiſsimam cauernam ſubeuntes, ex inſectantis conſpectu ſe eripuerunt, atq; ex periculo ſe ſeruarunt: is ex equo deſiliens, cum hunc ad proximam arborem alligaſſet, cumq; ut diligentiſsime potuit, latebram illam manibus perſcrutans, hinnulos exquireret, ſibi denunciantem uocem exaudiuit, ne hinnulos tangeret: quare ubi diu multumq; circumſpexiſſet, nec quicquam uideret, uocem ut ex maiore quadam cauſa redditam extimuit, & ſimul in equum aſcendens, ex eo loco diſceſsit. Poſtero autem die ad eundem locum reuertit: non eò tamen, quo illi ſe abdidiſſent, ingreditur, uocis memoria, quam auribus acceperat, deterritus. Cum igitur dubitaret quiſnam pridie ſe ab inſectãda præda auertiſſet, ac, ut par erat, circumſpectaret montanos paſtores, aut uenatores: interea ei inuſitata magnitudine draco apparet, ex magna parte corporis adrepẽs, collumq; & caput paululum attollens, & ad ſe uelut intendens. Collum autẽ cum capite erat ea proceritate, ut uel cum proceriſsimo homine exæquari potuiſſet. Verũ ut eius conſpectus Pindum exterruerit, certe non in fugã impulit: at

lit:at enim is ſeſe ex maximo terrore colligens,ſapien ter beſtiā mitigauit: nam ex auibus quas immolaret, ei cibum edendum obijcit,& tanquā hoſpitalem men ſam & redemptionis ſuæ præmium appoſuit. Is ſanè uelut donis delinitus,& captionibus,ut ita dicā,præ- ſtrictus,ex eo loco exceſsit: quod quidē ipſum ita iu- cundū Pindo fuit,ut ea quæ uel ex uenationibus mō tanis,uel ex aucupio capere poſſet, ut draconi nō in- gratus adeptæ ſalutis mercedem afferret. Neq; tamen ſine fructu has ei donationes ex præda conſtituit, nā fortuna ei proſpere ire cœpit, omnium enim quæ ue- naretur,ſecunda uenatione fungebatur, ſiue terrena, ſiue uolucria perſequeret: quare gloria magna apud omnes erat, quòd contra feras congrederetur, & eas expedite caperet: iam uero ea erat proceritate, ut cor- poris mole perterrefaceret: tum uero firma corporis conſtitutione,tum pulcherrimo oris habitu,fœminas ad ſe amandū ut uehemēter inflammaret,& ſanè cœ- libes omnes quaſi furentes atq; bacchātes ad eius ue- nationes proficiſcerentur, & nuptijs alligatæ à mari- torum cuſtodijs aſſeruatę, mallent cum illo concum- bere,quàm in numerū dearū referri: pleriq; hominū eum,quod ipſius uirtus & forma ſuam omniū admi- rationē excitaret,diligebant: ſoli fratres infenſo atque inimico animo in illum erant. Quamobrē eum ipſum aliquando ſolum uenantē ex inſidijs aggrediuntur, atq; in propinqui fluminis anguſtias compulſum,au xilioq; deſtitutum, ſtrictis gladijs appetūt, atq; adeo

& ſummo afflatu edito, omnes exterruit, & perturbauit. Septuaginta cubita longus eſſe exiſtimabatur: nõ eis totus apparuit, ſed illius ſolum caput ex antro eminuit: eius oculi ad magni clypei Macedonici magnitudinem acceſsiſſe dicuntur.

De diuerſorum locorum Draconibus & Aſpidibus. CAP. XVI.

ONeſicritus Aſtypaleus duos in India ſcribit dracones fuiſſe, alterum ſex & quadraginta, alterum octaginta cubitorum, eoſdemq́; Alexandrum ardenter uidere expetiuiſſe. Regnante Philadelpho, duos item ex Aethiopia Dracones in Alexandriam deportatos fuiſſe, apud Aegyptios peruagatum eſt, alterum magnitudine quatuordecim, alterum tredecim cubitorum. Euergetis regis temporibus tres etiã fuiſſe, unum nouem, alterum ſeptem cubitorum, tertium magna cura in Eſculapÿ templo nutritum fuiſſe: atque etiam Aſpides quatuor cubitorum Aegyptÿ apparuiſſe afferunt. Iam qui de Chiorũ rebus hiſtoriam conſcripſerunt, ad quandam Pellæi montis uallem, proceris arboribus frequentem atque opacam, maxima magnitudine Draconem inquiunt procreatum fuiſſe, cuius ſibilum Chÿ uehementer perhorreſcerent, cuius magnitudinem nulli neque agricolæ, neque paſtores accedendo propius conſiderare auderent, ſed ex ſolo ſibilo ingentem quandam & formidoloſam feram beſtiam eſſe ſuſpicarentur, eius tamen magnitudinem tandem mirabili quadam ma-

chinatione atque ſolertia cognitam fuiſſe: uento nimirum uehementiſsimo uallis arbores concuſſas, & uiolenter colliſos ramos ignem concepiſſe, & ſimul inde ingens incendium excitatum, locum omnem cõprehendiſſe, & feram circũdediſſe, atq; interceptam, cum elabi non poſſet, ardore flammæ conflagraſſe, Itaque nudato loco omnia conſpicua facta fuiſſe: & uero Chios metu liberatos cum ſpectatum ueniſſent, inuſitata magnitudine oſſa, & immane caput offendiſſe ut ex ijs quantus uiuus ille fuiſſet, conijci poſset.

Cum poma Dracones comeſuri ſunt, ſylueſtris lactucæ ſuccum idcirco exſorbẽt, quòd hæc illis ne inflatione impleant, magnum adiumentũ affert. Cum homini aut feræ cuipiam inſidias facturi ſunt, mortiferas radices edunt.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XVII.

DRaco cum colore nigro eſt, tum uentre ſubuiridi, tum eximia formæ pulchritudine, tum dentium triplici ſerie armatur: Pinguis caro eminens ex inferiori mento barbæ ſpeciem præbet: ad infligendum uulnus, etſi ualde iraſcitur, parum efficax exiſtit, neque ideo ut aliæ ſerpentes, eius plaga doloris ſenſum habet, quòd exigua eſt & ſimilis ei, quam facit mus: atqui ut infeſto animo contra eum aquila cum alijs de cauſis pugnat, ſic Draco ex fruticibus prodiens, facile aut ouem aut leporẽ eximit ex unguis aquilæ. Nam is interea cum aquila pugnat, lepus ſeſe in fugam dat, ueruntamen fruſtra Draco obtutum

tum oculorum in aquilam retorquens, eam perſequitur, quòd in ſublime elatam attingere non poſsit.

De Baſiliſco. CAP. XVIII.

EX Aſpidis quidem uulnere longo tempore quiſpiam ſanus fieri poſsit, uel exſectionem membri, uel exuſtionem ignis fortiter patiendo, uel accommodatis medicamentis malum ſiſtendo, ne ſerpat longius: Baſiliſcus uero etſi magnitudine palmi ſit, tamen uel ſerpentum maxima illius aſpectu non longo interuallo, ſed quam ſtatim exſpirationis appulſu exſiccatur. Et ſi baculum quem quiſpiam teneat momorderit, baculi dominus necatur.

De ſibilo Baſiliſci. CAP. XIX.

IN Africa mulos uel cæſos, uel ſiti animo deficientes, Archelaus ait, pleroſq; mortuos humi iacere proiectos, ſæpeq́; magnam ſerpentium uim influere ad eorum cadauera depaſcenda, easq́; Baſiliſci exaudito ſibilo, ſe ſtatim in cauernas, infráue harenas abdere: illum uerò eò profectum, in tranquilla permultæ pacis libertate prandere. Poſtea uero quàm pranſus ſit, ſibilo repetito, latitantibus ſerpentibus ſignificare, ſe iam pranſum ex cadaueribus abire.

De Aſpide. CAP. XX.

ASpides in diadematibus pictas Aegyptiorum reges gerunt, ex eius beſtiæ forma regni firmitatem adumbratæ ſignificantes: earum quædam ad longitudinem quinq; cubitorum accedunt: nonnullæ rutilo, plurimæ nigro, cinereóue colore perſpiciũtur.

Amplius quatuor horas quos momorderint, uiuere non queunt: eos conuulſio, & uiſus obſcuratio conſequitur. Ichneumo autem Aſpidis oua diſperdit, & tanquam catulis ſuis futuram hoſtilē perniciem ſummouet. Libycam aſpidem ſua aſpiratione oculorum uſum aduerſus ſe reſpicientes eripere: alias non excecare quidem, ſed tamen celeriter interficere.

Qualia ſunt Aſpidis morſus ueſtigia. CAP. XXI.

MOrſuum ueſtigia tam perparū apparentia aſpis imprimit, ut indicia uix acri oculorum acie deprehendantur. Cur uero ſint tam obſcura, ignotaq́ꝫ, cauſam hanc eſſe audio: Ipſius uenenum ad trāſmittendum peracutum, mirabiliq́ꝫ celeritate ad intima tranſitionem faciens. Cum enim hæc ipſa morſum effecit, uenenum non eminet & apparet, ſed ſub cutem ſubiens, intra meatus bene penitus ſubeſt, atqꝫ ſic ad intima delabitur, ut nihil extet atqꝫ emineat. Quare ab Octauianis Cleopatræ mors non facile oculis comprehenſa eſt, niſi tandem ſero admodū ex duobus punctis difficilibus ad uidendum animaduerſis, mortis obſcura ſignificatio deprehenſa eſt. Cum tamen ſecus Aſpidis morſus ueſtigia manifeſto appareant his qui hiſtoriam horum animalium tenent.

De morſu Aſpidis. CAP. XXII.

VIperæ, & aliarum ſerpentium morſus non carēt remedio, ex hisq́ꝫ fieri potiones atque unguenta percipio, cantionesq́ꝫ quorundam illitum uenenum mitigauerunt: ſolū aſpidis morſum non curari poſſe, eſſeq́ꝫ

eſſeq́ꝫ omni medicina robuſtiorem. Dignum hoc animal odio ob redundantiam mali: at fera ſceleſtior, & quæ minus uitari poſsit, fœmina uenefica, qualem fuiſſe Medeam, & Circen audimus: nam aſpidum uenena & morſus opera ſunt; illarum autem uenena uel ſolo tactu necare feruntur. Cum Pompeius Ruſus Romæ ædilitium munus obiret quinquatrijs, ut ſolet in Romano foro fieri, circulator alijs permultis, qui eandem quã is ipſe artem factitarent, circumſtantibus, ad ſuam ipſius oſtentandam ſapientiam, ſimulq́ꝫ ex artificio ſuo ſpecimen dandum, aſpidem ad brachium admouit, & ex impreſſo morſu malum exſugit. Cum poſtea non aquam quam ſibi præparauerat exorbuiſſet, quòd ea eſſet ſubducta, ex inſidijs nimirum uas fuerat euerſum, ueneno non exhauſto atq́ꝫ eiecto, ſecundo pòſt die ſine doloris ſenſu cum ſenſim & pedetentim pernicie ueneni illapſa, eius os cæteraq́ꝫ membra extabuiſſent, uita priuatus eſt.

De morſu Aſpidis. CAP. XXIII.

Aſpidis morſum Cleopatra leniſsimum eſſe periclitatione percepit. Cum enim, aduentante Auguſto, quænam ſine acerbo doloris ſenſu mors eſſet in conuiuio de circumſtantibus exquireret, eam quæ gladio inferretur, doloribus refertam eſſe, ex ijs qui aliquod uulnus accepiſſent, reperiebat: acerbam autem ex uenenis, & laborioſam: conuulſionem enim facere, & ſtomacho, & cordi dolorem inurere. Eam uero quæ aſpidis ictu afferretur, plenam lenitudinis

eſſe,ut uel ſolo tactu interdum interimat.

De Aſpidibus prope Nilum habitantibus.
CAP. XXIIII.

IN utraq; Nili ripa aſpides latibulis ſe tegunt, & tanquam ædes ſuas homines, ſic hoc flumen omni alio tempore iucundè & ſuauiter accolunt. Cum autem in agros Nilus redundat, tum enim triginta circiter antè diebus, longius ab eo fluuio in loca eminentiora unà cum fœtibus ſuis demigrãt: quod quidem munus à natura acceperunt, tanti ut fluminis, tamq; operoſi quotannis acceſsionem & deceſsionẽ non modo non ignorent,ſed ab eius etiam damno cauere ſciant: atq; etiam teſtudines, & cancri, & crocodili in ea loca Nilo inacceſſa id temporis oua transferant,unde ij qui oua eorum offendunt,quãdo Nilus ſit agros irrigaturus, facile colligunt.

De Aſpidis amore. CAP. XXV.

QVod Aegyptij de aſpide dicunt, id libenter ſapientiæ ſtudioſi audiunt. In quadam Aegyptiorum paſtione, nomen ab Hercule trahente, formoſum puerum anſerum cuſtodem, ab aſpide tam mirifice adamatum fuiſſe, ut is cum obdormiſſet, è ſomno ad declinandas inſidias, quas aſpidis coniux riualitate commotus ei moliretur,ab ea excitatus fuerit,& ſibi cauerit.

De Aſpide quam Aegyptij Thermotin nominant. CAP. XXVI.

Thermotin

THermotin Aegyptij aſpidem appellantes, & ſacram eſſe aiunt, & ſumma religione colunt: Itaq; ea Iſidis ſimulachra tanquam regio quodam diademate coronãt. Eandem etiam ferunt non in perniciem proborum hominum natam eſſe, enimuero comminiſcuntur eam ſe ab ijs abſtinere. Contrà autem improbis necem afferre: ijdemq́; inquiũt ſexdecim ætates uiuere, atq; in ſacris ædibus ad unumquenq; angulum ſubterranea ſacella exædificant, ubi ſanè aſpidi habitanti bubulum adipem edendum interuallis quibuſdam obijciunt.

Quemadmodum Aſpides ab Aegyptijs manſuefiunt. CAP. XXVII.

PHilarchus libro duodecimo in uulgus edidit, aſpides ab Aegyptijs uehementer coli, eaſdemq́; ex eo cultu manſueſcere, ciboq́; cicures fieri: neq; ſimul cum pueris infantibus uiuẽtes, eis quippiã nocere, & uero appellatas ex caucis prodire, atq; ad appellantẽ accedere: digitorum autem crepitu uocantur. Aegyptij in aſpidum nationem hoſpitaliſsimi: Primum ut pranſi ſunt, ſtatim temperatas uino & melle farinas in menſam, in qua pranſi ſunt, exponunt: poſtea plauſu dato, eas tanquàm conuiuas ad prandium uocant: Illæ uero uelut ad condictam cœnam inuitatæ, aliæ aliunde erumpentes, accedunt, & menſam circumſtant, ac reliqua omni ſpira in ſolo terræ relicta, caput alleuantes circumlãbunt, ſenſimq́; atq; moderate explentur. Cum autem Aegyptij de nocte ha-

bent neceſſe ſurgere, ne ipſas in tenebris conculcent, iterum percuſsione digitorum utuntur, eis ut de uia decedant, ſignum dantes: Illæ ſanè ſonitus diſcrimen intelligentes, confeſtim in latibula abſtruduntur: itaque is qui de lecto ſurgit, poſtea in nullas ipſarum incurrit.

GYLLII ACCESSIO.

De Aſpide. CAP. XXVIII.

ASpis omnium uenenatorum peſtilentiſsima, aridis ſquammis rubet, ſimul & omnino formidoloſa & horribilis eſt, tardis tractibus ſerpit, ſomniculoſis oculis aſsidue innuit, ac nimirũ primum ut uel ſtrepitum uel uocem auribus percepit, ſegnicie ac ſomno excuſſo, in orbem contrahitur, atque ex medijs ſpiris terribile caput alleuat: ex eius fronte geminę caruncul&ae callo ſimiles eminent: oculis eſt ualde rubentibus, ceruix ſquallet & tumet, cum ſibilum edit, aut in obuios uiatores acerbam aſpirationem anhelat, ex tunica quæ quatuor maxillæ dentes contegit, uirus euomit.

De Vipera.

περὶ ἔχεως καὶ ἐχίδνης. CAP. XXIX.

Ἔχιν ἀπὸ τῆς ἐχίδνης genere, non natura nonnulli differre aiunt: illum marem eſſe, hanc fœminã. Alij etiam natura differre exiſtimant. Et ſunt quidem qui dicant, ὑπὸ τοῦ ἔχεως percuſſum cõuulſione affici, non item ἀπὸ ἐχίδνης. Alij dicunt ἐχίδνης album morſum eſſe,

eſſe ἔχεως non eiuſmodi,ſed liuidum. Nicander dicit, cum morſum inflixit ἔχις, duorum dentium ueſtigia apparere: Cum autem ἔχιδνα leſerit,pluriũ uideri.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XXX.

VIpera modò magnum, modò paruum gyrum agit: duris ſquammis horret,ſegni tractu ſerpit, irritata oculis ualde rubet,& geminam linguã iactat, ſimul & caudam contorquet. Ex Viperis fœmina cum obuijs infeſtior, & morſu acerbior, & corpore pinguior exiſtit: tum ne illi occurreris, cum in coitu maritum momordit: ſola animal, reliquæ ſerpentes ex ſeſe oua pariunt: ſi fagi contingitᵗ ramulo,ſiſtitur.

De Viperæ coitu & partu. CAP. XXXI.

VIpera ſua circumplicatus fœmina cum ea coit, hæc uero ſine moleſtia iniri ſe patitur: poſtquã ad coeundi finem peruenerunt, uxor pro coitus conſuetudine mala ſignificatione amoris, maritum excipit: nam ei ad collum inhærens,morſu abſcindit caput: itaque ex uiperino coitu hic perit, illa uero prægnans efficitur. Non autem oua parit, ſed animantes partus edit,iamiam idoneos ad perniciem inferendũ. In ipſo enim partu matris aluum diſtrahunt, & lacerant,perq; diſruptum uentrem erumpunt, ulciſcẽtes patrem in hunc modum:Heus mi Tragœde,quid ad hæc Oreſtæ Alcimones?

Quid Theophraſtus ſentit de partu Viperarum. CAP. XXXII.

I 3 Viperæ

VIperæ catulos Theophraſtus ſcribit parentis ute rum non exedere, atque conficere: neque ſanè ut quiddam ludens dicam, foribus effractis obſtru-ctum exitum perrumpere: at enim fœminã uteri an-guſtijs compulſam non parere, ſed diſrumpi. Cuius ſententia ita rem habere mihi ad ueritatem planè per-ſuadet: Siquidem marinæ Acus, quia tenues ſunt, & haudquaquam ſinuoſam & capacem aluum habeãt, iccirco ſimiliter à ſuis fœtibus afficiũtur, etſi iam ante fabuloſe earum partus deſcripſi: tamen ne mihi He-rodotus ſuccenſeat, quales ipſe conſcripſit.

Quemadmodum Viperæ ſaliua hominis perni-ciem infert. CAP. XXXIII.

SErpentium uenenum cum peſtiferum eſt, tum mul to aſpidis peſtilentius. Contrà, quæ nemo ſaluta-ria præſidia facile inueniat, etiam ſi adleuationis ali-quid afferendum doloribus, atque adeo ad liberan-dum ab illis ipſis doloribus acerrimis ſapientiſsimus ſit, uenenatis ſerpentibus incredibiliter pernicioſum uenenum in homine ad hanc rationem deprehendi-tur: Si uiperæ collum ſumma cautione contineas, in osq; illius diductum expuas, ſputum in eius uẽtrem delapſum, tanta ei pernicie exiſtit, inde ex tabe ut ui-pera putreſcat. Huc accedit, hominis morſum uel ho mini ipſi eſſe pernicioſum, nulliusq; animalis morſui de acerbitate concedere. Nymphes librorum quos conſcripſit de Ptolemæis nono, Viperas dicit in Tro-glodityde, ſi cum alijs conferantur, ingenti naſci ma-gnitudine

gnitudine: decem enim & ſeptẽ cubitorum exiſtere.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum ex eſcarum uſu Viperæ magis uenenatæ ſunt. CAP. XXXIIII.

VEneni uim ex paſtionibus corroborari, cum alij pleriq; ſcripſerũt, tum maxime Pauſanias de homine Phœnice dicit ſe audiuiſſe, in montibus Phœniciæ ex uſu radicum Viperas magis efferari. Idemq; Phœnix Pauſaniæ narrabat ſe hominem uidiſſe, ut Viperæ impetum effugeret, in arborem aſcendere: ſimul & Viperam inſequentem poſtea quam ille aſcendiſſet, ueniſſe, & grauem aſpirationem & peſtilentem in arborem afflaſſe, hominemq; ex eo ſtatim perijſſe. Contrà, Viperas quæ in balſamis Arabiæ arboribus habitant, acerbitatis uirus nõ habere, quòd balſamorum non modò ſuauiſsimo ſucco utantur, uerum etiã umbra oblectentur. Cum autem colligendi opobalſami tempus uenit, pro ſe quiſq; perticis arbuſculas concutit, ut Viperas in fugam impellat: neque enim eas, quòd balſamis conſecratas exiſtiment, occidere audent: ac ſi quis ictus ſit à Viperis, uulnus non eſt pernicioſius, quàm ſi ferro impoſitũ fuiſſet, omnisq; ueneni metus abeſt: quòd ſane odoratiſsimũ pabulum ueneni peſtilentiam temperet, & mitiget.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum Viperarum & alicuius generis Araneorum morſus curantur muſica.

CAP. XXXV.

QVoddam Araneorum genus olim in Italia non uiſum, nunc in Apulia frequens, quod uulgò Tarantulam nuncupant, alio anni tempore ad nocendum non magnam uim habet: in maximis uero ſolis ardoribus acerbitatis uirus peſtiferum infligit: huius perniciei una hæc ſalutaris inuenta eſt medicina, ut ictus uario & multiplici cantu tibicinum, aut citharistarũ, aliorúmue muſicorũ permulceatur. Is tametſi ſermonis & oculorum uſum amiſerit, ac omnis ſenſus expers ſit, tamen confeſtim ut tibiæ auditionem accepit, tanquàm è graui experrectus ſomno, oculos paulatim alleuat, ac recepto animo ſe humo tollit, & ad muſicæ rationem ſaltare ingreditur, neque à ſaliendi conuenientia aberrat: imo uero etiam à ſaltatorijs muſis antea auerſi ſcire ſaltare tum uiſuntur. Itaque ſi Apuliam obeas, circumſpicies alios uicos tympanis, alios fiſtulis, alios tibijs ad eiuſmodi depellendũ malum undiq; circũſonare: ac ſi tibicen, aut lyricen, aut tympaniſtes pulſare deſiſtat, is qui iam recreatus uidebatur, & conuenienter ad ſonum ſaltabat, ſtatim animo deficitur, & omnium ſenſuum ſtupore afficitur: ac ſanè rurſus repetito cantu colligitur, & acrius ſaltare cõtendit. In ſermonem hominum uenit, quod mihi alienum non uidetur, huius ueneni uim harmonia & uocum concentu per totum corpus manare, ex eodem'q; occulto quodam naturæ munere dilabi, & euaneſcere: enimuero qui ex hoc morbo laborarunt, ſi quid reſideat, quod bene curatum non fuerit, ſi

quando

quando muſicam auribus conceperint, maxime aniſmo commouentur,& manibus,pedibusq́ tandiu geſtire non deſinunt, quoad illa uis funditus uicta ſit. Theophraſtus ſcribit, quoſdam uiperarum morſus uel tibiarum, uel fidicularum, uel aliorum organorum cantu adhibito ſanari. Iſmeneas Thebanus dicitur plures Bœotiorum coxendicum dolore laborantes tibiæ ſono ad incolumitatem reſtituiſſe.

GYLLII ACCESSIO.

De Cenchryne. CAP. XXXVI.

CEnchryne & maxima magnitudine eſt, & leonē uocant,ſiue quòd eius ſquammæ uarijs maculis diſtinctæ ſunt,ſiue quòd cauda erecta ſe ad pugnam incitat,ſiue etiam quia leonum more humanum ſanguinem exſorbet. In maximis caloribus inſidias pecori molitur. Caue quantumlibet magno animi robore ſis,néue occurras,néue contra hanc pugnes: ac potius ne rectà fugias,ſed diuerticulis, flexionibusq́ beſtiæ curſum retardes. Nam ſerpentum genus cum rectà iter facit uelociſsimum eſt,cum autem uiam flectit,tardius ſerpit.

De Ceraſtis ſerpentibus. CAP. XXXVII.

CEraſtes ſerpens ferum animal, colore album, gemina ſupra frontem gerit cornua Cochleæ cornibus ſimilia, non ſimiliter tamen atque illius tenera. Longe alia ratione in cæteros Libycos homines, ac erga nuncupatos Pſyllos ceraſtæ afficiuntur. Illis enim infeſti ſunt,cum his fœdere deuinciun-

K tur,

tur, pacemq́ ſeruāt. Enimuero Syllorum gens ab eis ſi mordetur, non modò non ſentit morſum, ſed eos etiam qui in id mali inciderint, facilime ſanat, ſi priusquam totum ueneno corpus imbutum ſit, ex ipſis quiſpiam uel accerſitus, uel ſua ſponte ueniens, os aqua colluerit, illiusq́ manus, qui morſus ſit abluerit, ex ueneno ſtatim tum conualeſcit, tum ab omni malo liberatur. Libyci autem homines aiunt, uirum cui ſua uxor uenerit in ſuſpicionem adulterij, quiq́ ex ea ſuſceptos liberos adulterino ſanguine natos ſuſpicetur, experimēti cauſa in dolium ceraſtarū plenū infantem puerum conijcere, ſicq́ abijciendo, tanquā artificem aurum igni, ingenuitatem pueruli experiri. Ceraſtas protinus inſultare, acerbosq́ fieri, innatum malum puero minitantes, eos ut puer attigit remolleſcere, unde Libycus ille ſe legittimum patrem agnoſcit. Cum ſerpentium, tum phalangiorum hoſtes ceraſtæ habentur. Hæc uero ſi Afri cōminiſcūtur, non me, ſed ſemetipſos fallunt.

De Pſyllis Africis, & de Ceraſtis.
CAP. XXXVIII.

AGatharcides dicit, in Africa Pſyllorum gentem eſſe, & nihil quidem ad uiuendi rationem à reliquis hominibus differre, ueruntamē cum alijs nationibus peregrinum eorum corpus comparatum admirationem habere: non enim uenenatas eis beſtias quippiam nocere poſſe, neq́ phalangiorum mortiferis uulneribus ut cæteros homines affici, neque ſcorpionum

pionum aculeis lædi ſolere. Cum enim uenenatum quiddam ad eos acceſſerit, & uel eorum corpus attigerit, uel aliquem odorem exhauſerit, ueluti ſoporiferam bibiſſet potionem, ſopitur: & tandiu debilitatur, quo ad ab eo Pſyllus receſſerit. Callias libro decimo hiſtoriæ quam cõſcripſit de Syracuſano Agathocle, Ceraſtas inquit peſtiferũ morſum infligere ſolere, & beſtias ratione carentes, & homines interficere: niſi Libycus uir natione Pſyllus, ad curandum acceſſerit. Hic ſanè ſiue euocatus, ſiue fortuitò aduenerit, & plagam adhuc terribiliter dolentem uiderit, ſola ſaliua dolorem mitigat, & perſtringit: Sin percuſſum offenderit, ægerrime dolentẽ, intra dentes permultã aquã haurit, & os ſuum primo ex ea colluit, poſt uero eam in poculum iniectam uulnerato exſorbendã tradit. Quod ſi ueneni acerbitas acrius inualeſcit, hic ægrotanti nudo nudus accumbit, & proprio ſuo corpore morbi uim frangit, & malo hominem liberat.

GYLLII ACCESSIO.

De Ceraſtis. CAP. XXXIX.

LOca mediterranea Libyæ arenoſa ceraſtis abundant, quorum color arenæ ſimilis: Ideo non paucos decipit, quòd eos ab arena non internoſcãt: Itaq; coloris errore falſi, pedibus illos cõculcantes, uitæ periculum ſubeunt. Ceraſtes fraudulẽta uiperæ non ualde diſsimilis, interdũ quatuor, interdũ duobus cornibus eſſe uidetur: ſquãmis horret, eius color exalbeſcit; ſecundũ uias ut prætereũtibus moliatur inſidias,

iacet. Et uipera quidem recta celeriter obuios appetit: Contrà Ceraſtes diuerticulis, ſerpendíq; flexionibus cum ſonitu gradum faciens, impetum facit.

De Dípſade. CAP. XL.

DIpſas, cuius uim & naturam eius nomen nobis declarat, inferior quidē eſt magnitudine, quàm uipera, ſed tamen in occidēdo quàm celerrime ſuperior: eius morſu confixi, etſi aſsiduam potionem hauriunt, ad ſitim tamen exardeſcunt, & ad bibendum eatenus inflammantur, quoad celerrime rumpũtur. Eam Soſtratus cum albam eſſe ait, tum duas in cauda líneas nigras habere, & ſicut audio, uario & multiplici nomine nuncupatur. Quidam Præſterem uocant, alij Cauſonem, nonnulli Centrída, alij Annobaten, à quibuſdā Melanurus appellari fertur: Cum in Africa tum magis in Arabia naſcitur.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XLI.

DIpſas paruæ uiperæ ſpeciem ſimilitudinemq; gerit, ſed celerior eſt: ijs quos percuſsit mortem infert: ab ea uulneratus acerrima ſiti ardet, & tanquā taurus ore hiante, atque imminente ad flumina procumbit, tantáq; potione, dum uenter diſrumpitur, ſeſe explet.

GYLLII ACCESSIO.

De Dryína ſeu Chelydro. CAP. XLII.

HVíuſmodi ſerpēs, quam alij Dryinam, alij Chelydrum appellant, in cōcauæ quercus fagíue latebras abſtruſa uiuit: nonnulli etiam Hydrum appellant:

lant: ea relictis paludibus domeſticis ſedibus in pratis ranunculos uenatur. Quòd ſi à crabronibus inuaditur, ſtatim in concauam quercum bene penitus perfugit: non acuto capite eſt, ſed lato, & plano: ex eius corpore teter odor manat: ab eo percuſſus, teterrimum odorem olet, & angor mentem tenebris oppletã tenet, caligo oculis offunditur: ab eodemq; alij icti caprarum aut ouium modo balant.

De Hæmorrhoo genere Viperarum.
CAP. XLIII.

HAemorrhous è genere Viperarum, in ſaxorum cauernis domeſticam ſedem habet, pedẽ unum tum longus eſt, tum à capite in tenuitatem eius corporis habitus procedit: Colore eſt partim flammeo, partim nigro: eius caput tanquam cornibus quibuſdam inhæreſcit: ſenſim & pigrè ſerpit, uẽtris ſquammis terram premens: tortuoſa non recta uia progreditur, gradiendo leuiter ſubſtrepit, unde eius ſegnicies oſtenditur: primum ut momordit, ſtatim punctus cyanei coloris exoritur: percuſſus: ſtomachi doloribus affligitur, uenter celeriter exhauritur, caligine offunditur, ſanguis per nares & aures cum bilioſo ueneno mittitur, ueſica ſanguineam urinam reddit: Cicatrices ſi quæ ſint in percuſſi corpore, etiam ſi conſenuerunt, tamen recrudeſcunt.

De Amphiſbena. CAP. XLIIII.

HYdram Lerneam, Herculis certamen, decantent poëtæ, & ueterum fabularum opifices, quorum

è numero eſt Ecatæus hiſtoricus. Chimeræ naturam tricipitis canat Homerus, res profecto ſic in fabulis numerandas, ut uerum eſt Amphisbenam ſanè ſerpentem duo habere capita, alterum in anteriori parte, alterum in poſteriori: cum enim aliquò neceſſe habet progredi, caudæ loco alterum ponit, altero pro capite utitur: tum rurſus ſi ei retro ſit opus cedere, capitibus contra quàm prius utitur.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XLV.

AMphisbena parua eſt, & ſemper oculos tenebris oppletos habet: cum terreno colore eſt, tum pellis uarijs maculis diſtinguitur, ex oleaſtro bacillus amphisbenæ pelle inuolutus, ex frigore laborantes calefacit.

De Colubro. CAP. XLVI.

COlubro percuſſum dicunt ſtatim odorem teterrimum reddere, ex eoq́ quòd tam male oleat, ei neminem appropinquare poſſe. Idem quoq; ait, eundem percuſſum cum obliuione circũfundi, eíq́ oculis multam caliginem offundi, tum rabiem & ſummũ tremorem eidem exoriri, tertioq́ die perire.

GYLLII ACCESSIO.

De Colubro ſiue Natrice. CAP. XLVII.

QVam latini Natricẽ, & Dioſcorides Hydrũ uocat, Nicander Cherſidrum appellare uidetur. Is in locis parum aquæ habentibus, aut paludibus uerſans, ranis infeſtiſsimus exiſtit. Cum palus ſolis ardoribus exſiccata eſt, tum in arido uiuens, mortiferam

ram plagam infligit.

De Hydris Corcyrenſibus,& Typhlope,quam Cæciliam uertere poſſemus. CAP. XLVIII.

IN Corcyra ſerpentes procreantur, quæ ſe retrouerſus ad inſequentes retorquent, & ſpiritum malum anhelantes, ab impetu ſuos inſectatores reprimunt, ab ſeq́ꝫ auertunt. Typhlopa, quam etiam Typhlenam nominant,& Cophiam, murenæ caput habere ſimile in ſermonem hominum uenit,tum perparuulis oculis eſſe. Ex his duobus nominibus alterum ex eo traxit quòd non ſint ei oculi probe affecti ad uidendum. Cophiæ nomen idcirco habet, quòd hebetes eidem aures ſint: adeo item dura eſt pelle uix ut tandem ſecari queat.

De Iaculo. CAP. XLIX.

IAculus ſerpens omni animantium generi inſidias molitur: huius cautio in faciendis inſidijs eiuſmodi eſt,ut ſecundum uias abditè lateat, perſæpe etiam correpens, in arborem aſcendat: ibiq́ꝫ ſeſe contorte concludens, & in orbem coarctans, caputq́ꝫ in ſpiram occultans, ut prætereuntes tacitus ex occulto perſpexerit,in id ipſum quod præterit,ſiue fuerit beſtia,ſiue homo, ſe iaculetur. Nam ualet ſaltu, ut uiginti cubitorum ſpatium tranſilire queat, protinusq́ꝫ ad ea quæ ſaltu appetit,inhæreſcat.

De Hyena ſerpente. CAP. L.

HYenam ſi uideas nunc quidem marem, nunc quàm mox uidebis fœminam: Si uero nunc

fœminam,poſtea marem: utriuſq; enim ſexus particeps eſt: eundem marem cui ante nupſerat, uxorem ducit: quotannis autem genitalia immutat. Cæneum igitur, & Tyreſiam non oſtentatione uerborum, ſed rebus ipſis exprimit, & declarat hoc animal.

De Præſtere ſerpente. CAP. LI.

PRimum ut morſum Præſter è genere ſerpentium effecit, ſtatim ſtuporem infert, & immobilem reddit: pòſt menti obliuio & tenebræ offunduntur, ut neque notionem habeat, neque reſpirare, neque meiere queat: ſimul & percuſſum à pilis nudũ iam morſu factum ſuffocatio ſequitur, cum conuulſionibus & morte acerrimis doloribus referta.

GYLLII ACCESSIO.

De Scythale. CAP. LII.

SCytale forma cum Amphisbena non diſsimilitudinem habet, præterquàm quòd cauda eſt tum pinguiore, tum craſsiore. Scytale eadem eſt latitudine qua manubrium ligonis, & longitudine lombrici. Cum uerno tempore ex cauernis ſaxorum prodit, fœniculi ramos exedit.

De Sepedone ſerpente. CAP. LIII.

INeſt in Sepedone ſerpente immanis pernicies, & præterquàm quòd celerius graditur, Hæmorroi ſpeciem ſimilitudinemq;, ſicut ait Nicander, gerit: & eodem modo gyros & flexiones perſequens, non rectà progreditur: quod quidem ipſum cauſa eſt, quãobrem inſpectantes neſciant de eius magnitudine iudicare

dicare. Vulnus quod infert acerbitatis plurimum habet,& bene penitus intrat,& putrefacit: qua ex ui nomen traxit. Inexpiabili celeritate ipſius uenenum in uniuerſum corpus tranſitionem facit: Capillus putreſcit & funditus interit, tum ſuperciliorum & palpebrarũ pili defluunt, oculi offuſi tenebris obſcurantur,& marceſcunt.

Qua ui & natura ſit prædītus Seps ſerpens.
CAP. LIIII.

SEps è genere ſerpentum, ex eo magnam admirationem excitat, quòd colorem in eorum quæ contingit ſimilitudinẽ immutat: eius imos quatuor dẽtes tuniculæ quædam occultant, ex ijs uenenũ emittens, celeriter & putrefacit, & interimit.

GYLLII ACCESSIO.

De Serpente quam alij Sepa, alij Chalcida uocant. CAP. LV.

SEps ideo etiam Chalcis appellatur, quòd quibuſdam lineis, æris ſpeciem, ſimilitudinemq́ gerentibus, eius dorſum diſtinguatur: Itemq́ ad octo palmorum longitudinem accedit, tum in Syria, & Libya,& Cypro naſcitur, in ſaxis domeſticam ſedem ſolet habere.

De Parīa ſerpente. CAP. LVI.

PArias, ſeu Paruas (ſic enim uult Apollodorus) igneo colore eſt, & acerrimo oculorum ſenſu, & largo ore, nihil mordendo nocet, ſed mitis cum ſit, deorum humaniſsimo Aeſculapio ipſum conſecrarunt,

runt,& eius miniſterio dedicarunt.

De Porphyro Serpente Indica. CAP. LVII.

TErram Indiam hiſtorici permulta ferre uenena,& plantas dicũt,è quibus partim ſalutaria ſunt contra morſus ſerpentum,partim mortifera. Cuiuſmodi ui eſt Porphyrus ſerpens,palmi magnitudine, colore accedente ad purpuræ ſimilitudinem, capite pluſquàm niueo, & lacte multo candidiore, locis Indiæ calidiſsimis reperitur: ei mordendi idcirco poteſtas eſt nulla,quòd dentium expers ſit: ergo hac ex parte eum quaſi manſuetum dicere poſſumus. Non item ex omnibus partibus, nam eius uomitio ſi quod uel hominis, uel alterius animalis attigerit membrum, totum tabeſcat neceſſe eſt: Idcirco eum captum à cauda ex arbore ſuſpendunt, ut illi caput ad terram uerſus propendeat: tum ſub eius os uas ſubijciũt æneũ, in quod ex eius ore guttæ redduntur, quæ primum ut deciderunt, continuò concreſcunt, aſpicienti ut amigdalinæ lachrymæ ſpeciem præbeant: ab eo extincto uas remouetur, in cuius locum alterum etiam uas æneum ſupponitur, in quod ſanioſus liquor, aquæ ſimilitudinem ſpeciemq; gerens, ex iam mortui ore ſerpentis defluit: Similiterq; hic concreſcit, atque condenſatur: horum tamen uterq; colore differt ab altero: hic niger eſt, illæ primæ guttæ electri ſimiles ſunt: è quibus ſi cui magnitudine ſiſami in cibo potioneúe detur, acerrima primum conuulſione percellitur, deinde ei oculi peruertuntur, cerebrum

per na

per nares expreſſum delabitur, ſicq; ille miſerabiliter quidē moritur, ſed tamē celeriter: ſin quis ſiſamo minus ex illis ſumpſerit, non continuò is quidem moritur: ſed certe ex hoc malo non euadit, ſed denique cum mora extinguitur. Quòd ſi ex eo ipſo nigro qui ex mortuo iam ſerpente defluit, ſiſami quoq; magnitudine quis comederit, extabeſcit, anniq; interuallo conſumitur. Pleriq; eorum in biennium proceſſerūt, paulatim morientes.

De Lacertorum diſſectione. CAP. LVIII.

SI quis ſeu fortuitò Lacertum, ſeu conſultò in caluaria percutiat, & uirga medium diſcindat, huius partium neutra moritur, ſed ab altera ſeorſum utraq; graditur, & duobus pedibus adrepens uiuit. Deinde ſi coitio utriuſq; cum altera fiat, conſenſione quadam tacita, & naturali colligatione uelut conſeruntur, con texunturq; : atq; ex ſeparatis duabus partibus unus atque idem rurſus efficitur lacertus: & tametſi loci prius affecti ueſtigium cicatrix indicat, tamē & uitam priſtinam retinet, & ei cætera perſimilis eſt, qui talia nunquam perpeſſus ſit.

De Lacerto. CAP. LIX.

NOn hic antiquorum teſtimonio mihi erit opus, quæ ipſe uidi explicabo Cum uir quiſpiam Lacertum magnum & opimum comprehendiſſet, atq; æreo ſtilo excæcauiſſet, eundemq; in fictilem ollam,

recentem utrinq; eatenus exiguis foraminibus pertuſam, ut neq; ſpirare fera prohiberetur, neque tamen exitum haberet, concluſiſſet: & ſimul terram roſcidam, & herbam, cuius nomen non explicauit, impoſuiſſet: ac deinde ferreo annulo, cui ineſſet gagates lapis, in quo lacertus inciſus erat, nouem ſigna impreſſiſſet, quorum quotidie unum deleret: poſt ubi nono ſigno ſublato ollam recluſiſſet, lacertum uidi, oculorum uſu recuperato, clarius quàm ante excæcationem aſpicere.

De Lacertis Indiæ. CAP. LX.

POlycletus maximos ait lacertos in India, tũ ualde uario colore, naſci: ut pellis floridis quibuſdã picturis maxime diſtincta, & ad tactum mollis, & tenera ſit. In Arabia Lacerti ad duorum cubitorum magnitudinem accedunt.

De Salamandra. CAP. LXI.

EX animalibus tametſi Salamãdra non eſt quæ ex igni naſcuntur, quales ſunt Pyrigoni; contra tamen hunc ire audet, contraq; illius flammam ueniẽs, tanquàm aduerſus hoſtem quendam, ſic eam expugnare aggreditur. Cuius rei teſtimonium fabri, quorum opera atq; artificium igne nititur, afferunt: nam quandiu eis ex flammæ ſplendore ignis flagrare eorumq; artem fabrilem adiuuare uidetur, huiuſmodi animal magna ſecuritate ipſi negligunt. Cum autem ignis euaneſcit, ac reſtinguitur, fruſtraq; folles flant, hoc ſibi

hoc ſibi tum animal aduerſari præclare intelligunt. Quare hoc ipſum perueſtigant, atque inueſtigatum ulciſcuntur: ignis autem poſtea iterum ſuccenſus fabrile opus modo ut ante erat ſolitus alatur, iuuare perſeuerat.

GYLLII ACCESSIO.

De Salamandra. CAP. LXII.

SAlamandra animal quadrupes, lacertæ ſimile cauda breui præditum eſt: nonnulli dicunt eam cute, & ſquammis carere: neque modo lacerti magnitudine eſſe, uerum etiam Crocodili terreni ſpeciem ſimilitudinemq́; gerere, morſuq́; infeſtiſſimo eſſe.

FINIS LIBRI IX.

LIBER DECIMVS
DE VI ET NATVRA ANIMALIVM AQVATI-LIVM.

De Balena. CAP. I.

BALENA quemadmodum Delphinus, lac habet, colore quanquàm nigro non eſt, maxime tamen Cyaneo, quí medium inter nigrum & uiridem locum tenet, conſpicitur: non brachijs, ſed fiſtula (ſic enim huius reſpirandi uiam appellant) ſpiritum ducit. Sedes & commoratio huic eſt pelagus, in ſiccũ egreditur, ubi à ſolis radijs caleſcit.

De maximis Cetis. CAP. II.

AD littora, aut minime profunda loca, aut breuia ex cetaceo genere nullum appropinquat: ſed in alto, & profundo uerſatur. Eximia autem magnitudine exiſtimantur, Leo, Libella, Pardalis, Phyſiter, Priſtes, Maltha belua inexpugnabilis, Aries uel ipſo aſpectu infeſtiſsimus, & periculoſiſsimus, procul enim licet compareat, maris procellas & tempeſtates ciet & agitat. Libella cum ſit aſpectu infauſto, infeliciq́; non eſt proſpera nauigantibus. In Lacedæmonico mari accepi ingentia cete gigni: eamq́; ob cauſam quidam Cretenſes Homerum dicũt Lacedæmonem

nem cetoſam appellaſſe. Circa Cytheram inſulam cete prædicant maiori granditate generari, eorumq́ꝫ neruos accommodatos eſſe ad conficiendas, non ſolum Pſalteriorum, & muſicorum aliorum organorum fidiculas, ſed ad bellica etiam inſtrumenta, atque ex his confectæ arcuum chordæ cenſentur optimæ. Theocles libro quarto, ad Syrtim ait cete procreari triremibus maiora. Circa Gedroſiã Indiæ regionem, non ignobilis Oneſicritus atque Orthagoras ſcripſerunt, cete longitudine dimidiati ſtadij, & latitudine pro rata longitudinis portione naſci, tantoq́ꝫ robore ſepta eſſe, ut ſæpe cum naribus reſpirarint, tantopere in ſublime marinos fluctus iactent, ut hæc imperitis maximæ maris tempeſtates eſſe uideantur.

De Cetis & uarijs piſcibus Taprobanæ inſulæ. CAP. III.

TAprobanæ inſulæ mediterranei, mare incognitum habent, maritimi uero Elephantorum uenationem niſi auditione & fama haudquaquam acceperunt, omne ſtudium atque operam ad piſcationẽ conferunt: Id mare magnum eam inſulam ambiens, infinitos piſces procreare ferunt, habentes capita leonum, pantherarum, & arietum, aliorumq́ꝫ animaliũ, & quod magnam admirationem habet ſatyrorũ ſpeciem ſimilitudinemq́ꝫ piſces nonnullos gerere, ac cete exiſtere muliebri facie, eiſq́ꝫ pro crinibus ſpinas eſſe, quorum genera tam monſtroſa exacte explicare non queunt. Ac in eodem mari beluas in utraq́ꝫ ſede uiue-

re audio, & nocte ſegetes & herbas depaſci, quodq́; palmarum fructu iam matureſcenti gaudeant: idcirco eas arbores amplexu ſuo concutere, & excuſſos uiolento impetu, exedere, & cōficere, eaſdemq́; cum iam incipit diluceſcere in mare abdi, tum etiam permultas Balenas Delphinis inſidiãtes ibidem eſſe aiunt. Tum duo Delphinorum genera illic naſci, alterum ferum & inexpiabili immanitate, piſcatoribus infeſtum: alterum natura manſuetum, circum homines natare, & more canum blandiri, & ſe contrectari ſuſtinere, atq; obiectum cibum libenter ſumere.

De Cetaceo genere Gangis. CAP. IIII.

GAnges Indiæ fluuius, initium ducens à fontibus, cum per ſe fluit, & nōdum ad alios admiſtus eſt, altitudine eſt uiginti paſſuum, latitudine uero octaginta ſtadiorum: cum autem alij in eum influxerunt, altus ſexagenos paſſus profluit, dilatatur & diffunditur in quadraginta ſtadia. Inſulas Lesbo Cyrnóue maiores efficit. Cete procreat, è quorum adipe farinæ conficiuntur. In eo etiam teſtudines naſcuntur, quarum teſta non minori magnitudine ſit, quàm dolium capax uiginti amphorarum.

GYLLII ACCESSIO.

De Britannici Ceti magnitudine. CAP. V.

DE bonis autoribus accepi, ſuperiore anno beluã in Britannicum littus expulſam, atque eiectam fuiſſe, longitudine nonagenum pedum, proceritate uiginti ſeptem. Cuius oris rictus ad duodeuiginti,

mandibula

mandíbula ad uiginti duorum palmorum magnitudinem & triginta. Coſtæ ferè omnes ad longitudinē XXI. pedum, atq; ad craſsitudinem ſeſquipedalem accederent: Itemq; duas pinnas habuiſſe, quarum ſingulæ eſſent quindecim pedum longitudine, earumq; alteram decem boues uix abſtrahere potuiſſe: linguā uiginti pedes latam fuiſſe, oculos inter ſe quinq; ulnis diſtantes poſſediſſe, eosq; pro corporis portione perparuulos, nimirum bubulis non maiores extitiſſe: & dentibus caruiſſe, tantum tanquam aliquot laminas carneas loco dentium apparuiſſe.

De duce cetacei generis. CAP. VI.

OMne ferè cetaceum genus duce ad ſibi moderandum eget, illiusq; oculis ducibus ad uidendum utitur. Is autem dux eſt, quemadmodū harum rerum periti teſtātur, longus piſcis, colore albo, capite prælongo, anguſta cauda. Húncne ducem unicuiq; cetaceo natura dederit, an amicitia quadam is adductus, cetum ultro antegrediatur, haud ſcio planè, ſed id tamen factum naturæ impulſu arbitrarer, nam hic ſeparatim nunquam ab illo nauigat, ſed ante huius caput antecedens, ipſius dux exiſtit: etenim cuncta illi & prouidet, & præſentit, caudáq; præmonſtrat ſingula, tum horribilia formidoloſáq; inhibet, tum cibaria conciliat, inſidiasq; à piſcatoribus poſitas ſigno quodam oſtendit, atq; quem locum propter magnitudinem ipſum adire non oporteat, præſignificat:

 nequando

nequãdo nimirum cetaceum genus irretitum funditus pereat. Quod mirum uideri debet, minimam beſtiam maximo animali uitę cauſam afferre, cum enim belua huiuſmodi ad pinguitudinẽ peruenit, amplius nec uidere nec audire poteſt: Carnium enim moles, & uidendi & audiendi uiam intercludit, & tanquam illius luminibus obſtruit, quare eius oculus improbe afficitur ad uidendũ: quòd ſi is piſciculus, quo ad neceſſaria utitur, perit: illi quoq; pereundum eſt.

GYLLII ACCESSIO.

De Phyſeteribus. CAP. VII.

QVi in mari rubro nauigant, ut contra cete, quæ illic ingentia errant, ſe defendant, tyntinabula à prora & puppi ſuſpendunt, quorum ſonitu deterrita, ad naues non appropinquant. Nearchi claſsi in Arabicum ſinum nauiganti maximũ terrorem Phyſiteres iniecerunt, quòd eiuſmodi nimbos anhelarẽt, ut quæ poſita ante pedes eſſent, uideri non poſſent. Cum autem ad nauigandum duces illis timentibus indicaſſent beluas eſſe, quæ facile ex tubarum ſonitu perterrentur, Nearchus naues in nimborum inflatos fluctus propelli ac beluas tubarum clamore obſtrepi iuſsit, eæ autem concitãdis fluctibus contra puppim ſpeciem præ ſe pugnæ ferebant: ueruntamen quàm mox tempeſtates cõmouere deſiſtentes, in imam maris ſedem ſe abſtruſerunt. Iam ut uiuæ ad terrã haud quaquam ſolent appropinquare, ſic mortuorũ oſſa in littus expellũtur, atq; eijciuntur, quibus Ichthyophagi

phagi tecta conficiunt,qui diuitiores ſunt,eorũ grandioribus oſsibus pro materia utuntur,& ex craſsioribus portas conficiũt: à bonis inopes ex ſpinis eorundem domos ædificant.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum capiuntur cete. CAP. VIII.

CEte in alto uerſantur, & ſemper inexplebili cibi helluatione flagrant. Quiſnam cibus tantus erit, ut ad illorum gurgitem ac uoraginem explendam ſatis eſſe poſsit? Omnia cetacea exceptis canibus, tarda in natando ſunt,neque ſine piſciculo duce quoquam progrediuntur. Hic ſingula illis oſtendit, ſiue prȩda capienda ſit, ſiue quodpiam periculum inſtet, ſiue propinqua uada uitanda: huic ad ſolam caudæ motionem illa parent, per hunc audiunt & uident, neq; tantopere uaſtis beluis uires proſunt, quàm aſtutia paruuli piſciculi. Quamobrem aſtutus piſcator ut huiuſmodi beluas capere poſsit,uaria & multiplici eſcarum illecebra, hunc primum capit, deinde nullo labore monſtra comprehendit: neq; enim à duce orba amplius maris uias uident,non propinquum periculum ſentiunt,ſed tanquam pondera quædam temere uagãtur,ignara quò nam fluctibus deferantur. Nam quòd duce priuata ſint,& carnea mole in oculos eminente,eorum aſpectus tenebris circunfundatur: Ideo ad ſcopulos & littora offenſionem accipiunt. Tum robuſti piſcatores ex eiuſmodi beluis quampiam in-

ſidijs attentare deliberant, ſed primo illius magnitudinem pondusq́ꝫ coniecturis aſſequuntur. Hæc autem ſigna ſunt magnitudinis ſi illius uertex extra aquam paululum eminet, nõ obſcura ſignificatio eſt, beluam ingentem eſſe: quòd ſi dorſum bene emineat extra ſummam aquam, non tanta eſt: nam minores quia leuiores ſint, idcirco altius eminent. Piſcatores huic robuſtiſsimum hamum ad catenam ferream alligatum proijciunt: hæc ut eſcam uidet, nulla cunctatione interpoſita, effreni auiditate eam appetit, atque ſtatim ferro eius guttur transfigitur, cuius dolore incitata, catenam exedere & conficere conatur: quod ipſum poſtquam diu multumq́ꝫ conata eſt, acerrimis doloribus affecta, in pelagi profundum demergitur, atque omnem funem, huic relaxant, quòd nullis uiribus humanis retrahi poſsit, & facili exagitata fera nauem cum remigibus in profundum retraheret: ſimul & amplos utres uenti plenos ex funibus appenſos beluæ mare ſubeunti obijciunt: Illa uulneris dolore ſtimulata, non utres contemnit, imò uel maxime reluctantes & ſummam aquam ſemper appetentes, in altitudinem maris deprimere conatur. Cum autem peruenit ad imam maris ſedem defatigata quieſcit, ingentes fluctus anhelans: at enim quieſcere cupientem utres non permittunt: ſeſe in ſublime efferentes: Itaque contra hos renouat atque inſtaurat pugnam, & iterum ac ſepius fruſtra utres detrahit, nam hi ſurſum uerſus ſubuolant. Illa

uero

uero grauiter dolens, rurſus profundum petit, & modò alieno impulſu, modò ſua ſponte trahitur, & tantopere furit, ut exiſtimes ſub fluctibus Boream ſtabulari: tandem in ſummo mari fluitantem, alij haſtis, alij tridentibus, alij ſecuribus cædunt, & multa uerberatione expugnatam, in littus expellunt, atq; eijciũt.

De Tritonibus. CAP. IX.

ET ſi non admodum explicatam rationem ad demonſtrandam Tritonum formã piſcatores afferre poſſe dicuntur, magna tamen fama eſt in ſermone hominum ſanè multorum, cete quædam à capite ad medium corporis humanã ſpeciem, ſimilitudinemq; gerentia in mari naſci. Demoſtratus in libris quos de piſcatu conſcripſit, conditum Tritonem in oppido Tanagra ſpectatum fuiſſe, cætera quidem, ſicut idem ait, fictis & pictis ſimilem: eius uero caput, quòd uetuſtate obſcuratum eſſet, & euanuiſſet, non facile intelligentia comprehendi & percipi potuiſſe: ſed ad ſolam tactionem illius ſquammas aſperas & duras dilapſas fuiſſe. Idemq; affert, quempiam ex magiſtratibus Græciæ, qui ſortitione facta annuum magiſtratum gerunt, cum eius naturam exquirere expeririq; uellet, paulum quiddam de corio detraxiſſe, atque in ſuccenſum ignem inieciſſe, idq; ambuſtum in circumſtantium nares teterrimum odorem immiſiſſe: Necq; uero, quemadmodum inquit, terrenum ne an marinum eſſet animal coniectura aſſequi poteramus.

GYLLII ACCESSIO.

De Tritonibus. CAP. X.

PAuſanias ſcribit ſe Tritonem Romæ uidiſſe, cuius capitis coma eiuſmodi eſſet, qualis ranarum paluſtrium, pilos non alios ab alijs diſtinxiſſes. Reliquum corpus ſquammis tenuibus inhorreſceret, branchiæ ſub aures ſubijcerentur, naſus ab humano diſſimilitudinem non haberet. Præterea adiungit, cum ore ampliore, & dentibus ferinis, & oculis glaucis fuiſſe, tum manuum digitos unguibus cochleæ teſtarum ſimilibus inſtructos habuiſſe: eidemq́ꝫ caudam ſub aluo pro pedibus, ut Delphinis, fuiſſe. Cum Venetijs eſſem, quidam Dalmatæ, ſpectata fide uiri, mihi religioſe teſtati ſunt, ſe ad oppidum Dalmatiæ, Spalatum nuncupatum, uidiſſe marinum hominem, qui ſe ſpectantibus ſummum terrorem inieciſſet. Cum ſe in terram incitauiſſet, ut mulierem, quæ circum littus fortè tum uerſabatur, corriperet: uerum ubi eam fugere proſpexiſſet, ſtatim ad mare regreſſus, imam maris ſedem petiuit. Eundem mihi deſcripſerunt, hominis omnino ſpeciem ſimilitudinemq́ꝫ gerere. Itemq́ꝫ magna fide homines, qui ad mare rubrum permultum temporis uerſati eſſent, ſanctiſsima aſſeueratione mihi affirmarunt, illic marinos homines ſæpe capi ſolere, quorum duriſsimis pellibus calceamenta tam robuſta conficiant, ut ad quindecim annos durent.

Non igitur quod de Tritonibus, & Nereidibus, hominibusq́ꝫ marinis iam uſque ab heroicis temporibus

ribus in ſermonem hominum uenit, uanum eſſe conſtat. Cum ex Plinio, tum ex hominibus, & patrum & memoriæ noſtræ: nam ut prætercam ueteranos piſcatores, qui mihi teſtati ſunt, cum mare uicinum eſt ad pariendas tempeſtates, ſe ex alto humanos gemitus ſæpe exaudiuiſſe. De bonis item autoribus accepi Theodorũ Gazam cum in Peloponneſo eſſet, inter plures beluas, tempeſtatibus in littus expulſas, Nereidem uiuam ſpectauiſſe, facie & humana, & pulchra, corpore ſquammis umbilico tenus obducto, cætera locuſtarum caudæ ſimilem fuiſſe, & permulta multitudine, quæ ex omni uicinitate ad huius ſpectaculum concurrerat, circunfuſam, humanos gemitus, & lamentationes edidiſſe: ac deniq; magnam uim lachrymarum profudiſſe: quod ipſum cernens Theodorus, natura ad miſericordiam procliuus, effecit, ut populi corona ei de uia decederet. Hæc ſentiens ſibi reditum patere, ſenſim brachijs & cauda ut maxime poterat, adrepſit ad mare: Cumq; magno impetu ſeſe præcipitem egiſſet, ad punctum temporis ex hominum cõſpectu ſeſe in maris altitudinem eripuit. Item ex ijs qui conſuetudinem habuerunt cum Georgio Trapezuntio accepi, cum hic ad quempiam maritimum fontem inambularet, eximia formæ pulchritudine puellam uidiſſe, extra aquam pubetenus eminẽtem, & tanquam laſciuia geſtientem, modò in imam ſeſe abdere, modò ad ſummam aquam frequenter tandiu efferre, quoad conſpectam ſe ſentiens, nuſquã

poſtea comparuit. Cum nuper Maſsiliæ eſſem, piſcator & ſenex, & probus mihi narrabat, ſe puerum de parente ſuo audiuiſſe regi Renato à piſcatoribus captum muneri miſſum fuiſſe marinum hominem. Et ſimiliter Alexander Neapolitanus ait, Draconettum Bonifacium ciuem ſuum ſibi narraſſe, dum in Hiſpania militaret, non diſsimilem hominem marinum ex Mauritaniæ oceano ad regulos ſuos, ſub quibus ſtipendia faceret, allatum fuiſſe: ſenili facie, capillo & barba horrida, colore cæruleo, & maiore proceritate quàm humana, tum pinnis membranula interlucente intertextis. Idemq́ affert, Tritonem in Epiro mulieres quæ de iugi quodam fonte maritimo ad hauriendam aquam proficiſcerentur, ex occulto obſeruare ſolitum fuiſſe, ac ſi ſolam haurientem aut ſpaciantem in littore animaduerteret, ipſum ex latebris pedetentim ad eam acceſſiſſe, & ui compreſſiſſe, & arreptã concubitus cauſa ſub undas ſubijcere ſolitum fuiſſe. Cuius quidem facinoris fama cum ad accolas emanaſſet, etiam atque etiam diligenter obſeruare cœperunt, & laqueorũ inſidijs poſitis, paucis diebus eum comprehenderunt: ueruntamen cibum ſumere recuſantem, inedia & tædio extabuiſſe, & diu uiuere extra aquam non potuiſſe. Peruagatum eſt eos ueneris libidine in mulieres flagrare: itaq; Epiroticos qui fontem illum accolunt edixiſſe, ne poſtea niſi in uirorum comitatu mulieres locũ illũ obirent. Et hæc è multis quæ mihi de ijs decantata ſunt, præſtrinxiſſe ſatis ſit.

De

De Cetis quæ & Rotæ appellantur. CAP. XI.

CEte immenſa corporis mole exaggerata, in altitudine maris uerſantur, & uero fuſcinis feriuntur, Inter huiuſcemodi beluas numerantur, quæ Rotæ appellantur: Hæc gregatim natant maxime prope Athonem montem. Eas non fortes eſſe ferunt, earum uertices apparent, & adeo longis ſunt hirſutæ ſpinis, ut hæ extra mare emineant. Cum remigationis ſtrepitum perceperunt, tum circumuerſantur, & circũuoluuntur, ut quàm altiſsime ſeſe in profundum detrudant, rurſusq; ex imo gurgite ad ſummum ſeſe efferentes, reuerſiones in orbem faciunt, unde nomen traxerunt.

De marinis Arietibus. CAP. XII.

MArini arietes, quorum quidem nomen apud multos peruagatum eſt, ſed non tamen hiſtoria omnino explicata, niſi ex ea parte, quatenus à pictoribus & fictoribus oſtenditur. Circa Corſicum & Sardoum fretum hybernant, atque ex ſumma aqua eminentes ſpectantur: Simul & maximi delphini circum eos natant. Mas aries frontem alba uitta redimitam habet, ut uel hanc Lyſimachi, uel Antigoni uel alterius cuiuſpiam regum Macedoniæ diadema dicas. Aries uero fœmina quemadmodum barbæ appendiculas gallinacei quaſdam poſsident, ſic ipſa cirros ex imo collo pendentes habet: neq; modò eorum uterq; mortua, ſed & uiua corpora exeſt, & con

ficit: in natando magnos fluctus facit: tempeſtate quã ex ſua agitatione ciet, naues funditus euertit, ac eos qui ſecundum mare uerſantur, rapit. Iam porrò qui Corſicam incolunt, dicunt, uirum qui ex tempeſtate naufragium feciſſet, natandi bene peritum, ubi permultum maris natando tranſmiſiſſet, circa Corſicam crepitudinem quandam aſſecutum aſcendiſſe, ibiq; conſtitiſſe: poſt uero quàm aries eum oculis comprehendiſſet: poſteriore ſui parte plurimum mare concitaſſe, deinde ab intumeſcente æſtu elatum inſtar procellæ & turbinis hominem corripuiſſe. Itemq; tanto narium robore prædita eſt huiuſmodi belua, ſpiritum ut uehementer & permultum anhelet, & immenſum aëra reſpiratione ad ſe attrahat, eaq; aſpiratione marinos uitulos ad hanc rationem comprehendat. Cum enim arietem nouerunt uicinum eſſe, ad moliendas ſibi ipſis inſidias, in terram celerrime enatantes, in ſubterranea ſaxa conduntur: is cognita fuga, inſequitur, & contra antrum ſtans, ex corporis odore prædam intus eſſe percipit, & narium illecebra quadam acri inter ſe & uitulos aërem intermedium attrahit. Hi tanquam uel ſagittam, uel ſpiculum, ſic ſanè illius appulſum declinant, & refugiunt. Tandem tamen uiolẽtiſsimo anhelitus ductu inuiti, & tanquam loris quibuſdam, aut funibus conſtricti, ex latebra extrahuntur, & ab ariete deuorantur. Ex earum naribus enatos pilos harum rerum periti magnos uſus afferre teſtantur.

De Del

De Delphini amore erga ſuam procrea-tionem. CAP. XIII.

MVlierum in filios ſtudium magnam quidem hominum admiratione͂ habet. Veruntamen perſpicio filijs qui è uita exceſſerunt ſupereſſe matres, nec ex eorum caſu more delphinorum perire, ſed triſtitia mitigata, in doloris obliuionem uenire. Delphinus autem fœmina, omnium maxime animalium eoru͂ quæ procreauerit, ſtudio tenetur. Ex ſeſe geminos parere ſolet. Cum aute͂ piſcator aut tridente eius procreationem uulnerauit, aut hamo cæpit, enim uero longi hami ex parte ſuperiori ad quam funis alligatur perforati, cuſpides uncinatæ defixæ in Delphini corpore eum retinent, is quandiu in omnes partes reſiliendo uerſans aliquod robur habet: Piſcator funem relaxat, ne ui abrumpatur, eiuſq; culpa cum ferro delphinus diſcedens ex captiuitate euadat. Cum autem ex uulnere delphinum labori ſuccumbere atque aliquantum de contentione inſultandi remittere piſcator animaduertit, ſenſim ad nauim ſubducit, prædaq; potitur. Iam uero mater nec catuli ſui caſum perhorreſcit, nec metu reprimitur, ſed incredibili deſiderio filium inſequitur, & quòd filium in mèdia cæde uerſantem ſibi deſerendum non exiſtimat, nullis terroribus ab inſequendo deterretur, atq; adeo eam filio uenientem ſubſidio percutere manu facile eſt, ut collibuerit uolenti cędere: unà cum filio capitur, cui ſeſe ex periculis ſeruare & diſcedere

integrum erat. Ac ſi adſint ei ambo catuli, intelligatq; alterum læſum eſſe, atq;, ut diximus, captiuum abduci, integrũ alterum caudæ uerberatione perſequitur, ac mordicus premens ablegat, atq; aſpirationẽ occultam mittit, tanquàm teſſeram, ut fuga ſalutem adipiſcatur. Cuius admonitu diſcedit ille, ipſa uero remanet, ut capiatur, atq; ſimul cum filio altero moriatur.

Quemadmodum Delphinus ſemper mouetur. CAP. XIIII.

DElphinum perpetuo motu præditum eſſe ferũt, nec quoad uiuit, ne dormiens quidem à motione conquieſcit: Cum enim neceſſe habet dormire ex alto ad ſummam aquam elatus, ut totus uideatur, dormit: non enim ſomni expers eſt: atq; ita dormiẽs, in profundũ tandiu depellitur, quoad imam ſedem maris contingat: ad quam poſtquam funditus delapſus eſt, terræ pulſu è ſomno excitatur, deinde ex alto emergit, ac repetito ſomno ſimiliter atque prius ad maris fundum appulſus, expergiſcitur, tum rurſus eminet extra aquam, & hoc ipſum ſæpe facit, eamq; ob cauſam inter quietem ac actionem agens, nunquã omnino à motu quieſcit.

Defunctos ſui generis Delphini ſepeliunt. CAP. XV.

MOrtuorum etiam memoriam delphini tenent, & ſuos gregales extinctos non produnt, imò uero defunctos in imum delabẽtes, cum ex altitudine ad

ne ad ſummam aquam alleuant, tum ad cõtinentem uelut funere illos efferentes, hominibus ipſos ſepeliẽdos tradunt: poſt uero ſequitur magna Delphinorum multitudo, tanquàm funeri operam dantium, atque in extinctos honorem cõferentium, ſaneq́ꝫ eos ab impetu aliarum beluarum ne deuorentur defendentium. Itaque homines rei muſicæ intelligentes reuerentia ſtudij in Delphinorum muſicam adducti, humatione eos afficiunt. Vos uero inſcitiæ ueniam agreſtibus hominibus qui à muſis auerſi ſunt, Delphini tribuite, quandoquidem uel ipſi Athenienſes Phocionem probum uirum inhumatum proiecerũt: tum Olympias, quæ filium Iouis peperiſſet, ut ipſa gloriabatur, & ille profitebatur, inſepulta iacuit. Pompeius Magnus cum tot tantasq́ꝫ res præclaras geſsiſſet, ſummis uictorijs partis, de triplici orbis parte triumphaſſet, interfectoris ſui patrem ſeruaſſet, & in regnũ reſtituiſſet, Aegyptij non modo interfecerunt, ſed capite mulctatum, proiectum ad littus reliquerunt.

Omnium uelociſsimi ſunt Delphini. CAP. XVI.

NOn modo aquatilium beſtiarum, ſed etiam terrenarum omnium Delphinus uelociſsimus, & ad ſaliendum præſtantiſsimus eſt, nauium enim, ſicut Ariſtotelis ait, malos tranſilit, & cauſam conatur afferre eiuſmodi. Quemadmodum enim urinatores animam continent, ſic ille primo ſpiritum comprimit, deinde corpus ſicut ſagittam neruo expulſam iaculatur, nam ſpiritus intus compreſſus, & illum urina-

tores impellit, & iaculatur.

De amore Delphinorum in ſuum genus.
CAP. XVII.

VRbs Thraciæ, cui nomen eſt Aenos, præclarum dat teſtimonium Delphini amoris, quem erga ſuam nationem habet. Cum forte eueniſſet, Delphinus ut uulnere accepto, non mortifero quidem, ſed ſanguinem mittenti, caperetur: reliqui non comprehenſi, id ipſum ut ſenſerunt, maximis ſaltibus ad portum gregatim profecti, probe ſtudium ſuum captiuo nauarunt. Paruuli Delphini cum ijs qui ſunt confirmata ætate ideo natare ſolent, quia nondum ex ætatis infirmitate ſoli audent. Hi igitur adoleſcentes de ſuis periculis pertimeſcentes, captiuum deſeruerunt. Natu maiores, tanquàm ſocium quendam homines genere ſe contingentem, ſic ij triſtes pergebant illum comitari, & magno ſtudio ſubleuare: Cum uel homines ipſi cum intimis & neceſſarijs infelicibus ſuis ſtudium & curam perraro communicare ſoliti ſint.

De Delphino oppidi Iaſſi. CAP. XVIII.

AD Iaſſum urbem Delphini amores iandudum decantati erga formoſum puerum, nō ſine mea commemoratione, & literarum memoria mihi relinquendi uidentur: Itaque cum Iaſſium gymnaſium, ubi pubes Iaſſia exerceri ſolita eſſet, mari adiaceret, unde pueri, qui nondum ex ephebis exceſsiſent, poſt exercitationes in curriculo ad mare peruenientes, antiquo more lauarentur, ex ijs natantibus ad unum aliquem

aliquem formæ pulchritudine præſtantem Delphi-nus quem ardentiſsime amaret, proxime profectus, primò exterruit puerum, pòſt uero conſuetudine uterq; in alterius amorem ſe inſinuans, beneuolentia coniuncti fuerunt, atque inter ſe firmam amicitiam fecerunt: ac iam inuicem ludere cœperunt, modò adnantes inter ſe certabant, modò puer tanquam pullum equiſo, ſic in Delphinum ſubnatantem aſcendẽs & audacius exultans, in amaſio ſedebat: quod quidem facinus ſummam Iaſſenſium & hoſpitum admirationem habebat. Enimuero Delphinus puerũ amores ac delitias ſuas uehens longiſsimè in mari procedebat, atque adeo tam longe, quàm puero inſedenti placeret, progrediebatur: Deinde ex alto reuertens, eundem illum littori reddebat, atque mutua dimiſsione uterq; ab altero, hic quidem in maris altitudinem, ille uero domum ſuam diſcedebat. Iam porrò ad tempus cum gymnaſia dimittebantur, ad excipiendum puerum Delphinus præſto erat: Puer autem cum ex amaſij expectatione, & eius colluſione uoluptate afficiebatur, tum ſupra humanam conditionem formoſus circumſpiciebatur, qui ſanè non modò hominibus, ſed beluis quoq; ratione carentibus formoſiſsimus, & ſi non certe diu, uideretur: ſiquidem fato quodam ſuccubuit. Cum enim permultum ſe exercuiſſet, & currendo defatigatus eſſet, ſupra dorſum Delphini ſeipſum temerè iniecit, non animaduertens aculeatam ſpinam dorſi erectam eſſe, atque horren-

tem,cuius acuminibus eius umbilicus quia exulceratus eſſet, ex eo factum eſt,ut & uenæ quædã abrumperentur, & permultus ſanguis effluerct, ibiq́ puer extremum ſpiritum effunderet. Id Delphinus partim ex pondere ſentiens, non enim iam ut conſueuerat tam leuis & expeditus inſidebat, nempe qui ſpiritibus ſeſe non ſubleuaret,partim ſanguine imbutum mare cernens, id quod res erat ut intellexit, amaſio ſuo ſuperſtes uiuere noluit. Quamobrem multo robore quemadmodum nauis remigatione & plenis uelis propulſa,ſic ſimul cum defuncto in littus ſe expulit,atque eijcit,amboq́ hic iam quidem mortuus, ille uero animi defectione exſpirans, humi ſtrati iacuerunt. Laius ô bone Euripides non tale facinus propter Chryſippum cõſciuit,quamuis, ſicut tu ipſe ais, & fama docet Græcorum,primus pueros amare cœperit. Iaſſenſes ciues, ut illorum uehementem amorem cum honoris gloria compenſarent,ſepulchri monumentum commune utriuſq; & formoſi pueri & Delphini amatoris conſtituerunt,& ſtatuam quæ forma eximia puerum in Delphini dorſo ſedentem haberet,excitarunt,atque etiam numiſmata ex argento atque ære fecerunt,& eorum imaginibus ſignauerũt, ad demonſtrandum utriuſq; miſerabilem caſum, ac nimirum tantum facinus memoriæ tradiderunt, ut dei amicum honorarent. In urbe Alexandria Ptolemæo ſecundo regnante,ſimili amore Delphinum flagraſſe audio,quæ ſi Herodotus nouiſſet, minus ſicut mihi

mihi uidetur, ea quæ de Arione Methymneo dicuntur, miratus fuiſſet.

Parem gratiam Delphini bene de ſe meritis referunt. CAP. XIX.

AD referendam gratiam delphini hominibus iuſtiores ſunt, cum tamen lege Perſarum quã laudibus tollit Xenophon minime teneãtur. Cœranus ſic nuncupatus, natione Parius, à piſcatoribus delphinos ad Byzantium captos argento redemit, & liberos dimiſit: ex ea libertatis largitione hanc collegit gratiam, ut naue quam uiris (ſicut in ſermonẽ hominum uenit) Mileſijs uectoribus plenam duceret, in medijs anguſtijs Parij maris funditus euerſa, & uectoribus naufragio perditis, illum ipſum delphini ex hoc periculo ſeruarunt, eiq; ad parem gratiam cum beneficio quod priores ab ipſo accepiſſent, perſoluẽdam ſatisfecerunt: quod quidem ipſum ſaxum nomine Cœranium, quo ipſum expoſuerunt, facile oſtendit. Itaque poſtea Cœranum mortuum ſecundum mare illud cognatione ei proximi ſepultura affecerunt: quod quidem ipſum, ut delphini ſenſerunt, frequentes tanquam ad iuſta funeri perſoluenda ad littus conuenerunt, & quoad pyra arderet, tandiu ſicut amicis fidi amici permanſerunt: Deinde reſtincto rogo diſceſſerunt. Non item certe homines ac potius uiuos colunt, & eos quidem diuitijs diffluentes & opibus. Contrà uero ab ijs defunctis & ſi iuſtis exequiarum carent, ſe totos auertunt, ut ne gra-

tiam pro beneficiis, quibus ab eis dum uiuerẽt, affecti fuerunt, perſoluant.

De amore & muſicæ ſtudio Delphinorum. CAP. XX.

QVanto Delphinis in ſtudio muſica ſit, ex Arione Methymneo Aegyptij & Lesbij teſtantur, quãtoq́; iidem ipſi amatorio affectu flagrent, Theitæ delphini de amore erga eleganti forma puerum prædicant. Leonida autem Biſantius in urbe Pleroſelino nuncupata, ſe cum Aeolida nauigando præteruheretur, delphinum in illius portu urbis habitantem, ciuibusq́; huius tanquã hoſpitibus ſuis utentẽ uidiſſe confirmat. Idemq́; affert hunc delphinum de manu aniculæ cuiuſpiam, eiusq́; mariti educari ſolitũ fuiſſe, plenosq́; inuitamentis cibos illi ab eiſdem ſuppeditatos fuiſſe: neq; tamen, puer cum eis eſſet infans pariter alendus, illum alere deſtitiſſe, ſed ambos educaſſe: ex quo conuictu delphinus puerq́; mutuum inter ſe amorem conciliarunt. Delphinus urbem, quam dixi, ueluti patriam ſuam flagranti ſtudio amplexabatur, portumq́; tanquã domum ſuam amanter incolebat, & ſuis nutriciis gratiã educationis ſic perſoluebat, ut cum ætate grandis factus eſſet, deq́; manu educantiũ cibum capere non haberet neceſſe, iam longius progrediens, & ex prædis quas capiebat partim ſibi ad prandiũ haberet, partim ſuis educatoribus adferret: unde fiebat hi uehementiſsime lætarentur, ab eoq́; il-

lud

lud uectigal acerrime ſibi & puero expectarent, nomenq́ſ ſimiliter delphino ut puero impoſuerãt. Puer ex illa uiuendi cum delphino conſuetudine hanc collegerat fiduciam, ut ex crepidine, locisq́ è mari eminentibus illum auderet appellare, facileq́ ad ſe leni appellatione euocaret, ac ſiue ille remigationẽ quandam contenderet, ſiue cum alijs gregatim errantibus luſione aliqua delectaretur, totũ gregem præ ſtudio feſtinandi uenire ad puerum deſultaret, ſiue multa fame preſſus uenaretur, illum tamen puer tanta celeritate reuocabat ut uehementi impetu more nauis plenisſimis uelis impulſæ ferretur, atq; ad puerulum appropinquans, ad illum luderet, & adſiliret, nunc circum illum adnans, nunc illum ipſum uelut prouocans, ut ad certamen ſecum amaſium ſuum alliceret. Hæc cum delphino qui uetulis & puero uectigalis eſſet prædicata, tum alia pleraq; quæ urbs illa habebat, ſpectaculum prætereuntibus dare ſolebant.

De Piſcatorum Euboicorum communione prædæ cum Delphinis. CAP. XXI.

EVboicorũ hominum ſermone huc narratio quędam perlata eſt: illorum piſcatores pariter æqualiterq́ cum delphinis piſceis quos cæperint communicare audio, ad huiuſmodi piſcatum tempeſtatum quietem opus eſſe, id quod ſi acciderit, tum de prora laternas quaſdam piſcatores ſuſpendunt, quæ etſi intra ſe ignem habeant, ſic tamen lucem tranſmittũt,

ut ignis quidem obtegatur, lumen uero transluceat, piſcibus ſplendor timorem facit,& moleſtiam affert, quare inſidiarum ignoratione obſtupeſcentes quid ſibi uelit quod uident appropinquare aggrediuntur, cauſam tanti ſui timoris cognoſcere ſtudentes. Cuius rei conſideratione perterriti, aut ad ſaxum quoddam ſtant frequentes cum tremore & metu, aut ad littus impulſi exiliunt, ſic obſtupefacti, ut de cœlo tacti eſſe uideantur, facileq́ iam ſit tridente percutere. Delphini cum ignem à piſcatoribus incendi animaduertunt, ſeipſos ſtatim ad ſubſidium ijs ferendum comparant, & illi quidem ſenſim & pedetentim remigant, ij uero formidine exterrentes impellunt piſces, eorumq́ effugia reprimunt, ne elabi queant: ij igitur & ex delphinorum natatu, & piſcatorum remigatione undique in anguſtias compulſi, quòd ſentiunt ſibi nullum ex tàntis anguſtijs exitum patere, idcirco ſtant & manent: unde efficitur, ut eorum magnus numerus capiatur. At tum delphini uelut repetentes communis laboris remunerationem, ſibi debitam ex illa piſcatione, eo procedunt, quibus predæ auxiliatoribus ſi cum fide & grato animo piſcatoris æquabilitatem diſtribuant, perſuaſum his habetur, qui in re maritima uerſantur, rurſus ad piſcandum, etiam ſi minus inuitentur, adiutores fore: ſin autem piſcatores prædam cum his communicare omiſerint, hoſteis experientur, quos antè amicos habuerant.

GIL

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum ad Puteolos puerum Delphinus amauit. CAP. XXII.

ATque ut magis ætatis noſtræ permulti homines ab omni ingenuitate diſciplinarum auerſi, ad animalium notionem manſueſcant, qui nullum alium animalium ſenſum agnoſcunt, niſi quem palatus ſapit, adiungam quæ Appion Aegyptiacorum libro quinto ſcribit, ſe ad Puteolos uidiſſe Delphinum, cum à puero quem uehemẽter amabat, Simon appellaretur, ad eum ipſum accedere, & pinnarum aculeis quaſi uagina incluſis, ne amans læderetur, aſcendenti dorſum præbuiſſe, & inſedentem ſæpe triginta paſſuum millia peruexiſſe: ad quod ſpectaculum Roma atque ex tota Italia concurſum factum fuiſſe: ac nimirum poſtea quàm puer ex morbo perijſſet, Delphinum ſæpe ad conſuetum littus adnare ſolitum fuiſſe, cumq; tandem puerum in primo uado ſe expectare ſolitum nuſquam uidiſſet, eius deſideratione extabeſcentem uitam amiſiſſe, in puerique ſepulchro ſepultura affectum fuiſſe.

De natatione Delphinorum. CAP. XXIII.

DElphinus fœmina ſimiliter atque mulier mammas habet, ſimul & uberrimo lacte catulos ſuos lactat: ex ætatum ratione diſpoſiti, gregatim natant, etenim perparuuli etiam nunc ex ætate infirmi in primo ordine locantur, hos natatione proximi ſequũtur qui ſunt confirmata ætate: nam Delphinus cum ca-

tulorum ſuorum amantiſsimum animal eſt,tum de ijs uehementer metuens,diligenti cuſtodia eos conſeruat: ac nimirum ſic natant,ut tanquam in militari cuneo alij in prima acie,alij ſecunda,alij tertia conſtituantur: natu minimi ante prænatant, poſt uero hos fœminæ ſequūtur,deinde mares extremum agmen ducentes,filiorum & uxorum nationem inſpiciunt, atque obſeruāt. Quid ad hos Neſtor bone Homere? quem ais ad inſtruendas acies principū ſuæ ætatis præſtantiſsimum fuiſſe.

De eorum intellectu & prudentia.
CAP. XXIIII.

QVàm uehemēti Delphini muſicæ amore teneantur,quamque admirabili ad uocis cantum ſtudio concitētur, ſermone & literis multorum longe lateque peruagatum eſt: quàm item hominum amantes ſint, cum alij plerique ſcripſerunt,tum nos, ante explicauimus: nunc iam de intelligendi prudentia dicere, non alienum eſt. Simul enim ut in retia Delphinus incidit,ſtatim primo quidem quiete & libere manet, neque omnino fugere meminit: ſed & epulatur, & alios ſecum captos depaſcitur, & tanquam huic condictum eſſet conuiuium, ex ijs exſaturatur. Deinde cum ſe extrahi atque ad littus appropinquare intelligit, dentibus lacerato reti, è ſeruitute liberatur. Iam ſiquando piſcatores poſteaquàm captiui Delphini nares holoſcœno iunco traiecerint,quodam obſequio atque indulgentia eum ex poteſtate idcirco dimittant ſeruitute-

tuteque

tuteq́ liberent, ut hac notionis nota inuſta, ſi iterum capiatur, apertiora det indicia, ſe aliàs captum & ſeruatum fuiſſe. Is uelut indicium & notam priſtinæ captiuitatis ueritus, non amplius ad ſaginam appropinquat. Cum Delphinus quiſpiam comprehenſus in piſcatoriam ſubtractus eſſet, alij tum permulti nauiculam hanc circũnatantes, tandiu ſe ibi crebris ſaltibus uerſarunt, & tanquàm piſcatoribus pro huius ſalute ſupplicantes, prouoluerunt, dum piſcatores ad captiui miſericordiam inducti fuiſſent, eisq́ ita ſuppliciter quaſi petentibus ceſsiſſent, atque irretitum ex uinculis in libertatem expediuiſſent.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum Delphini lugent ſuam mortem.

CAP. XXV.

A Delphinis captis tanti fletus gemitusq́ fiunt, ut cum in naui, ubi permulti Delphini tenebantur, pernoctarem, mihi acerbiſsimum dolorem inuſſerint: adeo eos animaduerti humano gemitu, & lamẽtatione, & magna lachrymarum ui ſuam conditionẽ deplorare, ut ego huiuſmodi piſcium miſericordia lachrymas tenere non potuerim: ut proximum, quem magis gemere ſentiebam, dormiente piſcatore in mare abiecerim: malui enim lædere piſcatorem, quàm mihi ad pedes ſtratum, quaſi ſupplicantem nõ ſubleuare: ſed nihil promoui hoc abiecto, reliqui alij magis magisq́ gemitũ auxerunt: ut non obſcuris ſignis mihi uiderentur petere ſimilem liberationem. Itaque

totam noctem in acerbiſsimo luctu uerſatus ſum.

GYLLII ACCESSIO.

De coitu Delphinorum. CAP. XXVI.

DElphini ſimiliter atque homines complexu uenereo iunguntur, atque horum penis perinde quaſi hominum arrigitur: non enim ſemper patet, ſed occultatur. Cum autem ad coitionem inflammãtur, extra eminentem proferunt: horum fœtus uel à partu recentes circum matrem natantes ſaliunt, modò in maternũ os intrant, modò circum oculos erratica natatione uerſantur. Hæc uero eos incredibili gaudio perfuſa circumplectitur, & mammas in ſingulos diſpertit, eiſdemq; iam admodum adoleſcentibus ad natandum dux exiſtit, & docet quemadmodum piſces comprehendere oporteat: neque prius quàm confirmatiori ætate ſint, à parentibus diſcedunt: neq; hominum quiſquam tam auerſus eſt ab omni humanitate, quin ex natatione ipſorum ſummam uoluptatem capiat, cum mari tranquillo, uentisq; leniter flantibus, Delphinorum gregem uideat natos antegredientes, uarium & multiplicem pinnarum gyrum agere, atque à tergo parentes uenientes obſeruare catulos ſuos, néue in beluas incidant, néue etiam piſcatorum inſidijs attententur.

GYLLII ACCESSIO.

De præſtantia Delphini. CAP. XXVII.

IS in omne propemodum piſcium genus dominatur: neque modo robore præſtat, ſed & formæ pulchritu

pulchritudine & celeritate excellit: nam tanquam ſagitta neruo expulſa, ſic ad natandum uelox eſt. Et ſimiliter atq; uolucribus aquila, terrenis leo imperat, & ſerpentibus draco, in piſcium natione hic dominatur: neq; enim ad eum piſces appropinquare, neque intueri audent: quòd ſanè eum regem ſuum timeant. Is cum cibum inquirit, multos piſcium greges turbat, eorūdemq́; longā & latam fugam facit, omnesq́; maris meatus timore implet: nimirum optimum quenq; diripit & prædatur.

De manſuetudine & diuinatione Crocodilorum. CAP. XXVIII.

DE Crocodilis hanc etiam auditionem ex Aegyptijs accepi, ſacros eſſe, & manſueſcere, & à miniſtris ſe facile contrectari ſuſtinere, & ſibi fruſta eſculenta in dentes inſita, extrahētibus patulum os præbere, atque antiquiores & præſtantiores diuinatione pollere, Aegyptij ferunt: idq́; Ptolemæi teſtimonio comprobant: eum ſane cum ex crocodilis antiquiſsimum & præſtantiſsimū appellaret, non exauditum fuiſſe: cum cibaria ei comedenda obieciſſet, reieciſſe: inde ſacerdotes collegiſſe, ex Ptolemæo idcirco crocodilum, quòd eum uicinum ad moriendum prænoſceret, cibum capere noluiſſe.

De Crocodilo & Trochilo. CAP. XXIX.

CVm his qui ſibi adiumētum importare queunt, etiam acerrime fera animalia pacem gerunt, & fœdere deuinciuntur, ingenitoq́; ſibi malo ſe exſol-

uunt. Cuiuſmodi Crocodilus cenſendus eſt, quẽ inter natandum hiantem hirudines in illius os innatantes referciunt, cum moleſtiam illi exhibent: id ille ſentiens, Trochilo ad medicinam dolori ſuo faciendam eget. Itaque hirudinibus ubi confertus eſt, ad littus progreſſus, & ſolis radios intuens aduerſos maxime hiat: tumq́ꝫ trochilus in illius fauces roſtrum inſerẽs, hirudines extrahit: quod facilime patitur Crocodilus, ſentiens auxilium: ita fit, is hirudinibus ut prandeat, ille adiuuetur, proq́ꝫ præmio Trochilo computat, quòd nihil eum ledat. Ad hanc rationem de Nilo aquam haurientibus crocodili abſtruſas inſidias inſtruunt: nam per uirgulta, quibus ſunt tecti: & intuentur, & ſubter ea ipſa natantes, & ſic operti, ſe ad littus magnis ſaltibus incitant, confeſtimq́ꝫ ex uirgultorum latebris erumpentes, aquatores dum aquam hauriunt uiolento raptu interceptos deuorant: quod quidem ipſum Crocodilorum malitiam & fraudem facile oſtendit. Duo Crocodilorum genera Ganges fluuius generat. Horum alteri nihil nocent, alteri inexorabili atqꝫ immiſericordi in quidlibet uoragine carniuori ſunt. In eorum ſummo roſtro, quiddam tanquam cornu eminet: Iis ipſis administris ad ulciſcendos maleficos, turpiſsimis iudicijs conuictos, Indi utuntur: nam eoſdem rerum capitalium dãnatos eis obijciunt: neqꝫ ad percutiendos eos ſecuri, laqueóue ad frangendam ipſorum ceruicem carnifice egent. In tam ualde magnã ſæpe magnitudinem

tudinem excreſcit Crocodilus, ut Pſamnitichi Aegyptiorum regis tempore Philarchus uiginti quinque cubitorum dicat uiſum fuiſſe: regnante Amaſide, ſex & uiginti cubita exceſsiſſe. Amometus in quadam Libyca urbe dicit Sacerdotes ex lacu quodam cantionum illecebris præſtrictos Crocodilos decem & ſeptem cubitorum educere. Ad comprehendendos homines, aliáſue beſtias, Crocodilo hæc eſt malitia & ueteratoria, ut quâ nouerit eos in flumen deſcendere, uel ad aquationem, uel ad conſcenſionem in naues, uiam ore, quod quidem ipſum multa compleuerit aqua, de nocte madefaciat, præcipitem efficere ſtudens, quo faciliorem ſibi captu prædam reddat: ij ſane quoniã lubricum gradum ſuſtinere non queant, præcipites aguntur, & crocodili impetu corripiuntur, & deuorantur. Iam tametſi non pauca ſint Trochilorum genera, & nomina, quæ ſanè quidem quoniam dura ſunt, & ab aure religioſa & terete auerſa, prætereo: haud quaquam cum ijs omnibus fœdere deuincitur, amicitiamq́; colit Crocodilus, ſed cũ ſolo nuncupato Cladorincho ſocietatem, atque amicitiam facit. Enimuero nulla hic offenſione hirudines ei legere poteſt.

De Crocodilis & Accipitribus. CAP. XXX.

CRocodilus natura timidus, improbus, malitioſus, fallax cum ad rapinas faciendas, tum ad comparandas inſidias acerrimus, & promptiſsimus exi-

ſtit, omnem ſtrepitum perhorreſcit, humanam uocem contentiorē extimeſcit: eos à quibus paulo confidentius inuaditur, reformidat. Teteryntæ, ſic nuncupati Aegyptij, qua ex parte comprehenſibilis, atq; expugnabilis ſit, præclare intelligunt. Etenim eius oculos, quòd ſint hebetes, planè ſciūt peropportunos eſſe ad uulnus accipiendum: atq; etiam eiuſdem uentrē, quia molli & tenui ſit cute, idcirco commode feriri poſſe. Contra uero tergum, & caudā ab omni ictu inuicta ideo exiſtere, quòd tecta ſint, & quaſi armata ſquammorum robore, teſtis, cruſtisue haud diſsimilium. Ii igitur quos modo dixi populi, eos comprehendere ſoliti, tam ualde ijs ipſis inimico infenſoq; animo ſunt, ut illic fluuius à crocodilis tantopere conquieſcat & liber ſit, ut fidenter ibidem natatio exerceri poſsit. Non item in Ombitis, uel Coptitis, uel Arſinoitis tutum eſt aut pedes lauare, aut aquam haurire: ſed neq; in ripis inambulare, niſi ſumma cautione, liberum eſt. Iam accipitrem Teteryntæ ſanctiſsime colunt. Contra eos Coptitæ ut crocodilorum hoſtes odio adducti ſæpe in crucem agunt. Porrò hi ob ſimilitudinem quam cum aqua crocodilis eſſe affirmant, hos diuino honore afficiunt. Illi autem accipitrum genus adorant, propter comparationem quam cum igne ijs eſſe affirmant: atque huius rei teſtimonium afferunt, quòd ſimiliter atq; ignis hi ueloces & uiolenti ſint, tum etiam aquam ſimul cum igne exiſtere non poſſe afferunt.

Quemad

Quemadmodum erga Crocodilos Aegyptij ſunt affecti. CAP. XXXI.

CRocodilorum colentes Ombitæ Aegyptij populi, ſic hos dierum celebratione dignãtur, quemadmodum magnificentiſsima celebramus Olympiæ certamina. A crocodilis ſuos liberos rapi mirifice gaudẽt, & matres ex eo magnam lętitiam uoluptatemq́ capiunt: & ſimul magnificè, & amplè de ſe ſentiunt, quæ nimirum deo cibaria pepererint. Contrà Apollonopolitæ comprehenſos ex alto ſuſpendunt, atque eos primum flebiliter gementes, permulta uerberatione affligunt: deinde ijs conciſis ueſcuntur. Sexaginta dies uentrem ferunt, ſexaginta oua totidem diebus ex ſeſe pariunt, totidemq́ dies hæc fouent. Sexaginta uertebras in ſpina habent, quam totidem neruis alligatam eſſe ferunt. Curatio partus ab eiſdem ſexaginta diebus peragitur: annos uiuunt ſexaginta: totidem dentes poſsident: totidem quotannis dies ſine ullo cibo in latibulis quieſcunt. Iam Crocodili qui in paludibus, manu Ombitarum factis, nutriuntur, eis domeſtici & uernaculi ſunt, & ſe appellantes intelligunt. Capita idcirco hoſtiarum eis edenda obijciunt, quòd ea ipſi non comedunt. Apollonopolitæ eiuſmodi beſtiam oderunt, quòd dicant, Typhonem eius formam induiſſe. Alij non ob eam cauſam, ſed quòd Pſamniti regis iuſtiſsimi uiri filiam Crocodilus rapuerit, eius cladis recordatione ſuos poſteros uniuerſam eorum nationem odiſſe. Cum ex ſeſe

pepererunt, hoc experimēto legitimum ab ſpurio internoſcunt, ut ſi quid ſimul atque excluſus eſt, rapuerit, in reliquum tempus in Crocodilini generis numero locoq́ à parentibus ducatur: ſin ignauia eũ ipſum tardauerit, ad comprehendendam alicunde aut muſcam aut lacertulas, eum parens tanquàm à ſe degenerantem, nihilq́ ad ſe pertinentem lacerat, atque tanquàm ad ſolis radios aquilæ ſuorum ingenuitatē experiuntur, ſic celeri alacritate prædam capiēdi ij ſuos probant.

GYLLII ACCESSIO.

De Crocodilorum paſtu. CAP. XXXII.

AD Arſinoen, ante Crocodilorum oppidũ nuncupatum, Crocodili magnam religionem habent, ut eximie certo quodam lacu panis uſu & carnium alantur, tum uini potione, quæ omnia à peregrinis, qui ad horum ſpectaculum ueniunt, afferuntur. Strabo dicit hoſpitem ſuum, honoratum uirum, ſecum placentas, & aſſas carnes, & plenum mulſi uaſculum Crocodilo apportantem, ad lacum profectum fuiſſe, & beluam in ripa offendiſſe, eiusq́ os partim ex ſacerdotibus aperuiſſe, partim primum placentas in oris hiatum immiſiſſe: pòſt carnem, poſtremò mulſum inieciſſe: Huncq́ deinde in lacum inſiluiſſe, & in contrariam ripam perueniſſe. Atque etiam cum alius hoſpes dona eidem afferret, cum ſacerdotibus lacum circumiſſe, inuentoq́ crocodilo ſimiliter obtuliſſe. Plutarchus commemorat quendam nomine Philinum

num,qui Aegyptum obiuerat,ſibi narraſſe, ſe in oppido Antæo nuncupato, aniculam inſpexiſſe, ſimul cum Crocodilo in lectulo dormire, eidemq́; hũc porrectum adiacere. Si quando à petita præda oberrarit, ſibi ipſe iraſcitur: animalia quæ cæperit, multa caudæ ſuæ uerberatione debilitat: nam in hac parte Crocodili præcipua uis eſt. Teſtudines & Crocodilos dicunt cum in terra partum ediderint, obruere oua, deinde diſcedere, ita & per ſe naſcũtur, & educantur. Eſt etiam admiratio in beſtijs aquatilibus his quæ gignuntur in terra ueluti Crocodili, aquatilesq́; teſtudines ortæ extra aquam, ſimulac primum niti poſſunt, aquam perſequuntur.

FINIS LIBRI X.

LIBER VNDECIMVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM

De Thynnis. CAP. I.

TEMPORVM commutationẽ Thynni ſentiunt, Solſtitia præclare noſcut, nihilq́ ijs ad hanc rem cœleſtium rerum peritis opus eſt: ubi eos hyemis initium deprehenderit, ibi libenter cõmorantur, & ex eo loco ad uernum æquinoctium nõ ſe commouent. Eoſdem Ariſtoteles ait altero oculo acutius, altero hebetius uidere. In quem hoc idem cõſentit Aeſchylus, cum inquit, Siniſtrum oculũ Thynni more intorquens, eoq́ limi & obſcuro aſpiciens. Pontum ingredientes, ad dextrum latus unde acrius uident, terram conſtituunt, egredientes ad contrariũ littus ſe accommodant, & terram ſecundum eum oculum quo clarius uident, ſtatuentes nauigant.

Cur uota nuncupent Neptuno Thynnorum piſcatores. CAP. II.

CVm Thynni circumretiti tenẽtur, Neptuno malorum depulſori piſcatores uota faciunt, ne Gladius piſcis, neue Delphinus in captiuorum numero ſit. Nam ſæpe Gladius, qui iam ſit ætate confirmata, lacerato reti Thynnorum gregi irretito, ad ſe exuendum ex laqueis facultatem dedit. Delphinus etiam

ad

ad moliēdas retibus inſidias acerrimus, iјs perniciem affert. Quemadmodum in Propontidem Thynni innatant & enatant, ſupra ſcripſi: iam porrò qui Hiradiam, Tion, Amaſiam, ponticas urbes incolunt, planè ſciunt quo anni tempore eiuſmodi piſces eò accedant: Quare permulta contra eos inſtrumenta comparant, naues, retia, ſpeculam in excelſum excitatam, quam in littoris eminenti loco, & circunſpectum facilem habenti, defigunt: cuius conficiendi rationem moleſtum mihi non erit explicare: Tigna bina excitant, intercepta & iūncta inter ſe, trabibus latis & crebris immiſsis, & facilem aſcenſum ſpeculatori præſtantibus, Singulæ naues utrinq; ſex iuuenes expedite remigantes habent, retia bene longa ſunt, itaq; uerno ſole illucente, uentis placide & tranquillè flantibus, cœlo læto & quaſi ridente, conquieſcente à tempeſtatibus mari, frequentes Thynnorū piſcium greges in Pontum innatant: quod quidem ipſum ſimul ex ſpecula prudenter & acute ſpeculator proſpexit, piſcatoribus unde ueniant, denunciat. Hi ad uocis ſignificationem retia tendunt, ac ſi intra retia ingrediantur, ſicut dux exercitus, hoc ipſum ſigno dato edocet. Cum Thynnorū cohortes in altum ſeſe incitauerint, is qui ex ſpecula acerrima oculorum acie horum actiones obſeruat, contenta uoce exclamat, rectà ad altum remigationem contendendam, illucq; inſequendos eſſe: hi porrò alligato ad alterum tignū, quod ſpeculum ſuſtinet, perlongo retium fune, na-

ues ordine remis propellunt. Poſtquam enim ſingu lis manibus rete diſtentum eſt, prima nauis, ubi ſuam retis partem eiecit, diſcedit: hoc idem facit deinceps ſecunda, & tertia, & quarta: qui quintam remis impel lunt, adhuc idcirco cunctantur, quòd hi nunquã laxare debẽt: Deinde alij aliò remigãt, & pro ſe quiſq; retis partem trahit, poſtea quieſcunt: Thynni circum uallati non ſe loco mouent, itaq; comprehenduntur.

De Thynnis Bubonicis. CAP. III.

AD promontoriũ Bubonicum innumeræ Thynnorum gentes uerſantur, eorũ maximi ſimiliter ut ſues ſoli, & ſeparatim natant, alij more luporum bini proficiſcuntur, alij quemadmodũ capræ, quæ in lactis paſtionibus gregatim paſcuntur. Exoriente Canicula & ingraueſcente æſtiuo calore, in Euxinum natare contendunt, & marinis fluctibus ab feruidè radiato ſole caleſcentibus, inter ſe uelut conſerti contextiq; confertis turmis natant, & corporũ coniunctione ad perfruendam opacationem colligantur.

Quemadmodum Thynnorum piſcationem Itali & Siculi nuncupant. CAP. IIII.

THynnorum piſcationem Itali & Siculi Cetiam appellare ſolent, tum loca quo hi abdi ſoliti ſunt, tum magna retia, cæterumq; inſtrumentum quo captari aſſueuerunt Cetotheria. ideo nominant, quòd magnos Thynnos in numerũ reliquorum cetaceorũ referre uelint. Celtas audio, & Maſſilienſes, atque omnem Africã maximis & firmiſsimis hamis ex ferro

conſe

confectis Thynnos comprehendere ſolere.

GYLLII ACCESSIO.

De Thynnorum mathematica ratione.

CAP. V.

AEquinoctia & ſolſtitia tam præclare Thynnus intelligit, ut ea etiam hominem doceat, neq; ad eorũ notionẽ Aſtrologicis canonibus eget: ubi enim cunq; terrarũ hunc bruma cõprehenderit, ibi tandiu cõmoratur, quoad æquinoctij tempus uenerit. Nam quod ad coeundã ſocietatẽ, & mutuũ inter ſe amorẽ tuẽdũ Thynnis arithmeticę rationes opus ſunt; idcirco, mathematicã diſciplinã exacte tenent, ut gregatim natantes, ſemper figurã quadratam efficiant, atq; ſex lateribus comprehenſi, ſoliditatẽ ex ſemetipſis omnibus conſtituant, & quadratũ ordinem ex omnibus lateribus in natando ſeruent, ut ſi ſpeculator eminẽtes Thunnos probe numerare ſciat, ſtatim totius gregis numerũ ineat, quòd ſanè præclare teneat; altitudinẽ latitudini, & longitudini, æquali ordine reſpondere debere. Thynna nullum iniquiorẽ piſcem cenſeo neq; ſcelerationẽ in mari uiuere. Primum enim ut ex ſeſe peperit, ſtatim ſuam procreationẽ, quantãcunq; capere poteſt, immiſericors deuorat.

De Siluris piſcibus. CAP. VI.

IN Bubaſto Aegyptia ſtagnum eſt, ubi cicures permulti Siluri aluntur, & exultantes alij in alios ſaliunt, & obiecto ad ſe nutriendos pane paſcuntur: ijdem etiam in fluminibus procreantur, ut in Cydno

Ciliciæ fluuio: ſed ij quidem idciro minuti proueniũt, quòd eius confluens nitidus & frigidus ſit, quo non ipſi delectantur, ſed turbido potius, ac planè limoſo, eoq; pingueſcunt: & Pyramus quidem, atque Sarus Cilices fluuij, eos longe pleniores ferunt, tum Orontes Syrorum fluuius eos progignit. Ptolemæus item fluuius, & Apamienſe ſtagnum maximos generant. Permultis deniq; locis manſuefacti piſces, & ſe appellantibus obtemperãtes aluntur: ut in Epiroticæ, olim nuncupatæ Stephanepoleos, templo, atq; in Peloro Siculo olim Syracuſiorũ propugnaculo: tum in templo Iouis Labradei fons nitidus manſuetos piſces habet, monilibus, & aureolis inauribus ornatos, quod quidem templum ſeptuaginta ſtadia ab urbe Milaſa diſtat. Ex huius Iouis ſtatua gladius, nomine Carius, appenſus, ideo uneratione habet, quòd Cares primi officinas belli inſtituerũt, pecunia militarunt, loris clypeos appenderunt, criſtas galeis accõmodarunt. Cares ſunt appellati à Care Ioue Cretẽſi: Iupiter Labradeus nominatus, quòd permultum pluiſſet. In Chio ad portum, nuncupatum γερόντων, cicurum magnus eſt piſcium numerus, quos Chij ad ſolatiũ ſenectutis exacta ætate affectis alunt. Inter Euphratẽ & Tigridẽ fons intereſſe prędicatur, cuius aqua uſq; ad imã ſedẽ perlucida eſt, & fluuius nomine Bura aquã albã emittit, ubi piſcium manſuetorũ greges exultantes errant.

Quemadmodum Iſtrianus Silurus capitur.
CAP. VII.

Myſi,

MYſi, non ij qui Telephi Pergamum incolunt, ſed inferiores, qui ad Pontũ prope Heracleam, & Tomin accedunt, quiq; munitis natura locis Scytharum incurſiones propulſant, talem piſcandi rationem tenent, ut Iſtrianus piſcator ad Iſtri ripam boum par impellat, non ad arandum, nam quemadmodum (ut in ſermonem hominum uenit,) nulla boui communitas cum Delphino intercedit, ſic piſcatoris manibus unde amicitia cum aratro? Sed ad piſcandum potius iugatos boues, aut equos in ea loca primum impellit, ubi commodam piſcationem arbitratur, atq; ad ripam iumentis pabulum apponit, unde interea hæc complentur, poſtea funis bene robuſti alterum caput ad medium iugum alligat, ex altero capite hamum appẽdit, quem aſſo tauri pulmone inſtructum, ad illiciendum Silurum deijcit, ex linea ad quam hamus alligatus eſt, quantum ſatis eſt plumbi ad moderandum tractum appendit: ubi Silurus bubulæ eſcæ ſenſum percepit, ſtatim eſcam appetens, hamum incaute deuorat, & transfixus ex eo euadere cupiens, omnibus uiribus funem exagitat, quod quidẽ ipſum animaduertens piſcator, cum ſummo gaudio quàm mox à ſeſſione exurgit, & boues equóſue admotis ſtilis incitat, ac iumentis cum cetaceo bene robuſto luctatio eſt: Nam hic Iſtri alumnus omni uirium contentione in altitudinẽ deprimit, illa contrà retrahunt: ſed piſcis uincitur ex amborum tractu, atq; in ripam boum iugo expellitur.

De Caniculis marinis. CAP. VIII.

CAnicularum marinarum tria ſunt genera, quarum maxime quædam inter cete robuſtiſsima numerantur, ex reliquis duobus generibus, aliud Galeos, aliud Centrina appellari ſolet: quod colore uarium eſt, Galeos nominatur, reliquum genus, qui Centrinas appellarit, non errabit. Eis innati ſunt aculei duri, & aduerſus omnia reſiſtentes: quorum alter in capitis ſummo uertice, alter in cauda atque uenenatum quiddam habent. Poſtrema duo genera paruarum canicularum in cœno capiuntur. Piſcandarum ratio hæc eſt, album piſcem illecebram ad eas captandas demittunt, ex his ſi qua capiatur, cæteræ omnes hoc uidentes in captam inſiliunt, ac eam, niſi repellãtur, hamo ex profundo extractam ad nauem uſq; inſequuntur: inuidia quadam hoc eas facere exiſtimares, quaſi illa quæ capta eſt, ſibi uni eſcam aliquam prædata alicunde eſſet, atque ex ipſis nonnullæ in nauem inſilientes, ſæpe ſua ſponte capiuntur.

De Canicula marina. CAP. IX.

CAnicula marina ſimul atque peperit, nulla mora interpoſita, ſuos paruulos ſimul cum ea natãtes habet. Si quis uero eorum timeat, ingreditur rurſus per genitalia in uentrem matris: ubi timor abierit, is prodit, tanquam rurſus editus.

De Caniculis fluuiatilibus. CAP. X.

MVlta ante de Canibus marinis diximus: fluuiatiles caniculæ terreſtrium canum paruulorum ſpeciem

ſpeciem ſimilitudinemq́ gerunt. Piloſa ſunt caudæ: earum ſanguis aqua & aceto miſtus, intumeſcētes hominum neruos lenire exiſtimatur: atque ex pelle ipſorum calcei conficiuntur, qui neruis ſalutares eſſe dicuntur.

GYLLII ACCESSIO.

De Canicularum amore erga ſuum genus.
CAP. XI.

EX ſtudio & amore quo inter ſe mutuo ardent Caniculæ, & Centrinæ & Galei pereũt. Nam primũ ut piſcem ad hamum alligatum piſcator eò ubi domeſticam ſedem habent, deiecerit, ſtatim horum aliquis ore hiante atque imminenti eſcam appetit, & ſimul ſubtrahitur: quem captum cæteri omnes tam auide ſubſequuntur, ut ſimul uolentes perire, non ante fugiant, quàm ſocium extractum uiderint: Quare maxima horum magnitudo tridente, uel hamo, uel alijs machinis facile comprehenditur.

Quemadmodum Canicula ex Fuci herbæ ſucco perit. CAP. XII.

SVmma æſtate Caniculæ & cæteræ maris beſtiæ, quibus innata audacia eſt, ad prærupta maris littora accedunt, & in ſummos fluctus, atque in anguſtos & altos ſinus innatant, pelagias ſedes & commorationes fugiunt: & pelagiam pabulationem contẽnunt, in ſaxis ad imam maris ſedem adhæreſcentibus fucus herba naſcitur, cuius magnitudo inſtar Miricæ eſt, ſimilem fert papaueri fructum, alio anni tempore

concluſa manet, poſt ſolſtitium panditur ex inuolucro, quod quidem ipſum & tam durum, quàm teſtæ oſtreorum, & aſpectu flauum eſt, id uero quod intus eſt cæruleum eſt. Ex hac pernicioſum pharmacum manans, noctu igneum ſplẽdorem, & ſcintillas quaſdam iaculatur. Sub caniculæ exortum huius pharmaci malitia magis magisq́; ingraueſcit: ad eius floris ſpeciem flammeam marinæ caniculæ incurrẽtes, partim huius pharmaco epoto, partim in brãchias influẽti moriuntur, ac quàm mox in ſumma aqua fluitant: qui bene periti ſunt, in hoc inueſtigando pharmaco ex ijs cataceis aliud ex reliquis membris, aliud ex ore piſcis colligunt, quod quidem ipſum cynoſphaſtum appellant.

De Scolopendra & urtica. CAP. XIII.

SColopendra marina, terreſtri perquam ſimilis eſt, quam primum ut homo contigerit, ſtatim pruritu mordetur, & ſimili atque is qui ab urtica terreſtri pungitur, doloris ſenſu afficitur: piſces item Vrticæ pruritum mouent, & uredinem concitant, ſed non tam acrem quàm centipeda. Poſt æquinoctium Vrticarũ genus eſculentius eſt: Scolopendram terreſtrem ſaliua diſrumpi ferunt.

De Scolopendra cetacea. CAP. XIIII.

SColopendræ uim & naturam quanto equidem maximo potui ſtudio, cum multũ ac diu perſcrutatus eſſem: ſic mihi perſuaſi, quoddam etiam maximum cetum marinum Scolopendram eſſe, quam de mari

mari tempeſtatibus in littus expulſam, nemo eſt tam male ſanus & audax, quin aſpicere horreat: ij qui res maritimas percallent, eas inquiunt ſpectari eminentes è mari, & narium pilos magna excelſitate apparere, & eius caudam ſimiliter atq; locuſtæ latam perſpici, reliquumq; corpus conferri poſſe cum triremi iuſtæ magnitudinis: non enim intra aquam abditũ, ſed per ſummum mare innatans perſpicuum eſſe, atq; permultis pedibus utrinq; ordine tanquàm ex ſcalmis appenſis natare.

GYLLII ACCESSIO.

De Scolopendra. CAP. XV.

SColopendræ marinæ tactio piſcatoribus infeſtiſſima eſt: poſtea enim quàm hamum hæc contigerit, nullus piſcis ad hamatam eſcam accedit, quod huius tetro odore procul pellatur.

De Scari libidine. CAP. XVI.

SCarus cum alijs herbis, tum alga ueſcitur: omniũ piſcium ad uenerem inflammatiſsimus eſt. Cauſa cur capiatur, eſt cupiditas inexplebilis in fœminam, ea non ignorantes rei piſcatoriæ peritiſsimi, hoc modo ei inſidias ponunt, ut comprehenſæ fœminæ ſummum os ad tenuem funiculum ex ſparto confectum alligent, eamq; uiuam per mare trahant, ubi eorum cubilia eſſe & in quem locum congregẽtur, norunt. Conficiũt etiam graue plumbum figura rotundum, longitudine trium digitorum, quo ex chordis ap-

penſo, trahitur Scarus fœmina captiua: aliquis corũ naſſæ in piſcatorio nauigio accommodatæ os late diducit, datq́; operam ut naſſa in Scarum captum conuertatur, ea enim ſenſim demittitur, lapide ad certam menſuram facto: mares uero non aliter quàm homines ad cõſpectam amatã libidinis furore ferũtur, circumq́; eam concurſantes, alius aliũ præuertere, eiq́; appropinquare & cõtingere ſtudet, ut ſolent iuuenes uehemẽter amantes, aut oſculum, aut uellicationem, aut aliud quodpiam furtum amatorium uenantes, qui deducit fœminam ſenſim & pedetentim, inſidijs collocatis, rectà ad naſſam, cum amata diceres ducere amantes. Cum proxime ad naſſam hi acceſſerunt, plumbum in interiorem partem à piſcatore traductum, & linea decidens, fœminam in naſſam detrahit, quo ſimul influentes mares capiũtur: ac pœnam dant Scari eiuſmodi furentis libidinis.

Quemadmodum Scari ſuos gregales captos liberant. CAP. XVII.

SCari gregales ſuos optime uindicant, ac adeuntes funem dentibus conficere conantur, ut ex hoſtibus ſeruent captum, & ſæpe funem cõcidentes, eum liberauerũt, neq́; ob id petunt redemptionis præmia: ſæpe non aſſequuntur ſocij liberationem, tametſi id quod ſuum erat, promptiſsime præſtiterũt. Iam uero in naſſam cum inciderit Scarus, dicunt eum poſteriorem partem ſuam de naſſa eijcere, reliquos uero,

qui non

qui non ſunt capti, circumnatantes eum morſu corripere,& foras ſocium proferre. Si uero in caput exierit ipſorum quiſpiam: qui foris eſt, caudam ei porrigit, ille comprehenſa cauda ſequitur. Hæc illi quidem faciunt, more hominum, qui tametſi libros de amicitia non didicerunt, tamen à natura hauſerunt leges amicitiæ.

De Scarorum cibo. CAP. XVIII.

DE marinis piſcibus ſolum Scarum ſimiliter ut ouillum pecus & bubulum ruminare audio. Rei maritimæ periti, ut ait Leonides, Corianum eſcam Scaris obijciunt, ad cuius illecebram allecti expeditè capiuntur.

De Sargis. CAP. XIX.

SArgis piſcibus idonea domicilia ſaxa & cauernæ ſunt, quæ non latis luminibus illuminantur, ſed tanquam feneſtellas paruulas, habent tanto interuallo diſtantes, quo pertinere & permeare ſolis ſplendor earumq́ꝫ diſtantiã lumen ſolis complere poſsit. Cum enim omni luce Sargi delectantur, tum uero ſolis maxime radios ſitienter expetunt: in loco multi eodem habitant, apud paludes & breuia uitam agunt, uicinam proximam continentem ſe habere gaudent. Capras uehementiſsime amant, nancꝫ cum caprarum proxime & ſecundum littus paſcentium unius aut alterius umbra in mari apparuerit, protinus gaudio exſilientes, ſummo ſtudio adnatant, ac ſaltu non ad-

modum ad ſaltandum idonei capras contingere aſfectant, ſenſum caprini odoris percipiunt, etſi ſub fluctibus natant, itaque uoluptate geſtientes ad eas accedere ſtudent. Quòd autem tanta amoris inſania in capras exiſtunt ex his idcirco capiuntur quæ tantopere deſiderant. Nam piſcator caprinam pellem extractam cum cornibus induens, inſidias parat ſole à tergo relicto, atque farinam caprino iure madefactam in eam maris partem ſpargit, ac abijcit, ubi habitare ſolent Sargi, quibus tanquam filtro quodam odoris ſupradicti allectati accedunt, farina uescuntur, pellis aſsimulatæ capræ conſpectu permulcentur: ex his autem multos piſcator hamo robuſto capit: cuius linea alba non ex arundine appenſa eſt, ſed uirga cornea ſimulac ad hamum adhæſerit, ſubtrahere expeditiſsime cõuenit, ne alios conturbet. Manu etiam capiuntur, ſi quis ſpinas, quas ad tuitionem ſui excitant, à capite ad partem inferiorem reuocando & flectendo declinet, premendoque ex lapidibus, in quos ad latendum ſe compellunt, extrahat.

De Sargorum piſcatu. CAP. XX.

SArgos hoc modo Cares capiunt: Cum enim molles & remiſſas auras auſter afflat, & ad harenas moderate & leniter fluctus reſonant, tum ad piſcatum arundine piſcator nihil eget, ſed ſpinę regię bene robuſta uirga, ex qua ſumma lineam appendit, atque ad hamum eſcam muris piſcis conditi accommodat: deinde

deinde in piſcatorij nauigij puppe ſedens, inſidias tendit, easq́ in mare demiſſas leuiter mouet, ſimul & ei puer probe tenens ut ſenſim pedetentimq́ nauis impellenda ſit, ad terram uerſus remigat: tum Sargi permulti exultantes & geſtientes, eſcam aſſequi ſeſe ex ſuis latibulis incitant, & proſiliunt, atque eſcæ illecebra allectati, in hamum congregantur, cumq́ propius à terra ſunt, cibi auiditate capti, facile comprehenduntur.

De Ellope. CAP. XXI.

ELlopem ſacrum piſcem à poëta uocari exiſtimāt, rarus inuentu creditur, in profundo Pamphilio capitur: Sed neque tamen etiam inde, niſi uix & ad modum raro: quòd ſi capiatur, coronis ob ſecūdam piſcationem ſeſe non modò piſcatores ornant, ſed & piſcatoria nauigia ſertis redimiri curant, & plauſu, & tibiarum ſono prædam teſtantes, ad terram nauem applicant. Alij propterea non hunc, ſed Anthiam ſacrum exiſtimant, quia locus quem Anthias incolit, & beluarum expers, & urinatoribus tutus eſt, & cum piſcibus pacem ſeruat. Cuius fiducia piſces confirmati, ibidem pariunt. Naturæ cauſam penitus retruſam & abditam non meū eſt explicare: non magis quàm exponere cauſas cur Gallinaceum Leo & Baſiliſcus timeant: cur Suillum pecus Elephantus horret: in quibus exquirendis, etſi qui permulto abundant otio, plurimum temporis conſumant, nō tamen optatum aſſequuntur.

De piſce Aulopio. CAP. XXII.

QVi circum inſulas Tyrrhenicas nuncupatas in maritimis rebus uerſantur, cetaceum quempiam piſcem Aulopion appellant, cuius uim, & naturam explicare non alienum eſt: magnitudine maximum. Aulopion maximi Thynni ſuperant, & robore Aulopios cum illis collatus, primas fert. Quãuis Thynnorum natio fortiſsima eſt, & aduerſarij Aulopij promptè repugnantis primum impetum ui ſanguinis conſiſtẽtis ſuſtinet, quo celeriter diſpulſo, uincitur. Aulopios uero perdiu pugnam tolerat, ac nimirum contra piſcatores decertat, & ſepiſsime uictoriam reportat, ſeſe urgens, & caput in profundum deprimens, ſua enim natura ore ac tanquam ceruice eſt robuſta. Cum eſt captus, eximia forma ſpectatur: oculis eſt patulis, rotundis, magnis, cuiuſmodi Homerus bubulos canit: Dorſo eſt ceruleo, & uentre candido, à capite ad caudam pertinens aurea quædam linea in orbem deſinit. Iam quàm inſidioſis captionibus comprehendatur, mihi ſicut auditione accepi, exponendum eſt. Homines ad piſcatum prudentes, loca ubi domeſticas ſedes, & commorationes arbitrantur Aulopios tenere, ex ſpeculatione præcipiunt & præſumunt: deinde poſtquam permagnũ piſcium Coracinorum numerum cæperunt, & nauem ſuam anchorarijs inhibitionibus in ſtationem compulerunt, ſtrepitũ quendam more ueſparum faciunt, & Coracinos ad illiciendos eos prætendunt; ubi uero ij ſtrepitum exaudierunt

runt

runt,& eſculentam illecebram animaduerterunt, alij aliunde eò ire pergunt, & gregatim circum piſcatoriam errant, atque eatenus & plauſu & cibo ad piſcatores manſueſcunt, ſiue meo iudicio eſcæ cupiditate capti, ſiue quemadmodum piſcatores inquiunt, ſuo permulto robore nitentes ut non ab hominum contactu refugiant, nonnulli ex eis cicures ſunt, quos ſane piſcatores ut beneficos ab alijs internoſcunt, fœdereq; cum ijs deuinciuntur, pacemq; ſeruant, eos tanquam duces ſectantur: alij feri Aulopij, quos ut piſcatores & capiunt & occidunt, ita à manſuetiorum captura ſe abſtinent quaſi, fœdus quoddam cum ijs ſancitum habentes. Nec uero piſcator bene peritus, quantalibet inopia prematur, manſuetum Aulopon prudens & ſciens comprehendit, quinimo ſi eum ipſum imprudens cæperit non mediocri dolore afficitur. Capitur aut hamo transfixus, aut mortifero uulnere ictus.

De Acu. CAP. XXIII.

MArinæ Acus quòd ſunt pertenues, & minime tortuoſam & ſinuoſam uterũ fœtuumq; capacem habent. Idcirco catulorum ſuorum non ſuſtinentes incrementum diſrumpuntur. Non igitur pariunt catulos ſed expellunt atque eijciunt.

De piſce Adonide Exocœto appellato.
CAP. XXIIII.

PIſcis aſpectu flauus, è genere mugilum, ſaxa incolere, & ſimul in ijs uictitare ſolet: eius ſanè duo in

uulgus nomina minime ignota ſunt: alij enim Adonin nominant, alij Exocœton, quod extra mare in arido cubet. Cum enim eſt tranquilla tempeſtas, is tum in ſiccum undarũ impetu peruectus, ad ſaxa ſeſe exponit, ibidemq́ libenter & quiete altum ſomnum capit. Cum autem alijs omnibus animalibus tanquam fœdere deuinctus eſt, pacemq́ habet, non ſimiliter cũ incolis maris auibus pace coniungitur, ſed & eas perhorret, ac ſi earum quæpiam comparuerit, ſeſe uerſat, & tandiu ſaltatorio quodam facto tripudio ſaltat, dum de ſaxo in undam deſiliens, ſalutem adeptus fuerit. Cum autem mare & terrã amicam habeat, ipſum idcirco Adonin, quemadmodum mea fert opinio, ij appellarunt, qui huiuſcemodi nomen ei impoſuerũt, quòd Adonidis, qui Cynaræ regis filius fuit, uitam inſpexerunt: eum ſanè duabus in amore deabus fuiſſe, alteri marinæ, alteri terreſtri.

De caſtitate Aethnei piſcis. CAP. XXV.

SVnt igitur & caſtitate pręſtantes piſces Aethneus, ita appellatus, poſteaquàm cũ pari ſuo tanquam cum uxore quadam coniunctus eam ſortitus ſit, aliã non attingit: neque ad fidem tuendam ſponſalium tabulis illi opus eſt, neque malæ tractationis pœnam timet. Neque Solonem ueretur, ex quo leges nobiles & urbes graues profectæ ſunt, quibus libidinoſi homines non parere nihil uerentur.

GYLLII ACCESSIO.

De Amiarum pugna cũ Delphinis. CAP. XXVI.

Cum

CVm Delphinis magnum & hoſtile certamen ineunt ſolæ Amiæ, corporis magnitudine Thynnis inferiores, quibus etſi carnes infirmæ & molles, dentes acutiſsimi ſunt, iĳs maxime cõfidentes potentẽ piſcium regem, tam præclare contemnũt, ut cum ſolum quempiam ab aliĳs ſegregatum obſeruauerint, undiq; tanquam ſigno dato, frequẽtes in eum ipſum inuadant. Delphinus ſuo robore nitens, primum hoſtium impetum negligit: pòſt uero longe lateq; inſequens, partim earum lacerat, partim excedit & conficit. Poſtremò harum magna multitudine circũſeſſus, dolet, quòd ſe unum ſolum contra tantam multitudinem uideat. Itaq; reuocatis omnibus uiribus, ab his ingreditur ſe fortiſsime defendere. Hæ contrà Delphini membris circunfuſæ, atq; ad eadem pertinaciter inhæreſcentes, dentes defigunt, ſimul & partim ex his illius latera conuellunt, partim roſtrum & pinnas, partim uentrem acerbis morſibus affligunt, partim ſummam caudam comprehendunt, partim dorſum exedunt: tum aliæ ex uertice, aliæ ex collo pendent. Is autem uario & multiplici dolore refertus, inſtar turbinis mare concitat, & permulto furore agitatus in omneis partes ſeſe uerſat, & ſaltanti ſimilis, nunc tanquam procella fluctus ſummos concurſat, nunc in profundum defertur, ſæpe magna maris interualla deſaltans, reĳcere conatur examen audacium piſcium. Hæ uero nihil de uiolentia remittentes, magis magisq; in eum incumbunt, & cum demergitur,

eandem uiam ipſæ conficiunt: cum rurſus extra aquã eminet, eædem quoq; tractę unà cum ipſo in ſublime feruntur. Diceres Neptunũ nouũ quoppiã monſtrũ ex Delphinis & Amijs finxiſſe: adeo enim ſanè dentium pertinacia colligantur, ut ex illius corpore nunquam dentes tollant, niſi partẽ apprehenſam abſtrahant. Cum autem aliquod ſpatium ei dant reſpirandi à certamine, tum uideas rabiem ducis irati, tum mortifera Amijs pernicies infertur. Hæ quidem in fugam ſe impellunt, ille uero fulmini ſimilis, has acriter inſequitur, & diſcerpit, & lacerat, ſimul & effuſo multo ſanguine, purpureſcit mare. Itemq; Amiæ hamo captæ, lineam exedunt, & conſumunt.

Quemadmodũ Anguillæ capiũtur. CAP. XXVII.

HOmo piſcandarum anguillarum uſu peritus ad ſinuoſum locũ ubi latius confluens dilatatur uel in ſaxis ex aqua eminentibus uel in arbore radicitus uentorũ turbinibus extirpata & iam putreſcẽti ſedẽs, per pinguis inteſtini ouilli tria aut quatuor cubita patentis alterũ caput in aquam deijcit, quod aquę uorticibus agitatũ uolutatur, idemq; illius alterũ extremũ manibus tenet, in quod quidem ipſum arundinis fruſtum perinde longũ atq; gladij capulum inſertũ eſt. Neq; uero diu anguillas eſca latet, quin cõtinuo earũ prima quęq; fame ſtimulata hiante ore atq; imminẽti hamatos ac unciatos dentes ſuos in idipſum inteſtinum defigit, atq; hoc idem crebra inſultatione detrahere conatur. At enim piſcator anguillã intelligẽs, ad

fluctuans

fluctuans inteſtinum inhæreſcere,arundinẽ ad quam alligatum eſt inteſtinũ ori ſuo admouet,& quoad poteſt inteſtinũ inflat,quod quidẽ ipſum defluẽte hominis aſpiratione & impletur, & penitus intumeſcit, & uentus in anguillam illapſus,illius fauces opplet,atq; anhelitum eatenus obſtruit,ut ea non queat neq; reſpirare,neq; infixos dentes detrahere: quare ſuffocatur, & captiua ſubtrahitur. Ab alijs ſeparatim piſcibus uiuit,neq; cum ijs temere inuenitur.

De Anthias amore in ſuam nationem.
CAP. XXVIII.

VT homines fidi & commilitones ueri,perinde piſces inter ſe ulciſcuntur, quos Anthias uenationis maritimæ periti nominare ſolẽt,ex his quilibet cũ nouerit conuictorẽ ſociũ captũ eſſe,celerrime adnare feſtinat, ac dorſi ſui nixu ad eum inhæreſcit, incurſu impulſuq; pro uiribus prohibent captiuũ abduci.

Quid capti Anthiæ faciant. CAP. XXIX.

ANthiæ cum ſunt capti, miſerabile præbent ſpectaculũ,mortẽ ſuam lugere & quodãmodo ſupplicare uidentur. Ac nimirũ quemadmodũ homines qui in latrones immiſericordes,& cædis auidos incurrerunt aufugere conãtur, ſic ſane ij retibus inſultãtes, inſidias tranſilire conãtur.Qui hoc genus mortis euadunt,in terram piſciũ hoſtem exiliũt, atq; hic ibidem mortem obire malunt, quàm gladio perire.

GYLLII ACCESSIO.

De Anthiæ prudentia. CAP. XXX.

ANthiæ Plutarchi teſtimonio cũ gregalẽ quempiam ſuum captum ſentiunt, ſtatim ei adiumẽto ſunt ad ſe eripiendũ ex ferro atq; ſpinis inhorreſcunt easq́; erectas ad lineam admouẽt, ut earum firmitate hanc diſcerpant & lacerent.

De procuratione Apuarum. CAP. XXXI.

APuæ piſces ex ſeſe nec procreãt nec procreãtur, ſed è limo enaſcũtur, cum enim cœnum in mari concreuerit, ualde & limoſum & atrũ efficitur, atq; ex ſua quadam uoluptate, mirabili natura & uitali tepeſcit: Atq; in permulta animalia nimirũ Apuas immutatur, eæ autem ſic in putrido luto & ſordibus tanq; lumbrici generati ad natandũ maxime ualẽt. Tumq́; mirabili cauſa quadã ad ſalutaria impelluntur, eò nimirum ubi ad tegendã uitam perfugia, & ad tuendã propugnacula habeãt. Hæc autem perfugia ſunt ſcopuloſa ſaxa è terra eminentia, ac in multiplices ſinus tremebundorũ fluctuũ, & ſaxifragarũ undarũ uerberatione multo tempore excauata. Hæc ideo abdita eis perfugia natura indicauit, ne fluctibus cõuellerentur ac labefactarenť: debiles enim ſunt ad reſiſtẽdum & infirmę cõtra fluctuũ incurſiones. Nullo cibo ad ſeſe alẽdas egẽt, nanq; ad uitã eis ſatis eſt mutuo linctu ſe lambere, uerriculis tenui filo cõtextis cõprehendunť.

De Aſello marino. CAP. XXXII.

COr in uentre marinum aſellum habere harum rerum periti aſſeueranter nos docent: Atq; in ſermonem hominum uenit huius partum nunquã de-

prehen

prehenſum fuiſſe. Vt cæteris quidẽ partibus interioribus non cum alijs differt, ſic certe ſuo proprio quodam more nihil non ſolitarium amat, necꝙ ſe cum alijs ſociari gaudet. In cerebro lapillos molari figura poſsidet, alij quidem piſces tempeſtatibus perfrigidis occultantur, hic autem exortu caniculæ latet.

De Aſpargis piſcibus. CAP. XXXII.

ASpargi piſces marini ſapientes ſunt ad diligenter penitusꝙ cognoſcendam temporum mutationem, nam ineunte hyeme ad uitandam frigorum uim ex natatione conquieſcunt, & conſiſtentes ipſa commoratione & quiete æquabiliter & fraterne ſeſe tepefaciunt. Poſtea uerno tempore ingrediuntur longiora itinera facere, neque modo obuijs, ſed ijs etiã quos inquiſierint & inueſtigarint, cibis paſcuntur.

De Aurata piſce. CAP. XXXIII.

AVrata omnium piſcium timidiſsimus eſt, nam ſub arcturi tempus, cum maris acceſſus & receſſus maxime fiunt, & eo altius exaggerata arena, ad littus relinquitur, ut naues ſæpe ex omnibus aquis nudæ in terra iaceant. Tum piſcatores poſtquàm arborum ramos frondibus cõueſtitos paxillorum modo in mucronẽ acutos in arenam defixere, diſcedunt: poſt autem rurſus accedẽs mare ſecum imbellem Auratarum multitudinem attrahit. Quæ ubi æſtus reciprocauit & receſsit, in exigua aqua concauis locis retenta relinquuntur, & uero ramorum metu quieſcũt. Adeo nimirum ramos uento agitatos exhorrent, ut

ne loco quidem ſe commouere audeāt. Quamobrem primo cuiq; magnum meticuloſorum piſcium numerum capere & ferire licet. Neque modo ab uſu piſcandi inſtructi, ſed etiam totius piſcationis rudes, atque adeo pueri & fœminæ capere poſsunt.

De Callionymo piſce. CAP. XXXIIII.

DE rei piſcatoriæ bene peritis audire potes ex piſcibus quendam eſſe nomine Callionymum. Huic Ariſtoteles ait in iecore fel ſitū eſſe, pro portione corporis maxime omnium copioſum: Iecur autem ad dextrum latus collocatum eſſe. Cui quidem rei teſtimonio eſt Menāder in Meſenia: Facio, inquit, te habere fel Callionymo copioſius. Anaxippus item in Epidicazomeno, Niſi moueas & ſic ut Callionymi feruere efficias omne fel. Sunt qui eum dicant eſculentum, alij pleriq; negant.

De Capitonis piſcis cōtinentia. CAP. XXXV.

CApito è piſcium genere eſt, qui in paludibus degunt continentiſsimus, ac in uictu temperatiſsimus eſſe creditur. Etenim nullam animantem inuadit, ſed cum omnibus pacem ſeruare ſolet. Si uero in quempiam iacentē inciderit, hunc in ſuum prandium conuertit, non prius tamen eum attingit, quàm caudam mouerit, ſi immobilis ſit, hunc prædam ſibi facit, ſi uero moueatur, eo intacto diſcedit.

De Capitonis amore. CAP. XXXVI.

VIm & numen multa genera piſcium nouerunt cupidinis, ne hos quidem qui in ſumma maris altitu

altitudine degunt, contemnentis. Etenim Capito diuinum huius numen colit atque ueneratur. Non tamē omnis Capito, ſed ille quē à faciei acumine nominăt, qui piſcium genera & differentias nouerunt. In ſinu Achaico multi quantum audio, capiuntur. Quare capiantur, libido in cauſa eſt, maxime uero eorū in res uenereas libidinis furorem captura teſtatur. Cum ex Capitonibus fœminam piſcator uenatus fuerit, alligauerítq; aut longa arundine, aut ſparto etiam longo, in littore pedetentim ingrediens ad natantem piſcem & ſalientem pertrahit. Per eius ueſtigia quidam ſubſequens retia fert, obſeruans ubi & quando diligenter accurrendum ſit. Itaque agitur fœmina, mares uero qui hoc uiderint: ueluti adoleſcētes libidinoſi formoſæ puellæ prætereunti cupiditatis oculos adijcientes in eam feruntur, libidinis furore agitati. Ille autem retia deijcit & in ea quidem ſæpe piſcium ueneris appetitione accedentium magna copia incidit. Tum uenator oportet curet, ut fœmina captiua formoſa ſit & bene pinguis, ut plures ad eā accedāt pulchritudinis illecebra, tanquam eſca illecti. Sin macilenta ſit & ſine corpore, multi ea ſpreta diſcedunt, quicūq; uero horum eſt uehemēti amore ductus, non diſcedit, mehercle non formæ, ſed coitus deſiderio detentus.

De Capitonibus maris Ionij. CAP. XXXVII.

IN mari Ionio ad Leucadium & Actium Epirotica loca, Capitones uelut confertis turmis frequētes natant, ipſorum captura quæ ad hanc rationē fit, mirifica

fica eſt. Piſcatores bini obſeruato tempore cum luna ſilet nauem cœnati conſcendunt, & à terra ſoluentes, modo mare à tempeſtate conquieſcat, ſilentio & moderate remigant, ſimul & eorum alteruter ſenſim ac leniter remo nauem impellit, alter recubans, ſuam nauis partem uſque eo deprimit, quoad eius labrũ proxime ad aquam acceſſerit. Capitones horumq́ſ ſpeciem ſimilitudinemq́ gerentes mugiles ſiue quod ex nocte lætitiam & uoluptatem percipiunt, ſiue etiam quia à tranquillitate maris delectantur, latebras relinquentes, ſic ad ſummam aquam efferũtur, ut ex aqua ſummo roſtro emineant, & natare uſque eo pergant, donec ad littus propius acceſſerint. Quod quidem ipſum piſcatores poſtquam perſpexerunt, ſedata remigatione & pedetentim acceſſu ad piſces facto, nauigant, ubi uero ex piſcatoriæ motione fluctus cieri ac agitari cœpti ſunt, à terra ſtatim piſces refugiũt, & frequentes in partem nauis inclinantem & præcipitantem ſine retibus innatant, & uero ſub poteſtatem piſcantium cadunt.

De marinis Cicadis. CAP. XXXVIII.

EST etiam Cicadarum genus marinum, quarũ maxima parui Carabi ſimilitudinẽ ſpeciemq́ gerit. Veruntamen cornua non ſimiliter atque ille magna, nec aculeos habet, pinnæ ipſius exiguæ terrenarum alis ſimiles ſunt. Hominum pleriq́ ab ea idcirco ſe abſtinent, quòd ſacram exiſtiment. Seriphij in retia uel fortuito delapſam non ſane retinent, ſed mari reddunt.

dunt,atq; etiam mortuam flentes & ſordidati humatione afficiũt,quod eam dicant Perſeo Iouis filio,quē ipſi ſumma religione colunt,conſecratam eſſe.

De Citharo piſce maris rubri. CAP. XXXIX.

IN mari rubro piſcis procreatur cuius corpus ita figuratum eſt, ut ſimilitudinē Lingulacæ eius latitudo gerere feratur. Squammæ non magnam tangenti aſperitatem habent. Cum ſub aureo eſt colore, tum lineis à ſummo capitis uertice ad extremam caudam ſic diſtinguitur, ut eas citharæ fidiculas contentas eſſe dicas, unde is Citharus appellatͣ. Os ei peſſum it & ſubſidet,idemq́; nigerrimum eſt,cinguloq́; crocco circumligatur: uertex uarietate diſtinguitur, fulgore aureo & nigris quibuſdam lineis, pinnas aureas habet,ruffo colore multipliciter uariatur: Cauda eſt nigra præter extrema, ea enim candidiſsimo colore aſperguntur: alij item picti naſci dicuntur, toto corpore purpurei,certis interuallis aureolas lineas poſsidentes,eorum uero caput cingulis uiolaceis illuſtratur, uno (quod eſt ante oculos) ad branchias pertinente, altero ſecũdum oculos uſq; ad medium caput excurrente, alio autem tanquam monili ſic collum circumplicante.

De Denticibus piſcibus. CAP. XL.

DEntices tam congregatiles ſunt, ut nec ſibi eſſe à gregalibus ſuis æqualibus ſolitudinem & ſegregationem ferant. Ac nimirum peradoleſcentes ſepa-

ratim à reliquis natant, ij uero qui ſunt confirmatiori ætate etiam inter ſe uitæ communitate illo prouerbio coniunguntur, Aequalis æqualem delectat, & præſentes præſentibus tanquam ijs quibus cum ſocietas aut amicitiæ coniunctio ex conſuetudine uſuq́ꝫ frequenti delectantur. Aduerſus piſcatores ſic machinantur, ut cum piſcator in eos cibum demiſerit, congregati & in orbem conſiſtentes inter ſe conſpiciant, & quaſi ſigno dato inter ſe, admoneant ne prope ad cibum accedant, néue demiſſum cibum attingant, atqꝫ in hunc ordinem inſtructi permanent. Sin autem ſoliuagus ex alio grege acceſſerit, hamumq́ꝫ deuorauerit, ac ſuæ ſolitudinis premio accepto ſubtractus fuerit, confidentiores efficiuntur, quòd non ſint capti, ſicq́ꝫ ex fiducia ſe tuendi negligentiores facti, capiuntur.

De marino Dracone. CAP. XLI.

MArinus Draco alijs piſcibus reliquo corpore aſſimilis eſt, eius caput & oculorum magnitudo terreni Draconis ſpeciem ſimilitudinemq́ꝫ gerũt, magni enim ſunt & uenuſti, maxillæ etiam ſimilitudinem quandam habent cum terreſtribus, & eius pellis non procul abeſſe à terrena palpanti uidetur, ſimul & infeſtis & uenenatis armatus eſt aculeis.

De Engraulis ſiue Engraſicholis. CAP. XLII.

ENgrauli piſces, quos alij engraſicholos, alij Lycoſtomos appellant, paruuli piſciculi natura fœcundi albi perſpiciuntur. Et quod ab alijs piſcium gregibus

bus excedi & confici ualde metuãt, idcirco ad inſidias quibus ſunt opportuni uitandas eatenus cõfertis turmis denſi natant, ut eorum quiſq; ad uicinum proximum adhæreſcat, ut ne ſcaphæ quidem incurrentes, eos diſſocient, nec ſi quis remis diſpergere conetur, eorum ſocietatem dirimere poſsit. Ita inter ſe reſtricte & pertinaciter, tanquã contexti contrahuntur, ut tan quam ex aceruo frumẽtorum aut fabarum ſi quis in eos immiſerit manum, accipere queat, non tamẽ ſine ui abſtrahuntur, quin per ſæpe diſtrahãtur, ut & eorum alteram partem abruptam capias, & alterã relinquas, & in plerisq; caudam retineas, in alijs non aſſequaris, ex alijs caput reportes, & alteram partem in mari reliquam facias. Eorum conferta & continens natatio à rei maritimæ peritis bolos appellatur, qui permultas piſcatorias naueis interdum implet.

De fluuiatilibus Equis. CAP. XLIII.

FLuuiatiles equi Nili alumni, ſegetũ ut maturitas uenit, & flauent ſpicæ, non eas continuo depaſci ingrediuntur, ſed extrinſecus coniecturis aſſequuntur quantum ad ſe explendos ſatis ſit. Poſt talem con ſiderationem paſcere aggrediuntur, ac poſtquã ſunt pabulo cõferti, auerſis ueſtigijs retroq; uerſus ad Nilum cedere properant. Hoc enim ipſum eo pacto ma chinãtur, ut agricolas ſeſe inuadẽtes aduerſo corpore non à tergo excipiant. Summe impius eſt, parentem enim ſuum exeſt & conficit.

GYLLII ACCESSIO.

De Equo fluuiatili. CAP. XLIIII.

CVm ad confirmatã ætatem peruenit, ſtatim periclitatur an uiribus ſuperior parente ſuo euaſerit, ac ſi pater cedit, eum uiuere permittit, ipſe uero cũ matre coit. Sin quo minus cũ matre libere uenereo complexu implicari poſsit, pater obſiſtit, eũ ipſum interficit. Ad quinq; cubitorũ excelſitatẽ accedit, belua eſt quadrupes, eius ungulæ bubularũ ſpeciem ſimilitudinemq́; gerunt, utrinq; ternos dentes maxime omnium animaliũ extra eminentes habet, auris & cauda & uox equo ſimilis, reliquũ corpus non elephãto diſsimile: Tergoris robore omnes beluas ſuperat: In utraq; ſede uiuit, interdiu quidem in mari, noctu uero in aridum egreſſus, ſegetes depaſcitur. Ea eſt fœcunditate ut quotannis pariat. Hac arte ei inſidias moliuntur, ut tela ad funem alligata tandiu contentiſsime in eum iaculentur, quoad eorum crebra miſsione exanguis factus comprehẽditur: carne eſt duriſsima, & ad concoquendum difficilima.

De Glani. CAP. XLV.

GLanis piſcis, incola Meandri & Lyci Aſianorũ fluminum, & Europei Strymonis, ſpeciem ſiluri ſimilitudinemq́; gerit. Ex piſcibus ſuorum fœtuum amantiſsimus eſt, nam ſimul ut fœmina peperit, cura quidem illa de partu ſuo liberatur, ac nimirum cubitans ſuorum tuitione exſoluitur. At uero aſsiduũ ſe præſtans mas cuſtodem ad conſeruationẽ eorũ, quæ

procrea

procreauerit, aduigilat, & eos ab omnibus inſidijs prohibet: atque ſicut Ariſtoteles inquit, hamum deuorare poteſt.

De Glauco piſce. CAP. XLVI.

GLaucus piſcis pater factus, quos ſuſtulit ex coniuge diligentiſsime cauet, ne inſidijs impetantur, néue pernicies ulla eis inferatur, & quoad grandes ſint & robuſti ac ſine periculo natare poſsint, tandiu ille cuſtodire non intermittit. Nunc à tergo cum eis natans, nunc uero non à tergo, ſed adnatat modo ad unum eorum latus, modo ad alterum. Si quis uero ex paruulis timere cœperit, ille timore cognito, ore hianti paruulum excipit, deinde timore præterito, quem deuorauerat, reuomit qualem acceperat, ille rurſus natat.

De marino Grue. CAP. XLVII.

MArinus Grus Corinthiaci maris alumnus ad quindecim pedum iuſta menſura dimetitorum magnitudinem procedit. Eius & caput & os alitis Gruis ſpeciem ſimilitudinemq́ gerit: ſquammæ pennis gentilis auis ei ſimiles ſunt. Tanto robore ſaliendi eſt, ut tanquam emiſſum à contento neruo telum feratur. In ſermonem Epidaurorum uenit, hoc animal ex nullo piſce generari, ſed cum uolucres grues Thracium frigus fugientes, tum fœminæ ad coitum exardeſcentes, tum mares ueneris libidine conflagrantes, inter ſe complexu uenereo iungi cupiunt, fœminas ſuſpenſum coitum ſuſtinere non poſſe, idcircoq́ ſe-

men emittere quòd uoti compotes fieri non poſsint. Ac ſi ſupra terram uolent, id ipſum ad nihilum reci-dere, ſin ſupra mare, id delapſum tanquam theſau-rum per manus traditũ, ſic à mari hunc fœtum aſſer-uari, animantemq́ꝫ effici, neque uelut in aluum ſteri-lem illapſum perire. Demoſtratus, cuius ante mentio nem feci, Hunc, inquit, piſcẽ uidi, & magnopere con ſideraui, cumq́ꝫ ut alijs oſtendere poſſem, ſale cõdire uellem, atque coquis ipſum ſecantibus uiſcera intue-rer, tum ex utroqꝫ latere ſpinas ſimiliter atque tabu-las legum triangulas eſſe, tum eius iecur in longitudi nem procedere aſpexi, tum iecori ſubiectum fel lon-gum, follem tanquam ſcorteum habere, ut faba recẽs uideretur. Vbi uero primum iecur & fel exempta fuiſſent, ambo ſtatim intumuiſſe, ut iecur inſtar epa-tis maximi piſcis uideretur, fel uero lapidem, ſuper quem forte poſitum fuerat, conſumpſiſſe.

GYLLII ACCESSIO.

De piſce Hamerocita, ſiue Callyonimo nuncupato. CAP. XLVIII.

PIſcium partim prudentes, partim etiam (ut nobis hominibus non omnibus ineſt prudentia) incau ti. Nam[1] Hamerocita inſigni ad tuitionẽ ſui eſt teme-ritate & ſingulari ſegnicie, tum ſuam inſaturabilem ra biem nunquam explere poteſt, imo uero uſque eò procedit huius inexhauſta cibi helluatio, quoad cibo onuſtus, in terram ſe abiecerit, & quiſpiam alius piſcis hunc humi ſtratum occiderit. Eum autem eſſe inſatia-

bili

bili abdomine hoc ipſum declarat: Nam ſi edendum cibum huic capto obieceris, ſuam ſatietatem tandiu ſuperare conatur, dum cibus exaggeratus ad ipſum os redundat. Supra caput habet oculos, interdiu in arenis ſemper iacet, noctu tantum excitatur, & errat, ex quo nomen traxit, ut Veſpertilio uocetur. Ergo laboris inertiam procul omnes homines arceant, fruẽdæ uoluptati modum ſtatuant, neque uarij & multiplicis cibi refertis menſis delectentur. Nam partim ex hominibus omneis edacitatis habenas remittunt, & uentris cupiditatibus omnem licentiam permittũt: partim prudentes ſibi moderantur & finem fugiunt Hamerocitæ.

De maris rubri Hygrophœnice piſce, de Lacerto & Charace & Sagittario. CAP. XLIX.

PIſcem in mari Rubro naſci ferunt, cui nomen Hygros Phœnix: is nigris lineis quas ceruleæ interſecant maculæ diſtinguitur. Eiuſdem maris Lacertus eſt, cuius magnitudo ei qui naſcitur apud nos, æqualis eſt, uirgatus ſpectatur, lineis nimirum aureolis circundatur à branchijs ad caudam pertinẽtibus, quas media argentea diſtinguit. Ore eſt hianti, maxilla inferior eminet in ſuperiorẽ, uirides oculos habet, quos aureo fulgore palpebræ ambiunt. Eius item maris fœtura eſt Charax nũcupatus piſcis, pinnas habet, & utrinq; & à tergo auri ſimilitudinem ſpeciemq́; gerit. Inferiores partes purpureis cingulis illuſtrantur, ſimiliter eiuſdem cauda auri colorem gerit. Purpureus

color oculis pulchre adumbrat. Sagittarius in eo mari procreatur, & quoniam herinacei ſpeciem & ſimilitudinē habet, firmis & bene longis armatur aculeis.

De Hyena, Trachuro, Thunno, Torpedine & Pulmone piſcibus. CAP. L.

SI piſcis marini Hyenæ nuncupati pinnam dextrā ad hominem ſomno conſopitum admoueas, ſane quàm eum ipſum perturbabis. Etenim formidoloſa ſecūdum quietem ſpectra uidebit, acerbaq́ꝫ inſomnia perpetietur. Item ſi poſtea quàm Trachuri caudam abſcideris ipſumq́ꝫ in mare liberum remiſeris, eam equæ uentrem ferenti appendas, nō multo certe poſt abortum pariet. Iam uero ſi quis qui nondum exceſſerit ex extrema pueritia Thunni ſanguine illinat̃, nō pubeſcet: hoc idem Torpedo & marinus Pulmo efficiunt, nam in aceto putrefactæ eorum carnes & menſto aſperſæ fugam pilorum facere dicuntur.

De Hippocampo. CAP. LI.

REi piſcatorię bene periti homines dicunt Hippocampi uentrem in uino decoctum ſi quis dederit cuipiam bibere, eum primo ex ea potione acerrimo ſingultu affici, deinde tuſsire, & ſicca quidem tuſsi uehementer torqueri. At enim nihil excreare, ſed & ſuperiorem ei uentrē intumeſcere, & calidas fluxiones in ſummum caput efferri, & uero per nares minutatim defluere, ac puſculentum odorem reddere, ſimul & oculos eius ſanguine ſuffuſos ignei coloris flagrantia laborare, & eorundem oculorum genas inflari, &

uomendi quidem cupiditate ardere ferunt: uerum nihil emittere. Quod ſi natura euicerit, hunc tamen periclitata prius morte in obliuionem & dementiam incurrere: ſin in uentrem inferiorem delapſum fuerit, ipſum omnibus iam membris captum è uita excedere. Ex morte porro qui euadunt, mente capti aquam ſummo ſtudio perſequuntur. Hanc enim ipſam idcirco expetũt aſpicere, tum ſtillantem audire, quòd ſanè eis ægritudinis leuationem afferat, & ſomnum conciliet. Itaq; ad perennes fluuios, aut ad littora, aut iuges fontes, aut lacus commorationes eis gratæ ſunt & iucundæ, cum tamen non magnopere deſiderent bibere, ſed & ipſum natare, & pedes aqua alluere eis plurimum iucũditatis affert. Sunt qui non hæc mala dicant huius beſtiæ uentrẽ creare, ſed Hippocampũ algam acerbiſsimam ex qua ita afficiatur, depaſci. Veruntamen ſolertia ueterani piſcatoris & ad res maritimas bene prudentis ſalutaris etiam repertus eſt Hippocampus, is & Cretenſis erat, & filios admodum adoleſcentes piſcatores etiam habebat. Accidit etiam ut hic piſcator Hippocampos ſimul cũ alijs piſcibus caperet, & per adoleſcentes à rabida canicula morderentur. Cum eorũ in Methyna Cretenſi ad littus iacentium uicem dolentes ſpectatores interficiendam caniculam cenſerent, & illius iecur medicamentum ad rabiem edendum iuuenibus dandum eſſe: alij conſulerent à Diana ſalutem petendam eſſe, ſenex piſcator eos de conſilijs quæ afferrent, laudatos dimiſit, &

Hippocamporum exenteratorum alios aſſos eis comedendos dedit, alios in acetum & mel cõtriuit, ijſque morſus ulcera obligauit, atque hominum adoleſcentiũ rabiem uicit, eosque ad incolumitatẽ tandem reſtituit.

De Iulidibus piſcibus. CAP. LII.

IVlides piſces ſaxatiles ſunt, quibus os ſceleratiſsimi ueneni refertum eſt, quemcunque piſcem deguſtarunt, inhabilem ad edendum, pernicioſumq́ue ei qui poſtea guſtauerit, efficiunt. Piſcatores cum Squillam quam media ex parte Iulides exediſſent & confeciſſent, ſine ullo prætio parabilem offendiſſent, cumq́ue inopia preſsi guſtare ingreſsi eſſent, illorum aluos uehementes cruciatus exceperunt. In piſcatu urinatores & natatores infeſtiſsime perſequuntur, ac ut terrenæ muſcæ mordicus premunt, ſimiliter Iulides frequentes in eos quos dixi incurrentes, morſu affligũt, quas repellere neceſſe habent, aut ab his demorſi, cruciabuntur, in quibus repulſandis totus urinandi & natandi labor perit.

De Lepore marino. CAP. LIII.

LEpus marinus mortẽ ſæpe infert, atque uentrẽ acerrimis doloribus torquet, partum abigit, ſtomachum diſſoluit, in cœno gignitur, & ſæpe unà cum Apuis capitur ſpecie Cochleæ tegmine nudatæ cernitur. Magni maris Lepus (nam alterum qui in alio mari naſcitur ante dixi) ex omni parte ad terreni ſimilitudinem accedit, præter pilos: nam terreſtris pili & molles

molles ſunt,& ad tactum haudquaquam reſiſtentes. Contrà,illius ſpinoſi & erecti,hunc qui contigerit,læditur. Cum quidem ipſum in ſumma aqua maris natare,non in altitudinem demergi dicunt, celeri autem & concitata natatione uti, ex animalibus eò difficilimum ad capiendum eſſe, quòd neque in rete incidit, neq; ad lineæ eſcam accedit. Cum ægritudine afficitur,natare non quit,ſimul & funditus expellitur atq; eijcitur. Quiſquis tum manum ad eum admouet,niſi medicina adhibetur,perit, ac ſi hunc bacillo tetigerit, hoc idem periculũ ei procreatur, quod Baſiliſcus baculo tactus affert. Radicem ad idem mare naſci ferũt, haudquaquam in uulgus ignotam, quæ animi defectionibus illius qui ſic affectus fuerit medetur: Ea enim animo deficienti naribus admota,facit ut is reuiuiſcat, & recreetur: Sin negligitur,tam ſane robuſta pernicie hic prçditus eſt,ut ad mortẽ uſq; homini morbus procedat.

FINIS LIBRI XI.

LIBER DVODECIMVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

De Lolliginibus & Sepijs. CAP. I.

LOLLIGINES & Sepiæ duabus ſunt tanquā promuſcidibus præditæ, quibus ad ſaxa cum eſt in mari tempeſtas, adhæreſcūt, & tanquam anchoris iactis firmatę, fluctuum incurſionibus reſiſtunt: poſt cum eſt tranquillitas, ſolutis promuſcidibus rurſus natant. Non contemnendam ſcientiam tenentes uitandi ſane tempeſtates, atq; ex periculis ſalutem conſeruandi.

GYLLII ACCESSIO.

Cur Lolligo ſignificat tempeſtatem. CAP. II.

LOlligines in ſummam aquam maris elatæ ideo tempeſtatem præſignificant, quòd ab omni tegumento nudæ tempeſtatis impatientes ſunt, neq; enim teſta neq; ſquammis obductæ ſunt, ſed molli pellicula tectæ, intus oſſeum quiddam habent. Quare temporum iniurijs opportunæ celeriter præſentiūt mare inhorreſcere. Polypus quòd ſit è genere mollium, tum etiam in aridum exit, & cum uenti impēdent, flagellis ad ſaxa ſe alligat. Lolligo exſilit, marini profundi commotionem fugiens.

De Po

De Polypi edacitate. CAP. III.

POlypus cum alijs cibis paſcitur, eſt enim edaciſsimus, ad fraudemq́; & inſidias callidiſsimus, tum uero ſuorum membrorum, cõficientiſsimus eſt, quorum argumentum eſt: Nam ſi uenatio eum deficiat, brachia ſua deuorat, ac uentrem morſu uellicat, inopiamq́; uenationis leuat, deinde renaſcitur quod deeſt, hoc tanquam promptum prandium ad famẽ reſtinguendam comparante natura.

GYLLII ACCESSIO.

De Polypi edacitate. CAP. IIII.

POlypi acerrima edacitate ſunt, perſæpeq́; inter ſe non abſtinent, ſed à maiore minor editur: atq; in hunc modum inſidias piſcibus moliuntur, ſub ſaxa ſubiecti deſident, & in horum colorem ſe conuertũt, ut ſaxa ſane eſſe uideantur. Atque piſces ad eos tanquam ad ſaxa adnatant, & incauti ſic ab eorum brachijs tanquam retibus comprehenduntur.

De inimicitijs Polypi, Murenæ, & Locuſtæ. CAP. V.

MAlum ingens & morbus agreſtis & inhumanus inimicitiæ atque odium inhærẽs, penitusq́; inſitum, quod etiam ratione carentibus natura ingenuit inexpiabile, atque implacabile. Murena cum Polypo capitali odio diſsidet. Polypus cum Locuſta graues gerit inimicitias. Murenæ etiam teterrima hoſtis eſt Locuſta, atque infeſtiſsima. Murena Polypo brachia abſcindit, dentium firmitate: poſt autem in eius

uentrem ſubiens his malis eum quibus ueriſimile eſt, afficit. Hæc enim è genere nantium eſt, ille uero ſerpentium more graditur. Si Polypus in ſaxorum colorem ſe uertat, nihil ei aſtutiæ hæ fallaces proſunt, Murena eius ueteratoriam plane tenet. Cum uero Polypus Locuſtas à ſe comprehenſas occiderit, exprimit carnes, atq; earum ſuccum exhaurit, ac nimirum Locuſta cornibus erectis iracūdia furens, in eum modum Murenam laceſsit. Hæc igitur aculeos quibus hoſtis præmunita eſt, mordicus tenet, illa uero pedes acutos tanquam manus prætendens, utrinq; cuti inhærere fortiſsime non intermittit, hæc diſcrutiatur ſeſeq; huc & illuc uerſat, & acutas teſtas amplectitur, quibus confixa remolleſcit & ſuccumbit: deniq; remiſſa iacet, locuſta ex hoſte inſtituit prandium.

GYLLII ACCESSIO.

De pugna Polypi, & Murenæ, & Locuſtæ.

CAP. VI.

ODio inimicitiarum capitaliter inter ſe diſsident Polypus, Murena, & Locuſta, & mutuis inter ſe cædibus pereunt. Cum Murena ex ſaxo ad inquirēdum cibum prodiens, Polypum inſpexit, in ſumma aqua paulatim erraticis flagellis natantem, ſtatim incredibili gaudio elata, hanc iucundam appetit prædam, is ſentiens ſe in proximum diſcrimē adductum, ſeſe in fugam impellit. At nulla machinatione tardus in natando effugere poteſt Murenam, expeditiſsimo lapſu natantem, Itaque mordicus eum premens, inui-

tum

tum pugnare cogit. Hic igitur coactus magnum & difficile inire certamen, primum uarium & multiplicem gyrum agens, brachia huc illuc uerſat, con ans horum iactatione ipſam à ſeſe depellere, at enim nulla arte euadere poteſt. Contrà Murena Polypi lubricis membris circumplicata, facile ex his tanquam aqua effluens elabitur. Is uero modo dorſum illius, modo collum, modo caudam circumplectitur, modo in os eiuſdem incurrit, ac nimirum quemadmodum ad luctationem imperiti homines inanes oſtentãt uires, ſic Polypi acetabula non palęſtricę iacta, Murena acutis dentibus diſcerpit & lacerat, & partim ex his mandit, partim ſemicomeſta & palpitantia, huc illuc diſtrahit. Iam rurſus magna fiducia Locuſta Murenam ad pugnam laceſsit. Hæc irritata, in certamen deſcendit, at etſi animo infeſto hanc contra uenit, tamen ipſam duro tegmento circummunitam parum lædit, & fruſtra ideo dentes defigit, quòd tanquã à ſilice repulſi, ſic eius duriſsimo tegmine retuſi, hebeſcunt & debilitantur. Veruntamen Murena magis magisq; tantiſper animo incitatur, dum ſuum collum tantopere ſtricte longis illius brachijs quam ferreis forcipibus teneri ſentit, nihilq; remitti quantumlibet uiolenter ſeſe in fugã impellere conetur, & ſummo doloris ſenſu affecta, quoquouerſum corpus ſuum intorqueat. Cum enim aculeatum locuſtæ dorſum circumplectitur, interea aculeis transfigitur, tandemq; multis uulneribus acceptis, ſua imprudentia conficitur. Iam porro

locuſtam ſiliceis forcipibus & robuſtis aculeis armatam & uelocem, tardus Polypus & molliſsima pelle obductus expugnat. Hic enim cum eam in cauerna iacentem deprehenderit, in eius dorſum latenter inuadit, & uincula circunijcit, & fortibus acetabulis fauces intercludit, ne ſpirare poſsit. Locuſta uero illius circumplicatione uicina ad moriendum, nunc quieſcit, nunc mouetur, nunc ad ſaxa alliditur, is uero non intermittit tandiu oppugnare, quoad exederit & confecerit.

De Polypi pugna cum Aquila. CAP. VII.

CVm in ſaxum non admodũ è mari eminens Polypus aliquando correpens aſcendiſſet, ibiq́ʒ explicatis alis ſumma cum uoluptate, quòd frigida tempeſtas eſſet, à tepore ſolis caleſceret, neque ſane ſe in ſaxi colorem uertiſſet, quod quidem ipſum cum ad declinandas, tum magis ad moliendas piſcibus inſidias facere ſolet, Aquila acris & acuta in uidẽdo, prædam, ſi non ſibi futuram bonam, attamen paratam & promptam ſibi & ſuis pullis perſpicue cernens, quãto potuit maximo alarum impetu in Polypum inſiluit: Sed & piſcis hic circumplicantibus Aquilam & pertinaciter adhæreſcentibus cirris, in profundum detraxit, hoſtem capitaliſsimam, ſimul & interfecit, quæ quidem Lupus hians (ut eſt in prouerbio) inani ſpe illuſa, deinde in mari mortua fluitabat. Sed homines plura eiuſcemodi perpetiuntur, ut Cambyſes Cyri filius apud Maſſagetas, ab Herodoto decãtatos, &

Policrates

Polycrates ad diripiendum aurum magno ſtudio & diligentia in Oroetem profectus, decepti fuerunt. At beſtiæ ea pericula ignorãt, homines uero nõ cauent, quin etiam ſciẽtes & prudẽtes in hæc ipſa incurrunt.

De Polypi libidine. CAP. VIII.

EX piſcibus libidinoſiſsimum Polypum, eatenus flagranti ueneris cupiditate incendi ferunt, dum & omnibus corporis uiribus exhauſtis debilitatus, & ad natandum & cibaria inquirenda tantopere infirmus factus fuerit, ut poſtea alijs præda efficiatur. Cum enim paruuli piſciculi tum cancelli & cancri ipſum exedunt & conficiunt, quamobrem eum non amplius anno uiuere dicunt, fœminamq́ etiam propter crebros partus ocyus conſumi.

Quemadmodum Polypi & Oſmyli adrepunt ad arborum fructus. CAP. IX.

POlypos & Oſmylos in ſiccũ egreſſos æſtiuo tempore, ex maritimis arboribus frugiferis fructus ſubripientes, ſæpe agricolæ & deprehendunt, & pro direptis fructibus pœnas ex comprehenſis ſumunt.

Quemadmodum Polypi fiunt maximi & expugnatu difficiles. CAP. X.

TEmporis longinquitate Polypi adeo magni euadunt, ut ad ceti magnitudinẽ accedant, cetateíq́ generis numerum obtineant. Puteolis oppido Italiæ auditum eſt, Polypũ cum inuſitata ad corporis molẽ facta progreſsione, ad maximã magnitudinem perueniſſet, egregie ſpreto & neglecto maritimo uictu,

X in conti

in continētem proceſsiſſe & terrena pleraq; uaſtaſſe, & per ſubterraneam ſpecum, Puteolanas ſordes in mare tranſmittentem, in maritimam domum aſcendiſſe, ubi mercatorum res, ſalſamentaq; in magnis uaſis eſſent, brachiorum circumplexione uaſa primo ſtricte comprimentē corrupiſſe, deinde ſalſamenta depopulatum fuiſſe. Mercatores uero ingreſſos, ubi dolia diſrupta inſpexiſſent, & permagnū earum rerum, quas naui aduexiſſent, numerum exhauſtum deprehendiſſent, ſtupuiſſe: Ac nimirum cum ab inſidijs fores integras, tecta ab omni irruptione intacta, parietes non perfoſſos intuerentur, quis nam populator fuiſſet, nulla cōiectura aſſequi potuiſſe: At enim cum reliquias conditorum piſcium animaduerterent, eos conſtituiſſe, ex domeſticis audaciſsimum armatum intus in inſidijs ponendum eſſe: Polypum uero noctu ad aſſuetas tanquam epulas adrepentem reuertiſſe, & tanquam athleta aduerſariū ſtrictiſsime correptum ſuffocat, ſic flagellis uaſa circumplicantē perfregiſſe: eum porrò qui inſidias moliretur, etiam ſi lunæ fulgore domus illuſtraretur, omniaq; conſpicua eſſent, non tamen, quoniam ſolus eſſet, beſtiæ metu perterritum, hanc aggreſſum fuiſſe, ſed mane mercatoribus totam rem explicaſſe: quod quidem ipſum ij audientes, ei fidem enarratarum rerum non habebāt. Deinde tum negociatores ob tantum acceptum detrimentum, periculi memoria depoſita, conſenſerunt ſimul ingredi, & congredi cum hoſte: tum alij inuſitati

& incre

& incredibilis ſpectaculi ſtudio ſua ſponte ſeſe auxiliatores unà in domo illa concluſerunt. Poſtea uero quàm ſub ueſperam in ſolita dolia fur inuaſiſſet, ex eis partim cloacam obſtruebant, partim armis tecti in hoſtem irruentes, gladijs eius brachia abſcindebant. Cumq́ꝫ quemadmodum frondatores arborum robuſtiſsimos ramos ſecant, ſic ij ipſius membra circunciſſent, tandem uix non pauci eum ipſum confecerũt, atqꝫ oppreſſerunt: & quod quidẽ admirationẽ habet, in terra piſcem mercatores fuerunt expiſcati, huiusq́ꝫ beluæ propriam ueteratoriam nobis oſtenderunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Polybi libidine. CAP. XI.

POlypus in uenereo complexu extremũ ſpiritum effundit: non enim deſiſtit coire, priuſquàm membrorum robore defectum humi ſtratum, quiuis qui ad eum appropinquat, ſiue ſit is cancellus, ſiue cancer, ſiue alij piſces, quos antè deuorabat, ipſum tãdiu membratim decerpunt, & lacerant, dum uitam amiſerit. Fœmina item ex pariẽdi dolore perire ſolet: non enim diſcreta oua, ſed continentia inter ſe, & cohęrentia ex anguſto foramine pariũtur; quamobrem non biennium amplius uiuit.

De Sepia. CAP. XII.

CVm ſe à peritis piſcatoribus captari cognoſcit Sepia, ſuum atramentum emittit, quo circunfuſa, ab oculis piſcantium remouetur, eorumq́ꝫ per-

ſtringit oculos: piſcatores uero cum ſit in eorum oculis, nihil tale uident. Et Aenæa tenebris circumſepto fefellit Achillem Neptunus, ut ait Homerus.

GYLLII ACCESSIO.

De Sepiæ aſtu. CAP. XIII.

AStute piſces Sepia capit, nam brachijs quæ à ſuo capite exoriuntur, tanquam lineis eos in arenam occultata imprudentes comprehendit. Iam ad eam capiendam neq; naſſæ, neq; retium inſidiæ opus ſunt: ſed amoris illecebris eam ad hanc rationem piſcantur, ut Sepiam fœminam trahant, quam ut uel longiſsime mas uiderit, ſtatim cupide in eam fertur, & amicam flexibilibus nodis etiam atque etiam diligenter circumplectitur: atq; interea cum ſunt in hac implicatione, ambo piſcatorum inſidijs in piſcatoriã ſubtrahuntur. Ego Maſsiliæ uidi in hunc modum capi: Specula nimirum in lignum inciſa ex chorda appenſa in aquam piſcatores demittunt, & ſenſim fluitantia trahunt: Sepia ad ſui ſimulachrum ſeſe iaculatur, ac ſuis flagellis lignum circumplicans, dum ſe apparentem in ſpeculo amatorie intuetur, interea reticulo circumuenta ſubducitur.

De piſce nuncupato Luna. CAP. XIIII.

DEmoſtratus uir à piſcandi ſcientia eatenus inſtructus, ut probe rem piſcatoriam interpretetur, piſcem formæ pulchritudine eximium dicit

appellari Lunam, exigua magnitudine, lata figura. Idemq́ꝫ affert, cyanei coloris ſpeciem ſimilitudinemq́ꝫ gerere, in dorſo pinnas habere molles & lenes, eaſdemq́ꝫ in natando explicare, & ad ſimilitudinem lunæ ſemicirculum efficere, ſimul & eum ipſum cum eſt plena luna, tum impleri, tum implere. Nempe arbores ſi ex his illum appenderis decreſcente luna, exſiccari, atque interire: ac ſi ad plantas admoueris, eas marceſcere, & euaneſcere: ſi iam plena luna in id aquę, quod in perfoſsis puteis reperitur, quis hunc piſcem iniecerit, aquam iugem & perennem fore: ſin extrema luna, aquam exareſcere. Quod ſi hunc eundem in fontem ſcaturientem conieceris, quomodo dixi de puteo, is ad rationem lunæ modò euaneſcet, modò implebitur.

De Lupo marino. CAP. XV.

LVpus piſcis à Squillis ſuperatur, quanquam piſcium maxima uorago eſt. Cum autem ſe ipſas ulciſci Squillæ non queunt, pro ultione extremum ſpiritum in uictoria effundere non dubitant. Equidem earum aſtutias & fraudes non grauabor narrare: Cum ſe interceptas ſentiunt, faſtigium quod eminet à capite, quodq́ꝫ ſimile eſt acutiſsimo triremis roſtro, atque in ſumma parte ſecturas habet, modo ſerrulæ uncinate. Hæ itaque non humili ſpiritu, ſed plane regio, cum ſeſe hoc mucrone inſtruxerunt, ſumma leuitate ſaliunt, & tanquam ſaltatorium uerſant orbē. Lupus ore maxime hiante atque imminenti cum ſit,

pelle tenera & molli Squillam ex laſsitudine uiribus defectam comprehendit, atque prandium fore arbitratur. Squilla primum in gutturis laxitate ſaltat, poſt aculeos in miſerum uenatorem defigit: huic interiora exulcerantur, tumeſcentiaq; plurimum ſanguinis mittunt: deniq; ſuffocatione Lupum interficiens, interficitur.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum Lupus & Mormylus ex retibus euadunt. CAP. XVI.

LVpus & Mormylus, cum piſcatorum inſidijs ſe irretitos ſentiunt, ſcrobe facta ſub arenam aut cœnum ſubeuntes, ſeſe occultant, ut ne cum piſcatores euerricula in littus expellunt, atque eijciunt, ipſi quoq; euerrantur, & abripiantur: atque etiam Lupus hamo captus ſeſe in excelſum iaculatur, & huc illucq; tandiu lineam uerſat, dum luculentiore facto uulnere ex hamo elabitur: quamobrem ab Ariſtophane omnium piſcium ſapientiſsimus appellatur.

De Melanuro. CAP. XVII.

TImidiſsimi piſcium Melanuri, ſuæ timiditatis teſtes habent piſcatores: neque enim capiuntur naſſa, neque ad eam accedunt. Siquando eis ſaginam circundederis, imprudentes comprehendũtur. Cum autem placidum & quietum eſt mare, ij ad imam maris ſedem in petris aut algis quieſcunt, tegumentoq; proteguntur, quocũq; corpus occultari poteſt. Cum in alto aduerſa tempeſtas eſt, piſceſq; alios uident in

altitu

altitudinem ex fluctuum impetu deſcendere, hi tum fiducia implentur, ſimul & ad littus appropinquant, atque ſpumam ſuper ſe fluctuantem, ſeipſosq́ꝫ coope rientem, ſatis eſſe ad ſe tuendum arbitrantur. Vix dici poteſt quàm pernoſcunt, eo die, noctéue cum feritas maris & immanitas efferueſcit, tum à piſcatoribus nō adiri mare. Ac cum maris tempeſtates ſunt, ex his uiuunt cibis, quos è ſaxis partim eruunt, partim è terra euellunt: nec tamen niſi ſordidis paſcuntur, & abiectis quibus non facile alius piſcis, niſi fame oppreſſus, ueſceretur. Cum maris tranquillitas uiget, in ſolo ſabulo pabulum inquirunt, hincq́ꝫ paſcuntur.

De Merula marina. CAP. XVIII.

MErula marina domiciliorum & ſedicularum loco in petris & cauernis ſtabulatur. Eorū quiſq́ꝫ cum multis complexu uenereo iungitur: etſi hoc genus matrimonij contemnendum, multarumq́ꝫ eſſe ſtudioſum, delicatorum ad res uenereas dicerem eſſe Barbarorum. Et tu qui Xenophontiæ Cyri pædiæ ſtuduiſti, diceres eſſe Medorum, & Perſarū. Omniū autem piſcium eſt maxime Zelotypus, cum ſemper aliâs, tum maxime cum eius uxores pariunt. Cum enim parturiendi doloribus eæ tenentur, domi quieſcunt: mas autem, nempe maritus, foribus incubans, cauet ne extrinſecus inſidiæ inferantur, metu paruulorum: uidetur nondum genitos amare, metuq́ꝫ paterno motus, his timere: & totos dies in eorum cuſtodia permanet, nihil guſtans, Cura ipſum alit. Sub cre-

puſculum ueſpertinum intermittit hanc cuſtodiendi neceſsitatem, cibumq́; exquirit, ſingulisq́; coniugibus, quæ ſunt intus, ſiue ſint in partus doloribus, ſiue iam enixæ cubent, algas multas in cauernis, & circum petras ad uictus comparationem affert. Experiens piſcator cum inſidias Merulæ molitur, hamū Squilla implicatum deijcit, atque is idem ſubmouet lineam, excitans & exacuens piſcem ad cibum. Squilla uero mota ſpeciem quandam ſui præbet ingreſſuræ in cauernas Merulæ, hoc enim ipſum capitaliter odit. Quamobrem cum id fieri ſentit, inuadit, exiſtimans eam hoſtem eſſe: non enim tum cibus curæ illi eſt: cumq́; Squillam dentibus lacerauerit, diſcedit, cibo præſtabiliorem & antiquiorem curam uigilandi ducens. Cum porrò quiddam ex obuijs comeſurus eſt, primo perfringit, deinde iacere ſinit, uidensq́; hoc idem non palpitare, & iam mortuum eſſe, comedit. Fœminæ uero quandiu marem uident propugnantem, domi manent, formamq́; tuendæ familiæ ſeruant. Cum uero perijt, eæ præ mœrore acquieſcere nequeuntes, errant, eas enim triſtitia foras educit, tumq́; capiuntur. Quid ad hæc poëtæ dicunt, Euadnem, & Alceſtin dudum nobis glorioſe lugentes.

GYLLII ACCESSIO.

De Mugilis iuſtitia. CAP. XIX.

EX omnibus piſcibus Mugiles mitiſsimi & iuſtiſsimi ſunt, nullius enim neque ſui generis, neq; alterius piſcem lædunt; ſine damno cuiuſquā paſcuntur: à

ſanguinis & carnis uſu ſe abſtinent, algis & cœno uiuunt: mutuo inter ſe linctu corpora permulcent: neq; horum quiſquam ſuos fœtus exedit. Alij piſces hoſtilem in modum inter ſe infeſti ſunt: itaq; aſsidui uigilant, qui ſemper à maioribus periculum ſibi creari timent. Neq; enim modò ad moliendas alijs piſcibus inſidias prudens eſt piſcium natio, uerum etiam piſcatorum artibus illudit, & naturæ ſolertia humanum ingenium uincit. Mugiles irretiti, non ſe inſidijs circumuallatos eſſe ignorantes, in ſublime efferuntur, & nituntur retia tranſilire, neq; à prudenti conſilio aberrant: nam ſæpe retium excelſitatem traijcientes, ex mortifero periculo euadunt, ac ſi primi ſaltus aberratione in rete rurſus dilabuntur, non poſtea amplius tentant tranſilire, ſed anxij quieſcunt, & proſtrati à prædone cædem expectant.

GYLLII ACCESSIO.

De piſcium ingenio & Mugilis aſtutia.

CAP. XX.

RErum expetēdarum fugiendarumq; prudentes uniuerſos piſces eſſe, cum ex alijs eorum actionibus patet, tum quòd non tam paruo negotio capiūtur quàm à Lupis, Aſini: & Meropibus, Apes: & Hirundinibus, Cicadæ. Omnium enim piſcium prudentiſsima periculorum præſentio, & incommodorum ſumma cautio atque prouiſio eſt. Quamobrem uariorum & multiplicium inſtrumentorum inſidijs piſcatorijs attentantur; quod quidem liquet, è re

haudquaquã in piſcatorum uulgus ignota. Etenim piſcatores, etſi ad captorum piſcium tractum robore opus eſt, tamen omni ſpreta craſsitudine, tenuem calamum deligunt, ut ne huius ampla umbra piſcibus inſidiarum ſuſpicionem inijciat: neque item lineam multis funiculis contexunt, neque horridam atque aſperam efficiunt, ne fraudes prænoſcant, atq; etiam ut ſetę quæ ad hamum pertinent, ex albeſcant, ijdem piſcatores machinantur: ſic enim marini coloris ſpeciem ſimilitudinemq; gerentes albæ ſetæ piſcium aſtutiam fallunt. Atque idcirco anguſtis hamis contra Mugiles, & Amias utuntur, quòd huiuſcemodi piſces cum paruum os habeant, latos hamos fugiant. Quare Mugilum genus ſuſpectum habens hamum latum, circum ipſum erratica natatione uerſatur, & cauda hamatam eſcam conuellit, ac ſi eam excutere non queat, os primo contrahit, deinde ſummis labris de hamo eſcam detrahit. Iam quod ſingulare quiddam iactatur de Gruibus, eas porrò uolatum obuertere contra uentos, idipſum omneis piſces præclare intelligunt: ſemper enim contra fluctum natant, & cauent néue retro ſpirante uento ſquammæ explicentur, néue his denudatum corpus affligatur. Itaque contra uentum ueniunt, ut & branchiæ contrahantur, & undæ undiq; corpus, ne ſquammis inhorreſcat leniter premant.

De Mullo piſce. CAP. XXI.

MVllus piſcis edaciſsimus eſt, omnia ſibi obuia promiſcue immodeſta quadam intemperantia helluari cupit. Horum nonnulli ſaxatiles appellantur, à locis quæ incolunt nomen trahentes, quæ quidem loca habent minuta & rara ſaxa, crebrasq́ algas inter hæc interiectas, ac intermedias, ubi ſubſidet limus uel arena. Hominum & piſcium cadaueribus ueſcitur, & ſordidiſsimis maleq́ olētibus delectatur.

Eleuſinæ ſacris initiati, idcirco Mullo piſci honores habent, uel quòd is ter anno parit, uel quia mortiferum homini leporem exeſt, planeq́ conficit.

Cur non edunt ſacerdotes Muſtellum & Mullum piſces. CAP. XXII.

MVſtellum piſcem aiunt nunquam ſacerdotes edere: non enim, quoniam ore parit, mundum cibum eſſe. Quidam non ipſum ore parere ferunt, ſed inſidiarum timore perculſum, ut occultet catulos ſuos deuorare. Deinde cum nihil ab inſidiarum comparatione timet, uiuos euomere. Itemq́ Mullum nunquam attingunt, nec ſacerdotes, nec fœmina Argolicæ Iunonis ſacerdos. Cauſas cur ab eo abſtineant, quodam loco antè me dixiſſe memini. Ab ijs qui artem culinæ callent auditione accepi, Mullorum uentres non rumpi, ſed integros permanere, ſi prius eorum os coci oſculentur.

Quemadmodum Murena coït cum Vipera. CAP. XXIII.

CVm libidinis impetus plena eſt Murena, in aridum progreditur, ſponſi iniquiſsimi deſiderio permota, latibulum Viperæ intrat, ibiq; ambo inter ſe colligātur, atq; coitu implicātur. Vulgo hominum opinio ait, Viperā ſtimulis libidinis cōcitatā, ad mare accedere, & ut adoleſcēs in amoribus diſſolutus, cum lyra fores pulſat amatæ: ſic Vipera ſibilo edito amatam euocat, ea è mari exit, natura diuerſorū locorum incolas in cupiditatem unam, & cubile idem cogente.

De piſcium manſuetudine & de Murena.
CAP. XXIIII.

PIſces ad hominum manſuetudinē manſueſcunt, & cum appellantur, egregie intelligunt, & è manu largientium cibos capiunt, ut Anguillæ in ſacra Arethuſa. Murena Craſsi Romani omnium prædicatione celebrata, ſic inauribus & gemmis diſtincto monili tanquam ſane eximia formæ pulchritudine puella ornabatur, & appellantis uocem Craſsi agnoſcebat, atq; ad eum adnatabat: cumq; quippiā ei porrigebat, gaudio exiliens, prōpto & parato animo accipiebat. Hanc ille mortuā fleuit uberius, atq; honore ſepulturæ affecit. At enim cum aliquando aſpere & acerbe Domitius in hunc dixiſſet, Stulte Craſſe, Murenam fleuiſti mortuā. Ad hæc reſpondens Craſſus: Equidem, inquit, de beſtiæ morte fleui: Tu uero nullos ne ex trium quidem uxorum interitu, quas ad ſepulturam dediſti, luctus percepiſti.

De Viperæ & Murenæ coitu. CAP. XXV.

Cum

CVm proximum eſt ut Vipera complexu uenereo iungatur cum Murena, uenenum uomitione eijcit, atque expellit, ut ſuauis decorusq; ſponſus uideatur. Poſtea edito ſibilo, tanquam Hymenæo quodam ante nuptias miſſo, ſponſam appellat: atq; ubi mutuam ueneris libidinem inter ſe expleuerunt, hæc quidem ad mare regreditur, illa uero exſorpto ueneno & recollecto, ad domeſticam ſedem reuertitur.

De Muribus marinis. CAP. XXVI.

INcolæ domorum Mures cum ad cætera omnia timidi & perimbecilli habentur, tum maxime ſtrepitus timore afficiuntur, ſed nihil peius quàm Felis uocem perhorrent. Timidi etiam agreſtes, ſed domeſticis audaciores: non item marini. At enim etſi nõ magno ſunt corpore, inexpugnabili tamen ſcepti ſunt robore atque muniti: quippe qui ad propugnandum duplici confidunt armaturæ, prædurae nimirum pelli, & dentium robori: cum enim ualentibus piſcibus, & rei piſcatoriæ peritiſsimis hominib us pugnant.

De Muſtello & Muſtella, terreſtri & marina. CAP. XXVII.

TErreſtris Muſtella fera beſtia atque inſidioſiſsima, in defunctos homines inuadit, & niſi arceatur, eorum oculos diripit & exſorbet. Muſtella breuis piſcis, nullam cum Muſtello communitatem habet: Nam hic quidem chartilagineus eſt, & pelagius, & magnitudine præſtans, ſimul & canis ſpeciem ſimilitudinemq; gerit. Muſtellam uero diceres eſſe leco-

rinum. Pupillæ oculorum ad Cyaneum colorem accedunt, eius mentum quàm lecorini maius eſt, & minus quàm Chremytis, Algas depaſcitur, & ſaxatilis eſt, atque ſimiliter ut terrena omnium cadauerum, in quæ incurrit, oculos exeſt, & conficit.

De Myrone piſce. CAP. XXVIII.

PIſcem eſſe accepi nomine Myronem, unde nomen duxerit, haud equidem ſcio, eum ipſum eſſe dicũt marinum ſerpentem: ac ſi illius utercunq; oculus erutus tanquam amuletum geſtetur, oculum improbe affectum, ad uidendum curabit, & ſimul huic alterũ renaſci loco eruti aiunt: ac oportet uiuum dimittere, uel fruſtra illius oculum geris amuletum.

De Orcyno. CAP. XXIX.

ORcynus cetaceus piſcis, rerum ſuarum prouidẽs eſt. Hamum quo transfixus fuerit, in maris altitudinem ſua impulſione deprimens, ad ſolum allidit, eumq; oris pulſatione expellere cupit: quòd ſi id minus fieri queat, ab hamo exceptum uulnus luculentius infert, dilatatq;, atq; exſiliendo id quod ſibi moleſtiam exhibet, expuit abijcitq;: ſæpe id non aſſecutus, inuitus ad piſcatoris prædam ſubtrahitur.

De Orpho. CAP. XXX.

ORphum piſcem marinum ſi poſtquàm cæperis, diſſeces, ſtatim non moritur, ſed motum non parum diu retinet. Hyberno tempore cum in ſpeluncis ſe tenet, tum uero ad continentem libenter commoratur, quòd magis littoralis ſit, quàm pelagius.

De

De Orphis ſacris piſcibus Myrenſium.

CAP. XXXI.

IN Myrenſi Lyciæ ſinu Apollinis templum eſt, ad cuius ſacerdotem uitulinas carunculas diſtrahentem Orphi adnatant, & tanquam ſanè conuiuæ ad epulas inuitati, carnes comedunt: & uero immolantes ex eo magna uoluptate afficiuntur, quòd piſces ſua ſacrificatione paſcantur. Quod quidem ipſum res ſuas bene & feliciter ſibi caſuras eſſe ſignificare perſuadent, idcircoq́; propitiũ eſſe ſibi Deum dicunt, quòd ſuis cibis piſces expleantur. Quòd ſi caudis carnes in terram eijciant tanquam ſordidas à ſe deteſtantes, inde ſibi iram Dei protendi arbitrãtur. Itemq́; huiuſcemodi piſcium genus ſacerdotis uocẽ & agnoſcit, & ſi ad eos à quibus appellatur, acceſſerit, ſic incredibilem ipſis lætitiam affert, ut ſi contrà fecerit, magnum dolorem eiſdem inurit.

De Oue & Epatho piſcibus marinis.

CAP. XXXII.

IN ſpecubus abditæ latent maris incolæ Oues & Epathi, & à piſcatoribus Præpontes nominari ſoliti. Ii quidem quanquam natura maximi uideantur, tamen ad natandum ſegnes ſunt: non enim à ſuis latibulis longe aberrant, imo uero circum ea ipſa ſemper uolutantur. Infirmioribus piſcibus adnantibus inſidias faciunt. Aſellus inter eos numerari poteſt, hic exortum caniculæ extimeſcit.

De Oxyryncho maris rubri. CAP. XXXIII.

OXyrynchus, quem mare rubrum profert, ore eſt prælongo, oculis ad ſimilitudinem auri fulgentibus, eius dorſo ſigna pallore inſignita ſunt, pinnæ priores ei nigræ exiſtunt, eæ uero quæ ſunt in dorſo albæ: cauda prolixa & uiridis, quam mediam aureola linea interſecat.

De Oxyryncho Nili piſce. CAP. XXXIIII.

OXyrynchus Nili alumnus, ex acumine roſtri nomen trahens, illic uenerationem & religionem habet, ut piſcatores ualde timeant, nequando is piſcis apud eos ſacer, & magna religione præditus hamo traijciatur: quem ſi fortè hamo ceperint, nunquam tamen edere audent, atque cum piſces retibus comprehenduntur, diligenter etiam atque etiam perſcrutantur, nunquid horum piſcium imprudentes unà cum alijs cæperunt: Malunt enim nihil piſcium excipere, quàm hoc retento maximum piſcium numerum aſſequi.

De Oxyrynchis Caſpijs. CAP. XXXV.

IN maximo Caſpiæ lacu Oxyrynchi ab acumine roſtri nuncupati, magnitudine octo cubitorũ procreantur. Eos Caſpij captos diſtrahunt, & muria conditos atque exſiccatos Camelis Ecbatana uehunt, ſimul & adipe detracto, farinas ex ijs conficiunt, & huiuſmodi ſalſamenta quidem uendunt. Oleo uero pinguiſsimo & ſuaueolenti unguntur, atq; etiam exempta ex ijs uiſcera excoquunt. Vnde ad permultos uſus accommodatum fit glutinum; nam non modo

ad

ad quæcunqꝫ applicatum fuerit, adhereſcit, ſed & firmiſsime retinet, ut & decem diebus madefactum nunquam poſtea diſſoluatur: & eo ad Elephantos comprehendendos uenatores utantur, & pulchra facinora edant.

De Pagris & Meotis piſcibus Nili.
CAP. XXXVI.

AEgyptij Syenitæ ſacros piſces Pagros ducunt: atqꝫ Elephantinem ſic nuncupatam incolentes, eadem exiſtimatione Meotas piſces ornant. Cauſa uero cur huiuſmodi piſcium genus hanc apud eos populos uenerationem habet, & magnam religionem poſsideat, ex eo profecta eſt, quòd aduentantem Nilum hi præcurrentes, futuram aquam prænunciant, & mirifica quadam ui eius acceſsionem præſentientes ex ſua anteceſsione ſuſpenſas Aegyptiorum mentes optima ſpe recreant. Idcirco etiam eo honore afficiunt, quia in eo permanent nullum ut ſui generis comedant.

De Pardali piſce. CAP. XXXVII.

PArdalis piſcis, ut ij qui ipſum uiderunt, dicunt, in mari rubro naſcitur, colore & maculis orbiculatis, ſimilis eſt terrenæ Pardali.

De captura Pelamidum. CAP. XXXVIII.

RAtionem piſcandi Pelamides haud ſanè peruulgatam non à ſeria conſideratione alienum eſt explicare. Decem iuuenes ad ſummum ætatis uigorem floreſcentes expeditã nauem & celerem conſcẽdunt,

& ſimulatq; ſe cibo expleuerint, pariter continuo æqualiterq́; in utrunq; nauis latus diſtributi remigare contendunt, atq; huc illuc errant: eorum unus aliquis ad puppim ſedens, armatas hamis lineas ad utranq; nauis partem demittit, tum ad ſingulos hamos eſcam ex Purpura piſce confectam ſtricte religat, tum Lari marinæ auis pennam ad hamũ quenq; alligat, ut ab occurrente aqua ſenſim & leuiter agitetur. Pelamides autem eſcæ ſic inſtructæ illecebra delinitæ in hamos innatant. Cum autem ex ijs aliqua liguritione apprime ſtimulata, os in eſcam impegerit, tum reliquæ conſequentes hamis configuntur, ut hami ob multitudinem uno eodemq́; tempore transfixorum piſcium uexentur. Iuuenes uero remigare deſiſtentes, de tranſtris ſurgunt ad ſubtrahendas lineas multitudine piſcium onuſtas, quos poſteaquam in nauem ſubduxerũt, fecundiſsima piſcatio ex permagno piſcium numero aperte oſtenditur.

GYLLII ACCESSIO.

De captura Pelamidum. CAP. XXXIX.

PElamides ubi Cyaneas tranſierunt ſaxum quoddam ex littore Chalcedonio eminens ſic ex albeſcit, ut his ipſis immanem inijciat terrorẽ, & eueſtigio in ulteriora littora ſe conuertant. Deinde fluctuum impulſu præcipites actæ Byzantium deferantur, ubi earum permagna uis comprehẽditur. At Chalcedonij, quòd ſaxi metu ad Chalcedonis littus omnino

non

non accedant, nullas capere poſſunt.

De Perſæo piſce maris rubri. CAP. XL.

IN mari rubro piſcis naſcitur quem Perſæum Arabes nominant. Græci quoq; eodem nomine appellant: nam utriq; Iouis filium Perſæum uocant, ex cuius uocabulo nomen traxiſſe piſcem hunc prædicāt. Is pari magnitudine eſt cum Anthia maximo. Aſpectus ſimilitudo illi etiam eſt cum Lupo: naſo eſt leuiter adunco, cingulis aureis diſtinguitur, quæ à capite exorientia oblique feruntur, & ad uentrem uſq; pertinent, frequentibus & permagnis dentibus munitus eſt. Ex omnibus piſcibus qui in eo mari uerſantur robore & audacia maxime excellere dicitur.

De Phyſa piſce. CAP. XLI.

PHyſa Aegyptius piſcis admirabili natura præditus eſt, nam cum notionē habere ferunt, quando luna augeatur & diminuatur, eiusq; iecur cum luna pariter decreſcere pariterq; recreſcere, corporisq; habitu modò eſſe opimo, modò gracili & tenui.

De Phyſſalo piſce maris rubri. CAP. XLII.

IN mari rubro, ſinu Arabico, piſcem Leonides Bizantius gigni ait, Gobio ætatis perfectæ non magnitudine inferiorem: nullos oculos, nullumq; os habentem, more tamen piſcium branchias his innatas eſſe: capitis figuram etſi minus expreſſam coniectari poſſe: infra imum uentrem formam quandam leuiter contractam in ſinum apparere, quæ ſmaragdi colo-

rem reddit, hanc ei oculorum loco & oris eſſe idem ait. Quiſquis hunc guſtauerit, ſentiet ſe magno malo ſuo expiſcatum illũ fuiſſe: nam ſtatim ut guſtauerit, acerrimis doloribus premitur: deinde illius uenter cum extrema uitæ pernicie diſrumpitur: ueruntamen & is tanti mali ſi ſemel capiatur, pœnas pendit. Cum primum eſt extra aquam, inflatur: & ſi eum tetigeris, magis magisq́ intumens exardeſcit. Tumq́ ſi quis eum aſsidue moueat, præ ſiti totus perlucet, & tanquam morbo inter cutem deniq́ diſrũpitur. Si quis hunc etiam nunc uiuentem in mare uelit reijcere, is ſupernatat more inflatæ uento ueſicæ, quocirca ex affectu Leonides ait Phyſſalum appellatum eſſe.

De Pompylis piſcibus. CAP. XLIII.

POmpyli piſces pelagij in ima ſede maris uerſari ſoliti, uel omnium piſcium quos auditione accepimus, maximopere cognoſcendi ſunt. Ii ſiue terram male oderunt, ſiue hæc ipſa illorum odio tenetur. Hi autem ſic circum naueis altum ſecantes, tanquam amicas concurſant, easq́ ſtipant ſaltantes. Et nautæ quidem quantum abſint à terra ignorare ſolent, at Pompyli, tanquam canes magna ſagacitate propinquam prædam præſentientes, ſic terram non longe abeſſe ante multo ſentiũt: idcirco non tanto amplius ſtudio nauium tenentur, longius eos ut perſequi comitando uelint, ſed quaſi ſigno ad abeundum ſublato, frequentes in altum redeunt. Vnde nautæ continentem,

nentem, tametſi faſcibus non eam aſſecuti, ſed à Pampylis eruditi, propinquam eſſe ſentiunt.

De Pompylis piſcibus. CAP. XLIIII.

POmpylum piſcem dicunt non modo Neptuno, ſed etiam incolis Samothraciæ Dijs ſacrum & charum eſſe. Ob eamq́ꝫ cauſam piſcatorem nomine, ſicut dicitur, Epopeum, ex Icaro inſula profectũ ętate iam affectum, quòd aliquando cum nihil aliud piſciũ præter Pompylos cepiſſet, eoſdemq́ꝫ cum filio comediſſet, protinus huic piſci meritas poenas perſoluiſſe. Etenim cetacea belua facto in eius piſcatoriã impetu, ipſum deuorauit. Pompylum hoſtili odio Delphini perſequuntur: necꝫ hoc ipſum tamẽ impune faciunt: Cum enim hunc guſtauerunt, inefficaces, ſtupidiq́ꝫ continuo redduntur, & quod furore inflammati con ſiſtere non queunt, idcirco in littora expelluntur, atꝫ fluctu eiecti, à Coruis, Gaujs cæteriſq́ꝫ maritimis aui bus exeduntur, & conficiũtur. Apollonius Rhodius ſiue Naucratites, dicit, hunc aliquando hominẽ fuiſſe portitorem, qui cum puellæ Apollo amore teneretur, quacum etiam complexu uenereo iungi conaretur, hæc autem effugiens Miletum ueniſſet, & Pompylum precibus obſecraſſet, ut ſe traijceret, is quidem paruit: at uero Apollo ſeſe oſtendens, hanc quidem rapuit, nauem autem in lapidem, Pompylum uero in piſcem conuertit.

De Remora. CAP. XLV.

ECheneis pelagius piſcis, aſpectu niger, longitudine cũ mediocri, Augulæ æquandus. Nomen à rebus quas agit habet, ab inhibendis nauibus. Echeneida Græcè ſcientes appellarunt. Nauis ſecundo uento, & plenis uelis propulſæ extremam puppim mordicus premens, tanquam indomitum atque effrenatum equum freno robuſto inhibens, uiolentiſsime ab impetu reprimit, & conſtrictam tenet: fruſtraq́; uentis uela dãtur, fruſtra uenti afflant: quæ res uectores angit, & ſollicitos uehementer habet.

De Scombris piſcibus. CAP. XLVI.

IN mari Ionio prope Epidamnũ inſula eſt, quę Athenas appellatur, eam piſcatores incolunt, & lacus eſt, ubi Scombrorum, qui ad piſcatorum conſuetudinem aſſueuerunt, & manſuefacti ſunt, greges alũtur. Iis ſane cibaria edenda piſcatores idcirco obijciunt, quòd cum iJſdem fœdus quoddam ſanctum habent, atque adeo firma pace deuinciuntur. Nam hoc piſciũ genus ab omni captura tum liberum eſt, atque ad errandum ſine ulla exceptione ſolutum: tum uero eatenus ætate procedit, ut uiuat ibidem ad ſummam ſenectutem. Nec tamen ætatis tempus ignauiter traducit, neque in ſuos altores ingratum eſt: at enim de piſcatoribus paſtum cum mane acceperit, piſcationẽ capeſcit, ut ſe nutricantibus præmium pro nutrimento perſoluat. Quare ex portu ſoluens, ad feros Scombros gentiles ſuos natare cõtendit, ac ſimul ut ad eos peruenit, cum ipſis ita continuo tanquam cum aliqua

phalange

phalange ſuorum popularium errat: & nimirũ cum eiuſdem generis ſint, non inter ſe fugiunt, ſed ſimul natant: poſt autem cicures circum feros concurſantes in orbem conſiſtunt,& ſuorum corporum obſtructione eos fuga exituq́; intercludentes, ſuorum nutritiorum (ut pro ijs quibus expleti cibis fuerint, illos remunerentur) aduentum acerrime tandiu expectãt, dum piſcatores eò profecti,captorum permultas cædes effecerint. Deinde cicures properãtes ad portum regrediuntur,atque ibidem intra cauernas abditi,à piſcatoribus cibaria expectant,quæ quidem ipſa eis cotidie largiuntur,ſi ipſos ad piſcatum adiutores atque amicos fidos habere uelint. Quòd ſi hominibus ex iecore laborantibus, atque ex arcuato morbo ægrotantibus Scombrum edendum dederis, quemadmodum rei piſcatoriæ bene periti docent, ad ſanitatem redibunt.

De Simia maris rubri. CAP. XLVII.

EST etiam in mari rubro Simia, non piſcis quidem hæc,ſed beſtia cartilaginea, & uelut ſquammarũ expers, eaq́; ipſa non magna. Colore eſt terreſtri ſimilis,tum aſpectu ſpeciem ſimilitudinemq́; eiuſdem terrenæ Simiæ gerit. Non piſceo tegmine reliquum corpus, ſed illiusmodi circumueſtitur, cuiuſmodi teſtudinis inuolucrum eſt. Eadem ſimiliter atque terreſtris reſima eſt,eius reliquum corpus inſtar torpedinis latum eſt,ut dicas auem eſſe alas explicantem. Cum natat,uolare uidetur;cum igitur terreſtri partim differt,

partim conuenit: maculis diſtinguitur.

De Thriſſis Aegyptijs. CAP. XLVIII.

QVi Maræotim lacum accolunt, Thriſſas illinc cantu & pulſibus teſtarum concrepantium conſonantibus piſcantur. Etenim eæ tanquam ſaltatrices ſaltantes in piſcatoria, ad ſe comprehendendas explicata, inſtrumenta incidunt, atque cum ſaltatione & luſione Aegyptij ſplendidam prædam conſequuntur.

De Thymo piſce. CAP. XLIX.

PIſcem Thymalum, ſic nuncupatum, Ticinus fluuius Italiæ procreat: Is ad cubiti magnitudinem accedit, & Lupi & Mugilis communem & mediam ſpeciem ſimilitudinemq́ gerit. Eius capti odor non indignam admirationem habet: non enim ut cæteri piſces piſculentum quẽdam mittit odorem, imo uero exiſtimes te eius gentilem herbam recentem ex terra lectam manibus tenere. Tanta odoris ſuauitate fragrat, ut qui eum ipſum non uidet, gratiſsimam Apibus herbam, unde nomẽ duxit, intus eſſe putet. Non quidem hamatis eſcarum aliarum illecebris, ſed ſolo culice, beſtia noctes & dies homini infeſta, quòd hac ſola delectetur, comprehenditur.

De Torpedine. CAP. L.

VT Remora, quòd naues remoratur, ex eo nominatur, ſic id quod à torpedinis piſcis tactione obtorpuiſſet, ei nomẽ dedit. Ex matre mea, cum eſſem puer, audiui, ſi quis eam contigerit, manum obtorpeſcere. Itemq́ de ſapientibus uiris hanc auditionem accepi

accepi. Quòd ſi quis rete in quo fuerit capta attigerit, torpere: ſin autē quis eam uiuam in uas impoſuerit, & marinam aquam infuderit, eamq́ aquam quis ex uaſe in hominis aut manū aut pedem infuderit, membra hæc non dubitāter obtorpeſcere. Theophraſtus in eo opere quod inſcripſit de Latentibus, dicit, propter frigus in terram ſe abdere.

GYLLII ACCESSIO.

De Torpedine. CAP. LI.

PIſcibus non eſt iuſtitiæ pudor quiſquā, neq; amicitiæ, imo odia atq; inimicitias inter ſe omnes crudeliter gerunt. Robore enim firmior debiliorē exedit, & conficit: alius qui dentibus præſtat, infirmioribus uim infert: alius aculeo uehemens, atq; peſtiferū uulnus infligit: alij quibus neq; uires neq; aculei natura tributi ſunt, ingenij armis teguntur: aſtutia nimirum & fraude, qua ſæpe piſcem & robuſtiorē & maiorem perdunt: Torpedini uirium experti, & pelle molli obductæ, hanc uim ingenuit natura, ut tametſi corporis debilitate in natando tam tardos motus habet, ut cum natat, ad iudicandum difficile ſit moueatur necne: tamen eius tactus doloſum robur habet. Primum enim ut quiſpiam ipſius membra contigit, continuo obtorpeſcit, cuius quidem muneris præclarè intelligens Torpedo, ſeſe ſupinam in terram abijcit, & humi ſtrata iacet immobilis tanquā mortua: Ac ſi quis ex piſcibus ad eam appropinquat, hic primū tanquā uinculis conſtrictus tenetur, & tanquam arctiſsimo

ſomno opprimitur. Poſt uero hæc quanuis non leuis ſit, tamen celeriter ex latebris erumpens, piſcem mortuo ſimilem edit: Et ſæpe ita in natantes piſces incurrens, eorum celeritatem tardat, & uel properantes ſuis uinculis aſtringit, & debilitati, fugere obliuiſcuntur. Illa uero eos à fugiendo retardatos torpore, excedit & conſumit.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum Torpedo hamo capta ſe liberat. CAP. LII.

TOrpedo cum ſe piſcatorum inſidĳs captam ſentit, ſeſe ad lineam admouet, ſtatimq́ꝫ per lineam & calamum huius torpor ad manum piſcatoris permanat. Qua quidem machinatione ſæpe ex piſcatoris manu obtorpeſcēte calamus defluit, & ipſa elabitur.

De Trocta piſce. CAP. LIII.

PIſcis Trocta, cuius naturam nomen & os declarant, dentes habet frequentes & continentes, quibus quicquid inciderit, perfringere poteſt. Hamo captus ſolus ex piſcibus non ſe ab hamo retrahit, ſed impellit ſeſe in ferrum, chordam conſumere cupiens. Piſcatores contrà machinātur longas anſas: ille uero quoniam quodammodo ualet ſaltu, anſas ſæpe tranſilit, ac linea qua agitur conciſa, ad piſcium domicilia reuertitur. Hic etiā ſui generis grege coacto, Delphinos inuadit, & ĳ quidem ſi quem ſegregatū circumuenire poſsint, fortiter inuadunt: plane enim ſciunt Delphinum ſuis morſibus uerberari aſpere ſolere.

Itaq; Troctæ ei acerrime inſtant. Delphinus contra reſilit, ſubſilit, atque indicat ut ex dolore torqueatur, idcirco tenaciter urgent, ſimulq; ad ſaltum Delphini tolluntur. Hic eos repellere conatur, illi uero nihil remittentes, uiuum lacerant: poſtea uero quàm pro ſe quiſq; aliquam eius partem uulnerauit, diſcedit. Delphinus uero libenter enatat cum conuiuas (ut ita dicam) minus inuitatos cum ſuo dolore excepit.

Vbi Vituli marini pariant. CAP. LIIII.

VItuli marini primum in arido fœtus ſuos pariunt, deinde in lucem editos paulatim cum in humidiora loca ſubducunt, atq; ad deguſtandũ mare eos introducunt, tum in aridum natalem locum reducunt, inde rurſum in mare deducunt, & quàm mox educunt. Sæpeq; numero cum id fecerunt, aptiſsimos ad natandum efficiunt, partim doctrina inſtitutos, partim natura ad mores & ſedes maternas amandas impulſos.

GYLLII ACCESSIO.

De Vituli marini ſtudio in ſuam prolem.

CAP. LV.

EOrum quæ procreauit Vitulum marinum maxima cura attingit. Non in mari, ſed in arido parit. Totos duodecim dies in ſicco commoratur: decimotertio die catulos tanquam ulnis complexa, in mare demergitur. Neque enim modo homines ſuam procreationem charam omniq; luce dulciorẽ habent,

ſed & uolucres, & crudeliſsimæ feræ fœtuum ſuorũ charitate tenentur. Neq; pro ijs quicquam ſupplicij ſuſtinere, atq; uitam ipſam amittere recuſant. Iam paſtor ſæpe in paſtionibus Leonem aſpicit pro catulis acerrime propugnantem, & præclarè contemnentem factam ſaxorum lapidationem, & crebram miſſionem telorum, neq; uel infinitis uulneribus confectus, inuicto robore animi prius omittit eos tueri, quàm omnino moriatur: neq; enim ſanè tantopere ſua morte mouetur, quàm ut ne ab antro ſui catuli abripiantur. Neq; item paſtor ad canis à partu recentis cubile appropinquare audet, & tametſi antea cum ea quaſi ſocietatem tuendi gregis coiuerat, tamen illius iracundia, qua de ſuis catulis ea permouetur, is deterritus, abſcedere cogitur: neq; quenquam agnoſcit, at difficiles omnibus aditus habet. Arreptam uitulam grauiter mater luget, & longe lateq; magno gemitu uagatur, ut paſtoribus ipſis acerbum dolorẽ moueat. Vituli marini exeunt quidem de nocte magis, ſed & interdiu & extra mare dormiunt: quod quidem ipſum narrantem Menelaum Telemacho, & Piſiſtrato Homerus facit in Odyſſea, cum de Protæo & eius diuinatione, qua is uteretur, ipſis narratorem inducit.

De Vituli marini amore. CAP. LVI.

VItulum marinum, Eudemius ait, in hominem Spongias piſcari ſolitum, amore flagraſſe, eoq; ubi

ubi ſubterranea petra eſſet, extra mare progreſſum cum ſpongiatore uerſatum fuiſſe. Quòd autem, cum is deformiſsimus eſſet, uitulo formoſiſsimus uideretur, nihil forſitan mirum uideri debet: cum ſæpenumero homines in mulieres turpiſsimas amore inflammentur, contrà ab elegantibus ualde abhorreant.

GYLLII ACCESSIO.

Vitulus marinus quemadmodum capitur. CAP. LVII.

Vitulus marinus robuſto corio obductus, neque hamo, neque fuſcina comprehenditur: At primum ut irretitus tenetur, piſcatores ſtatim magno ſtudio rete in littus expellunt, atque eijciunt. Nam etſi uarijs & multiplicibus retibus illaqueatus eſt, ea tamen unguibus facile laceraret, & piſcibus ſimul captis adiumento ad exitum eſſet. Quamobrem magna celeritate ad terram ſubtrahunt, ubi & tridente & fortibus haſtis ſecundum tempora eius caput percutiunt, ſic enim celeriter necatur.

GYLLII ACCESSIO.

De piſcibus Vitulorum ſimilibus. CAP. LVIII.

Qui nouum orbem obiuerunt, in flumine Gambra nuncupato, teſtantur piſcem procreari Vituli marini ſpeciem ſimilitudinemq; gerentem, præter caput, quod equinum exiſtit. Nam quemadmodum uitulus partim aquatilis, partim terrenus habetur, ſic is in utraq; ſede uiuit, eademq; eſt qua bos corporis uaſtitate, præterquam quòd cruribus eſt longe

gracilioribus: Itemq; biſulcis pedibus, cum duobus dentibus extra eminentibus, atque adeo magnitudine ad duos dodrãtes accedentibus, ſicut Aper armat.

Quemadmodum ex piſcibus Hirundines & Accipitres uolant. CAP. LIX.

ACcipitres marini, Hirundo pelagia, cũ quippiam metuunt, ex mari exſilire dicuntur, ac Hirundines quidem pinnarum longiſsimo & ſublimi tractu gregatim more auium efferri, Accipitres uero paulo ſupra ſummam aquam maris tolli ſolent, ut ad iudicandum ſit difficile, natent ne an uolitent.

De marina Vulpe. CAP. LX.

QVemadmodum Vulpes terrena animal fraudulentum exiſtimatur, ita etiam marinæ Vulpi machinatio quædam atq; ſolertia ad declinãdas inſidias attributa eſt. Principio enim ad hamũ nõ accedit, aut ſimul ut hunc deuorarit, ſtatim tanquam ueſtẽ inuertens, & interiora ſua euomit, & ad hunc modum ferrum expellit.

GYLLII ACCESSIO.

De eiuſdem inſidijs. CAP. LXI.

NOn modo terrena Vulpes doloſa, ſed & marina aſtuta eſt. Ea igitur non eſcam ob auiditatem uitat, imo uero & hamum egregie cõtemnit, & antequã piſcator lineam ſubtraxerit hæc ſubito exſiliens abſcindit lineam, & rurſus libera natat, ac ſæpe duos treſue hamos deuorat.

De Muſtello piſce. CAP. LXII

Muſtellus

MVſtellus marinus cum timet de ſuis, eos recipit intra ſeipſum, ac rurſus eadem uia eoſdem reuomens, iterum uiuos & incolumes parit.

Quemadmodum nouerunt animalia in quo habent fortitudinem ut Xiphias, Paſtinaca, Murena. CAP. LXIII.

IN qua parte inſitã uim habeat, præclare nouit unũquodque animal, cuius cum inſidias facit, fiducia nititur: Vt Gladius piſcis, ea parte unde nomen traxit, tanquam gladio utitur: Paſtinaca aculeo ſe tuetur: Murena dentibus eo commodius ſe defendit, quòd eorum prædita ſit duplici ordine.

De Xiphia, & alijs piſcibus Danubij. CAP. LXIIII.

INitium Europeorum fluminum maximi Danubij ad Septentriones uentos ſub alpium radices ſubiectum contra ſolis exortum à non magno fonte naſcitur: deinde ſimul permulti, tanquam ſtipantes indigenarum fluminum regem exoriuntur, & eorum cõfluens continuatus & perennis eſt: quorum nomina qui huiuſmodi fluuios accolunt, planè ſciunt, ij poſtquam in Danubium influxerunt, primogenio nomine appellari deſiſtentes, Europæ fluuiorum regi de ſuo nomine decedunt, atque ex eo nominati, ſimul in Euxinum defluunt. In hoc flumine permulti & diuerſi piſces naſcuntur, Coracini, Autacei, id eſt, ingentia cete, & nigri Cyprini porci, Percæ, & Gladij, qui conuenientiſsimum nomen habent, cum enim omni

tempore teneri ſunt, & tactu ſuaues, & grati, tum omnino nec obliqui dentes, neque immanes ſpectantur, nec ſic horret ſpina in dorſo, quemadmodum Delphinorum, nec in cauda: ſed quod magnam uel audientium uel legentium admirationem moueat, in mucronem roſtrum procedit, & rectum porrigitur, ſenſimq́; & leniter in longitudinem & craſsitudinem augetur: & cum ad cetaceam magnitudinem peruenit, illius mucro triremis roſtro ſimilis eſt: neque modò cum ſibi inopia urgetur mucronati roſtri incurſu piſces interficit atque exeſt, ſed etiam maxima cete propellit & ulciſcitur, non quidem armis ex ferro cōfectis, ſed natura comparatis, ut ij qui magnitudine proceſſerunt, contra nauem mucronem in eam defigentes, uenire audeant. Quidam gloriantur ſe ſpectauiſſe nauem Bithyniæ in littus expulſam atque eiectam uetuſtate aut uacuitate oneris, atque in eam Gladij caput inſpexiſſe, cuius, cum in nauem mucronem ſuum defixiſſet, & nullis uiribus ipſum retrahere quiuiſſet, corpus colli neruis retentum fuit, & roſtrum infixum, ut à principio inciderat, remanſit. Capitur in mari & Danubio, quòd & ſalſa, & dulci aqua delectetur.

GYLLII ACCESSIO.

De Xiphiæ Gladio. CAP. LXV.

Xiphiæ Gladium Oppianus ait acutiorem ferro exiſtere, cuius horribilem mucronem haudquaquam durus lapis ferre poſsit, neque priuſquam ſpiculo

culo transfixerit, quidquam comedit. Idemq́ ſcribit, extincto piſce, ſimul etiam corrumpi gladium, armaq́ unà cum domino extingui, & deinde os manere inefficax, neq́ cum eo quidquam effici poſſe. Ego tamen cum ad portum Monœci Herculis, à piſce huius Gladij iam abſciſsi robur tentarem, dura ſaxa mucrone excauabam.

De marinis Cantharis. CAP. LXVI.

PVgnant de fœminis iuxtà ac uiri de pulchris mulieribus, hirci contra hircos, tauri contra tauros, de ouibus arietes depugnant cum procis. Intuentur etiã fœminas Canthari maritimi. Quod uero in amatores ſuarum coniugũ odium acerbum habent, acerrimas pugnas edi uideres, nec tamen illis more Sargorũ piſcium de multis certamen inſtituitur, at non aliter quàm Menelaus cũ Paride pro una uxore decertant.

FINIS LIBRI XII.

LIBER TREDECIMVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

De Rana Piſcatrice. CAP. I.

IN GENERE Ranarum quædam Piſcatrix appellatur, nomen ex ijs actionibus rerum quas molitur trahens: hæc ante oculos, has ſanè piſciculorū capiendorum illecebras habet, longulos nimirum pilos eos ſibi conſcia à natura comparatos eſſe, dandæ anſæ ad illiciendos in eſcam piſces, ſeſe in turbidiſsima et referta limo loca abdit, atq; illic ibidem ſilentio deliteſcens, porrigit pilos & prætendit: paruuli igitur piſciculi ad eos adnatant, & extremum quod propilatum eſt eſcam eſſe putant: ea uero in abſtruſis inſidijs manens, ubi illos propius acceſsiſſe perceperit, pilos ad ſe ſubducit, ſubducuntur enim occultis quibuſdam uijs: piſciculi autem qui helluatione & liguritione allecti proxime acceſſerint, comprehenduntur, & ei eſca fiunt.

De Ranæ marinæ partu. CAP. II.

NOn animatos partus edit, ſed ſimiliter ut aues ex ſeſe Rana marina ouum parit: cuius quidem fœtus, uel à partu recentes capite præditi ſunt, tum magno tum aſpero, eamq; ob rem cum quippiā metuunt, ipſa intra ſe recipere non quit, nam illam etiā

rurſus

rurſus ſubeuntes, exulcerant non modò cum in aſpe-ctum lucemq́ꝫ proferuntur in exeundo lædunt: non ergo faciles partus habet, nec fœtibus bona perfugia præſtat. Huius ouum non naturæ ouatæ ſpeciem ſi-militudinemq́ꝫ proprie gerit, cum ſit ſquamoſum, aſperum, & ad tactum reſiſtens, & durum.

GYLLII ACCESSIO. De eadem. CAP. III.

RAnæ marinæ, inquit Cicero, dicuntur obruere ſeſe arena ſolere, & moueri prope aquã, ad quas quaſi ad eſcam piſces cum acceſſerint, conficiuntur à Ranis, atqꝫ conſumuntur.

De Raia & Squilla Indicis. CAP. IIII.

NOn maiores Argolico clypeo Raiæ gignuntur in India, itemq́ꝫ Squillę Locuſtis maiores Indicę ſunt: quæ autem ex mari ueniunt, in Gangem forci-pes maximas & tangentibus aſperos habent: quæ uero ex mari rubro in Indum excidunt, leues audio habere ſpinas, & forcipibus carere.

De aculeo Paſtinacæ. CAP. V.

EX omnibus beſtijs infeſtiſsimo ac periculoſiſsi-mo aculeo Paſtinaca prædita eſt: cuius rei teſtimo nio eſt, ſi eum quis in arborem uirentem & florentem infixerit, nõ longo interuallo emarceſcere differt, ſed potius eueſtigio exſiccatur: idipſum facit in animali-bus, nam ſi quod contigerit, necat. Ab omni medi cina inuictus exiſtit aculeus, etenim primũ ut pupu-git, ſtatim interficit: quę quidẽ ipſius arma uel rei ma ritimæ peritiſsimi perhorrent; neqꝫ enim alius quiſqꝫ,

neq; uulneratrix ipſa medicinam facere poteſt.

De eiuſdem natatione, ſiue uolatu. CAP. VI.

PAſtinaca marina cum natandi eſt cupiditate affecta, natare poteſt: cum rurſus uolandi ſtudio tenetur, ſurſum uerſus ſublimis uolat. Aculeum, cuius antè mentionem feci, mortiferum habet, ut uel celeriter non modò homines, ſed etiam animalia alia perdere queat. Quod quidem ipſum ut non admirabilitatem facit, certe id ſtupendam admirationem habet, quòd ſi ad maximã arborem, & uegetam, & ſumme uirentem, aculeum admoueas, & defigas, non multo pòſt amittit folia, quæ poſtquam defluxerunt, totus truncus ſimilis eſt arboribus, ſolis ardoribus exſiccatis, æſtate cum eſt maxima ſiccitas.

De piſcibus uenenatis. CAP. VII.

GObio, Draco, piſces marini pungendo uenenum emittunt, minime tamen mortiferum: Paſtinaca ſæpe aculeo mortem infert. Leonides Byſantius hominem piſcium naturam & diſcrimina ignorantem, è reti ait paſtinacam arripuiſſe, putabat infelix ille Rhombũ eſſe, ſimulq; ut ille rapuiſſet, in ſinũ ſuum abdidiſſe, clamq; ſe ſubduxiſſe, tanquã quiddã lautũ & pretioſum nactus fuiſſet: ubi Paſtinaca ex cõpreſſione dolere cœpiſſet, aculeo eum, qui ſe diripuiſſet, confixiſſe, atq; infelicis furis uiſcera perdidiſſe, furem autem prope Paſtinacam proiectum iacuiſſe, quod maximo argumento fuit illum naturæ imprudentem

fuiſſe

fuiſſe piſcis, quem contigiſſet. In mari rubro Gobij duorum & ſæpe trium cubitorum naſcuntur.

Quemadmodum Paſtinaca ſaltatione & Muſica capitur. CAP. VIII.

CVm Paſtinacam ſubnatantem piſcator intuitus fuerit, ridiculum quiddam in piſcatoria ſaltat: & ad tibiam, quam tanquam illecebram fert, canere incipit: hæc ex ea re magnam lætitiam, uoluptatemq; cepit. Etenim, ſicut ferunt, aures habet, tum muſicæ, tum ſaltationis oculos intelligentes, atque hac permulſione illecta ſenſim ad ſummam aquam effertur. Interea cum is qui cantu & ſaltatione illecebras egregie machinatur, alter quiſpiam piſcatorio captu imprudentem ſubducit.

GYLLII ACCESSIO.

De eadem. CAP. IX.

NEque uulnere, quod Paſtinaca infligit, quicquã peſtilentius, neque bellica tela quæ fabri machinantur infeſtiora exiſtunt: neque iacula, quæ ueneno Perſæ imbuunt, tantopere pernitioſa ſunt, quàm uiuentis Paſtinacæ aculeus. Iam quod dicam, quis audire non horreat? Extincta Paſtinaca, non tamen aculeus extinguitur: imo uero inuictum ſeruans robur, non modo animatis nocet, ſed & inanimatis, perniciem affert, & ſaxa corrumpit. Quòd autem Aelianus eam poſſe uolare ait, falſum exiſtimo.

Quemadmodum ſuorum conuictorum Aſtacus memor eſt. CAP. X.

SI quem Aſtacum comprehendiſti, eum longiſsime exportes, relicto ibi ſigno, unde ipſum cœpiſti, eodem eum ipſum unde comprehenſus fuerit, arrepſiſſe reperies: ſi inquam modò ita ex mari exportaueris, ut deinde ſic prope depoſueris, ut in mare adrepere queat.

GYLLII ACCESSIO.

De Squatina. CAP. XI.

ET ſi ſumma cura eorum quæ procreauerit, Squatinam attingit, non tamen ſimiliter atq; Canicula in uentrem ea recondit, ſed in hiatum ſub pinnas ſubiectum eos metuentes occultat.

De Locuſtæ & Polypi inimicitijs. CAP. XII.

LOcuſta ideo inimicitias cum Polypo graueis habet, quòd hic cum illius brachia circumplexus fuerit, aculeis, quos in dorſo inſitos habet, præclare contemptis, & pro nihilo habitis, illam ipſam circumplicans, ſuffocat. Cuius ſanè rei haud inſcia Locuſta, à Polypo ſumme refugit, cū nullius rei metu afficitur, tum ante uerſus progreditur non prætenſis quidem, ſed obliquis & demiſsis in latera cornibus, partim ut ne aqua contra natationem ueniēs reprimat cornua, partim uero ne ultrà progredi prohibeatur: ſin fugit & retrocedit, tum longe latéq; ſua cornua & porrigit, & tanquam remis ſcapham propellens, ſic ſeſe cōmouens, multum conficit itineris. Quòd ſi Locuſtæ inter ſe pugnant alij contra alios, ita erectis cornibus

ueniunt

ueniunt,ut incurrentes arietes allidunt, & conſerunt frontes.

De Polypo & Locuſta. CAP. XIII.

TAm uehementer Polypum Locuſta extimeſcit,ut ſi quando uno & eodem reti ambo comprehendantur,hæc continuò moriatur. In Thurijs fluuius Luſias appellatur,tametſi perlucidos liquores habet, nigerrimos piſces tamen procreat.

De marino Leone. CAP. XIIII.

MArinus Leo, cum Locuſta ſimilitudinē habet, præterquam quòd maiori habitus tenuitate & gracilitate eſt. Cæruleo colore eſt,& ſubnigris maculis diſtinguitur,forcipes illius maximæ & cancrorum ſpeciem ſimilitudinemq́; gerunt: à piſcatoribus bene peritis,membranas quaſdam habere dicitur appēſas ex teſtis & colligatas, ſub quas ſubiectæ ſunt molles carunculæ & teneræ, quæ Leonis adeps appellātur. Is ad hoc ipſum homines adiuuat, ut ſqualidam atq; horridam faciem ad nitorem adducat. Roſaceo delibutus,& in unguentum confirmatus, formæ pulchritudinem conciliat,& candorem enitere facit. Id etiam auditione accepi, terrenum Leonem ſummè timere marini aſpectum formidabilem,neque eiuſdem odorem ferre: itemq́; illum ipſum dicunt marini extritarum cruſtarum puluerem in aquam infuſum bibentem à uentris morbo liberatum iri.

De Cancris curſoribus. CAP. XV.

INter Cancrorum diuerſa & multa genera, quidam appellantur Curſores, quòd longe lateq; uagētur, modo circum littora errant, modo longius proficiſcuntur. Cauſa ſæpe erroris ut uel in loca ſaxoſa, uel cœnoſa perueniant: uel argumentum tantæ errationis, quòd plus quiddam aſſequi cupiant, in Thracio Boſphoro, ubi fluctus rapidi ex Ponto deferūtur, & anguſtijs diffringuntur, ut Cancros contrà uenientes facile euertere poſsint: quod ipſum Cancri præſcientes, poſtquam eò peruenerūt, ſinguli in ſinuoſo quodam loco ſe tenent, ſimul & reliquos expectant. Deinde in eundem locū congregati adrepentes, per præcipites crepidines in ſiccum aſcendunt, & fluctuum uim euadunt, iter pedibus conficientes. Cum autem hanc uiolentiam pedibus prætergreſsi ſunt, rurſus per crepidines in mare recurrunt.

De metropoleos Epheſiæ Cancris hoſtibus ſerpentium. CAP. XVI.

AD paludem, quæ iuxta Epheſiam metropolim exiſtit, aiunt cauernam eſſe maxima magnitudine, ſerpentium plenam: ut magnum acerbitatis uirus habent in mordendo, ita tametſi ex cauerna prodeuntes uſque ad circumiectam paludem ſerpunt, tamen natare conantes, ad primam aquam conſiſtunt, Cancrorum, qui eas extenſis forcipibus comprehenſas interficiunt, metu deterritæ: itaque conquieſcunt, atq; à tranſmittendo ſe ſuſtinent, cancrorum cuſtodias formidantes, & pœnarum metum exhorreſcētes: ac niſi mirabili

mirabili naturæ dono paludis fauces Cancri incolerent, & tuta illic omnia præſtarent, dudum peſtiferis ſerpentium morſibus incolæ periſſent.

De Cancris. CAP. XVII.

CAncrorum genus Lutarium colore alijs albius ſpectatur: hi in luto naſcuntur: cum inceſsit eis timor, humo ſe excitant ad uolatum, & perparuis alis ſubleuantur, quibus quidem gradientes uti minime neceſſe habent. Cum autem iniectus eis eſt metus, nonnihil in his ſubſidij, non tamen admodũ firmi habẽt, enimuero comprehendũtur quòd ſurſum ſubleuare non queunt. Quidam eos comedunt, & ex coxarum uertebris laborãtibus remedio eſſe ferunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Cancrorum aſtutia. CAP. XVIII.

QVicunq; perſpexerit qua machinatione cancer Oſtrea capiat, illius laudabit & diliget ſolertiã. Oſtreum interea ſuas conchas cum patefacit, is ſuis brachijs ſublatum calculum in concharum hiatum inijcit; quo interpoſito, Oſtreum teſtas claudere non poteſt, quare à Cancro exeditur & conficitur.

De Cancellis & Turbinibus. CAP. XIX.

A Conchis quidem inopes & nudi primum Cancelli naſcũtur, deinde eas tanquam domicilia ad habitandum deligunt. Cum enim uacuas & inanes offenderunt conchulas Purpuræ aut Turbinis, primò intra eas ingrediuntur, deinde cum in ampliorẽ

magnitudinẽ excreuerunt, quàm ijs ut capi queant, in teſtam laxiorẽ tanquã domum alteram demigrãt, necp modo in ſupradictorum conchas immigrãt, ſed & in permultas alias capaciores tranſeũt, & amplio-rem nacti, ea tanquam maiore domicilio gaudent, ac ſæpe de ſpolijs multo certamine inter ſe contendunt, uiribusq; inferiore repulſo, uictor exuuias aſſequi-tur. Turbines regem habent, cui ſe faciles ad obtem-perandum præbent. Rex non modo magnitudine præſtat, ſed longe etiam & multum pulchritudine cæ teris omnibus antecellit. Quòd ſi commodum ei ui-deatur demergi, hoc quidem ipſum primus facit: ſin emergere, idem incipit: itemq; ſi commigrandum ſit, ipſe primus tentat, cæteri ſubſequuntur. Quicunque hunc regem habet, bene rem geret, omniaq; ei com-mode cadent. In urbe Byzãtio drachma Attica ei qui hunc comprehenderit, præmium proponitur.

Quemadmodum muſica Paguri capiuntur.

CAP. XX.

PAguros muſicæ illecebræ machinatione piſcato-res capiunt: ij enim in latibula abditi, primum ut ad inſtrumentum quoddam muſicum piſcatores ſua-uiter canere ingreſſos audiuerint, ſtatim tanquã ama-torio quodam ad exeundum non modò inducuntur è latebra, uerum etiam uoluptate allecti, extra mare egrediuntur: hi quidem retro, ad tibiam canentes, ce-dunt: illi autem ſequentes, in arido comprehendũtur.

Cruſta ipſis rumpitur, & ſenectutẽ quemadmodũ

ſerpens

ſerpens, ſic integumēto ſe ipſi exuunt. Cuius circumplicatione ſuum corpus cum obductum eſſe ſentiunt, tum huc & illuc tanquam furijs incitati feruntur, pleniorem uictum inquirentes, ut tumoris acceſsione & corporis mole inflati, inuolucrū ſuum rumpere poſſint, ex quo ubi elapſæ ſunt, atq; ſe explicauerunt, in ſabulo iacent, mortuorum ſimilitudinē ſpeciemq; gerentes. De naſcente porrò pelle, etiam nunc molli & tenera, maximo afficiūtur timore. Vt autem ex diſſolutione & diuulſione ſe paulatim collegerūt, & quodammodo reuixerunt, primum ſanè guſtant ſabulū. Tandiu timidi ſunt, & uiribus ſuis diffidētes, quoad tegumento circūueſtiantur: id ſimul ut cœptum fuerit conglutinari atq; ad naturam teſtæ traduci, tum continuò tegmini tanquam armaturæ confidentes, adſunt animis, & omittunt timorem.

De Chamis. CAP. XXI.

CHamæ marinę & uariæ & multiplices ſunt, nam aliæ aſperæ, aliæ leues: & hæ quidem digitorum compreſſu confringūtur, illæ uero uel ægerrimę ſaxo conteruntur. Quædam ipſarū nigerrimæ ſunt, nonnullæ argentei coloris ſimilitudinē gerere uidētur, ac quemadmodū earum eſt uarium & multiplex genus, ſic multas & diuerſas ſedes habent. Quædam enim in littoribus diſperſæ, iacent in arena, nonnullæ ſub algam ſubijciuntur, aliæ in limo commorantur, aliæ in ſaxis & ſtabulantur, & præfulciuntur. Aeſtiuo tempore cum fit meſsis, in Iſtrico mari gregatim natant.

Euri & Auſtri idcirco fugiẽtes ſunt, quòd eos uentos ferre non poſsint. Contrà ex tranquillo mari mirifica uoluptate afficiuntur, & Fauonij mollibus auris afflari gaudent, eamq́ ob rem in latebras abditæ, cum à tempeſtatibus mare ſentiunt conquieſcere, & Fauonium flare, tum relictis ſedibus, ad ſummam maris aquam natant, & explicatis brachijs, ſic tanquam uel ſponſæ prodeunt, uel roſæ ad ſolis radios exporrectæ, ex inuolucris erumpunt, alteram concham ſubſternentes, alteram erigentes: ſimul & altera pro uelo, altera pro naui ad nauigandum utuntur, ut ſi eas procul uideas, claſſem nauium exiſtimes. Quòd ſi nauem ad ſe accedere ſentiunt, aut beluæ impetum, aut ualentioris piſcis natationem, metu perculſæ, contractis teſtis, frequentes delabuntur, & occultantur.

De Cochleis Ponticis. CAP. XXII.

PErſarum regem Cochleæ Ponticæ imitãtur, æſtiuos dies Suſis agentẽ, hybernis uero Ecbatanis: etenim ad nuncupatã Propõtidem calidam hyemãt, æſtiuum autem tempus ad Aegialum agitant, propter molles auras quas hoc mare eis afflat.

De Nerite. CAP. XXIII.

COchlea marina magnitudine exigua, formæ pulchritudine eximia ſpectatur: eò maris, ubi ſordium uacuitas eſt, & tranquillitas uiget, & in ſaxis ad imam maris ſedem adhæreſcentibus, naſcitur: hæc Nerite appellatur.

De Con

De Conchis maris rubri. CAP. XXIIII.

IN mari rubro quædam Conchæ naſcuntur, quæ tum teſtas ſcabras, cõcauas, & ſecturis plenas, tum extremas partes acutas habent, tum coëuntes inter ſe ſic alterno incurſu coniunguntur, ut tanquam duarum ſerrarum coëuntium dentes uideantur inter ſe conuenire: unde fit, ut ſi piſcatoris natantis quãcunq; partem, etiam ſi ſub eam os ſubeſt, mordicus apprehenderint, amputent.

De Polypo piſce Nauta nuncupato.
CAP. XXV.

NAutilus è genere Polyporum Concha una pręditus eſt, cum ex ima maris ſede ad ſummam aquam effertur, inuertit & mutat Concham deorſum uerſus, ut ne hauſta aqua rurſus demergatur: ubi ad ſummam æquoris peruenit, & mare ab aduerſa tempeſtate conquieſcit, ſupinam Concham uertit: hac enim tanquam Scapha nauigatione fertur. Is autem duo brachia in utrumq; latus demiſſa, ſenſim, atque moderate mouens remigat, domeſticamq; & natiuam nauem propellit: ac ſi uentus flat, brachia quæ tanquam remos prius longe lateq; porrigebat, gubernacula conſtituit, atque cæterorum brachiorum longe lateq; paſſorum remigatione utitur, inter quæ media eſt membranula pertenuis, ea paſſa, & intenta pro uelo utitur, ſicq; cum eſt ſine metu nauigat, ſin quippiam à ualentioribus beluis metuit, ſe demergẽs Concham aqua complet, & ſimul ex pondere in pro-

fundum delabens, ſeſe occultat, atque ita hoſtem effugit. Pòſt ubi mare eſt tempeſtate uacuum, & à beluis quietum, de imo maris gurgite ſe extollēs, rurſus per ſummum mare nauigat, unde nomen habet.

De Margaritis & Conchis. CAP. XXVI.

INſano hominum uel pretio uel ſermone celebris eſt atq; illuſtris Margarita, & ſimul mulierum admirationem habet. Maris fœtura eſt, hunc ad partum deduci aiunt, cum in apertas Conchas fulgura affulſerint. Bona tempeſtate, & tranquillo mari Conchæ, huius genitrices, capiuntur: eas poſteaquam piſcatores comprehenderunt, ab illis Margaritam animorum libidinoſorum illecebram eximunt. In maxima Concha, paruam inuenire eſt: contrà in parua, magnam. Alia inanis eſt, alia non plus quam unam habet, pleræq; adeo multos uniones poſsident, ut ſint qui dicāt, in una Concha uiginti procreatos fuiſſe. Quòd ſi quis ante legitimum pariendi tempus Cōchas aperuerit, carnem quidem reperiet, huius autem palmam piſcationis non aſſequetur. Humoris ne minimum quidem in ſe continet. Iam uero qui uendūt, aut emunt, earum pulchritudinem & precium ex candore & magnitudine eſtimant: & quidem hāc artem factitantes, pleriq; ex eis locupletati fuerunt. Non etiam illud me fugit, auulſis his lapidibus, quaſi redemptionis præmio perſoluto, Conchas liberas dimitti, iterumq; uniones renaſci. Quòd ſi priuſquam lapis eximitur, huius altrix beſtia moriatur, unà cum carne

carne putreſcere, & perire dicitur. Suapte natura rotundus & leuis eſt, probeq́ circumſcriptus. Si quem ex eis uelis affabre aliter quàm natus eſt expolire, is artificium prodit: non enim cedit, ſed aſper fit, & ſe fraudibus atque inſidijs ad ſpeciem indicat attentari.

De Indica Margarita. CAP. XXVII.

INdica urbs eſt nomine Perimuda, cui eo tempore cum in Bactris Eucratides regnaret, Soras ex generis regij ſtirpe profectus imperauit, hanc quidẽ ipſam Ichthyophagi incolentes, Margaritas retibus comprehendunt. Margaritiferæ Conchæ magnorũ turbinum ſimilitudinem gerentes, gregatim natant, & quemadmodum Apium examina duces, ſic eæ reges habent, tum formæ pulchritudine, tum magnitudine præſtantes. Summa autem contentione urinatores ideo certant ad capiendum gregis ducem, quòd eo capto, cunctum gregem rectione orbatum, non loco ſe mouentem, aſſequuntur: quàm diu rex fugiendo elapi poteſt, ſapienter eas regit & conſeruat. Iam porrò captas in paruulis dolijs ſale condiunt, cum eroſa caro fuerit, & defluxerit, unio ſolus relinquitur. Optimus Indicus, & in mari rubro procreatus exiſtimatur. Itemq́ in occiduo Oceano, ubi exiſtit Britãnia, naſcitur. Indicus terrenus dicitur naturam habere nõ propriam, ſed fœturam eſſe cryſtalli, non gelu concreſcentis, ſed foſſitij.

Inaniora ſunt teſtacea & cruſtacea, & infirmiora iumenta, luna decreſcente. CAP. XXVIII.

TEſta cruſtáue intectorum hoc etiã proprium eſt, ut ad decreſcentem lunam ex inanitate & exilitate corporis laborent : quod quidem ipſum, declarant teſtacei generis Purpuræ, Buccinæ, & his affines : itemq́ cruſtacei generis Paguri, Locuſtæ, Aſtaci, Cancri, & id genus. Itemq́ imbecilliora, infirmioraq́ decreſcente luna, iumenta fieri dicuntur: eamq́ ob cauſam harum rerum prudentes, in hac menſis parte genita, quòd minus laborioſa ſint, conſulunt non alenda eſſe.

De Patellis. CAP. XXIX.

PAtellas non ſanè à ſaxis auellas, ne Milonis quidem digitis, qui Punicum malum cum apprehendiſſet, arcte adeo comprimebat, ut non aduerſariorum quiſquam poſſet extorquere è manu. Eas autem quicunq; de ſaxo, ad quod adhæſerint, abſtrahere aggreditur, magna quidem uoluptate ex earum comprehẽſione afficitur, quòd eas uerſans, ſperat ſe præda potiturum eſſe, ueruntamen illarum compos quarum fieri ſtudet, nequit: tandem aliquando ferro abraſæ abſcinduntur à ſaxo.

GYLLII ACCESSIO.

De Oſtreis. CAP. XXX.

OStrea neque coitu, neque parente procreantur, ac nimirum omnia ex cœno naſcuntur: illorum neque fœmina, neque mas diſtinctus eſt, ſed eiuſdem naturæ ſunt, atque adeo inter ſe ſimilia, ut non marem à fœmina internoſcere poſsis.

De

De Pinna. CAP. XXXI.

PInna belua marina, è genere concharum eſt, pandit ſeſe hiatu teſtarum, & carunculam extra conchas eminentem, ex ſeſe prætendit, tanquam eſcam circūnatantibus piſcibus. Cum Cancro comparandi cibi ſocietatē facit, eamq́ ob rem Cancer cum piſcem quempiam adnatare uidet, illam leuiter morſu admonet, tum Pinna magis ac magis ſuas conchas patefacit, ac piſceis innatantes conchis compreſsis edit, partemq́ ſocio tribuit.

GYLLII ACCESSIO.

De Pinna. CAP. XXXII.

PInna, inquit Cicero (ſic enim græcè dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua Squilla quaſi ſocietatem coit comparandi cibi. Itaque cum piſciculi parui in concham hiantē innatauerint, tum admonita Squillę Pinna morſu comprimit conchas: ſic diſsimilimis beſtiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum eſt, congreſsúne aliquo inter ſe, an iam inde ab ortu naturæ ipſæ congregatæ ſunt.

De Purpura. CAP. XXXIII.

PVrpura uehementer edax eſt, longam linguam habet, ea attrahit quæ comedit, eadem etiam capitur. Capiendi modus eiuſmodi eſt. Paruam naſſam denſo contextu, exiguis maculis purpurarij piſcatores contexunt, intus in media naſſa Strombus piſcis illecebra appenditur, ad eam alliciendam: Purpura

maiorem in modum linguam diſtendere contendens eò pertinere,& Strombum ipſum aſſequi conatur:& ne ab eſca quam ligurit,aberret, omnem eam neceſſe habet exerere: itaque ipſam eatenus exprimit,quoad intumeſcentem retrahere non quit: unde fit, ut eam piſcator liguritione irretitam comprehendat.

De Purpura. CAP. XXXIIII.

PVrpurarius infector, ſi poſtquã purpurã non in hominum cibum,ſed ad tingendas lanas comprehenderit,inexhauſtum uelit fieri colorem,& perfecte tinctum,uno ſaxi ictu purpurã interimit. Quòd ſi leuior plaga inferatur,& etiam nunc ſpirans relinquatur,atq; iterũ lapide percutiatur,ad tincturã fit inutilis,nam ex eo dolore tincturam amittit. Quod quidẽ ipſum præclare Homerum intellexiſſe dicunt. Idcircoq; uno ictu celeriter morientes purpurea morte affici ait,peruulgatum ſuis uerſibus illud canens,Cepit hunc purpurea mors,& fortis Parca.

GYLLII ACCESSIO.

De Purpuris. CAP. XXXV.

PVrpuræ congregatiles,ſicut apes, quaſi communitatem coëunt fingendorũ fauorum, in quibus fœtus ſuos procreant, & cõmuniter uiuunt. Tyrij hæc de purpuræ inuẽtione dicunt:Cum canis Herculis in ſaxo adrepentẽ purpuram uidiſſet, eminentem extra cõchas,carnem exediſſe, & illius ſanie ſua labra Phœniceo colore tinxiſſe: ut autem ueniſſet heros ad puellam nomine Tyrum, quam in amore habebat, ipſaq;

ipſaq́ canis labra inſolito colore purpuraſcere animaduertiſſet, dixit ſe non fore amplius in Herculis amore, niſi ſibi ueſtem ex eadē tinctura, qua canis os efflorefcebat, cōficeret. Quamobrē Hercules ex beſtia ſtudioſe cōquiſita tabem collectā puellæ attulit. Iam porrò Phœnices Purpurarū captarum teſtas cōfringunt, & carnes ad tincturā condiunt, & aqua dilutas, & ſordibus expurgatas, ſuccenſis ignibus in lebete coquunt: earum ſanguis ut ab igne incaleſcit, fluit, & effloreſcit, partimq́; flaueſcit, partim Cyaneo colore fit, partim in alium colorem conuertitur: ac iam quicquid impoſueris, in illius colorem commutatur. Purpuræ tinctura in ſole uerſari gaudet, ipſa enim ſole radiata illuminatur, & magis illuſtratur.

De Teſtudinis prudentia. CAP. XXXVI.

TEſtudinum amor circa curam fœtuum ſuorum ex eo perſpicitur, cum parturiunt, ex aqua egrediuntur, atq; in arido ex ſeſe ſecundum mare oua pariunt, quæ cum uel ad incubādā infirmæ ſint, uel diu in terra uerſari non poſsint, ea primum leui & molli arenarum cumulo obruunt, deinde, notam pedibus imprimunt, qua poſt reuerſionem locum recognoſcunt. Alij uero dicunt fœminam triginta dies oua perſeuerare cuſtodire, eademq́; interea à mare nutriri: poſteaq́; libenter & promptè ſic ſuos foetus, tanquam aurum defoſſum homines, refodere. Caput marinæ teſtudini abſciſſum, non continuo moritur, ſed & uidet, ſi ante oculos ei manus obuerſetur, illos

claudit:& paulo etiam propius ſi manum admoueas mordet: longe lateq́ fulgorem eius oculi iaculantur, quorũ pupillæ candidiſsimæ ac ſplendidiſsimæ cum exiſtant, eruuntur, ut uel auro includantur, uel monilibus imponantur: quamobrem mulierum admiratione plurimi æſtimantur.

De Indica & fluuiatili & terrena Teſtudine.

CAP. XXXVII.

TEſtudinis Indicæ & fluuiatilis teſta non minor eſt quàm ſcapha iuſtæ magnitudinis: decem enim leguminũ modios capit. Ac illic quoq; terrenæ Teſtudines gignuntur, magnitudine maximarum glebarum, quæ in altis arationibus terræ non difficilis excitantur, bene penitus intrante aratro, & ſulcum facilime proſcindente, & glebas in excelſum excitante. Eiuſmodi Teſtudinum genus aiunt teſtas exuere, ac ſanè eaſdẽ ab agricolis ſic ligonibus abſtrahi, quemadmodum uermes ex uerminoſis locis: eædemq́ nõ amaræ, ut marinæ ſunt, ſed & ſuaues, & pingues habentur earum carnes.

De Teſtudinibus maris magni.

CAP. XXXVIII.

IN nuncupato mari magno Inſulam eſſe nomine Taprobanem peruagatum eſt, longitudine ſeptem mil. ſtadiorum: latitudine uero quinq; mil. Vrbes autem non habere, ſed quinquaginta & ſeptingentos uicos: tecta ex ligno facta non eſſe, ſed ex integumentis maximarũ Teſtudinũ, quę in eo mari procreãtur:

Vniuſcuiuſcp̨ ſuperficies integrum tectum præſtare poteſt, nam ſingulæ teſtæ ad quindecim cubitorum magnitudinem procedunt,ut ſub eis non pauci habitare queant,ac nimirum uehementiſsimos ſolis ardores defendant, & prolixam umbram efficiant, ſicq̨ ad perferendos imbres reſiſtũt, ut melius quã omnes tegulæ pluuiarum uim repellant. Neque enim ſic eas habitatores, quemadmodum tegulas fractas ſarcire habent neceſſe,nam totum tectum ex ſolida teſta conſtat,ut ſuffoſſo ſaxo & cauernoſo & natiuum tectum efficienti,ſimilis eſſe uidetur. In Gange Indiæ fluuio, Teſtudines naſcuntur,quarum teſta non minori magnitudine eſt, quàm dolium capax uiginti amphorarum.

De Teſtudinibus Troglodytycis. CAP. XXXIX.

NYmphes librorũ quos conſcripſit de Ptolemæis nono,Troglodytydis dicit Teſtudinum tegmẽta ea eſſe magnitudine, ut ſex modios Atticos ſingula capiant.

GYLLII ACCESSIO. CAP. XL.

TEſtudines ideo incredibiliter timent, & oderunt maritos ſuos, quòd haudquaquam eis ſimiliter ut cæteris beſtijs iucundus coitus ſit, imo maximum dolorem eis affert: nam maris os & durum,& aculeatum,& inflexibile fœminam intolerabili doloris ſenſu afficit. Quamobrem dentibus inter ſe pugnant, quod hæc infeſtum coitum effugere contendat, ille inuitam tandiu cõuellit,quoad robore uictã ſubegerit

rit,& tanquam longi belli præmium cœperit,& pulchram rapuerit in bello puellam: eorum coitus terrenorum Canum,& Vitulorum marinorũ ſimilis eſt.

De Echinis piſcibus. CAP. XLI.

TVrbo & tempeſtas ad terram Echinos allidens è mari funditus in aridum expellit: hi eius periculi metuentes,cum ſentiunt mare inhorreſcere, & uentorum acerbitate procellas cieri,ſuis ſpinis lapillos ad geſtandum faciles tollunt, ut libramentum ac firmamentum habeant,ut ne procellarũ incurſui, ad euertendum opportune periculum,à quo ſibi timent, uehementer ſubeant. Eos obductos teſta, atque aculeis communitos,ſi quis contriuerit, & alia ſeparatim ab alijs fruſta in mare abiecerit,hæc tamen cohærentiam & coitionem inter ſe faciunt, & affinem partem recognoſcunt,& applicata cohæreſcunt, uelut conſeruntur, ſimul & naturali rurſus quadam cõciliatione integrantur.

Quibus rebus commodus ſit Echinus marinus & terreſtris. CAP. XLII.

AD ſtomachum hebetantem non parum proficit Echinus marinus, etenim uel omnium ciborum faſtidio laborantem, in priſtinæ ualetudinis ſtatum reſtituit,atque ueſicam (quemadmodum harum rerũ bene periti affirmant) uacuam facit: etſi corpus ſcabie infectum eo perungatur, ad ſanitatem redit: uulnerum ſordes cum teſtis crematus extergit: Cinis terreni herinacei cremati ad picem admiſtus, & locis à pilo

pilo nudis illitus, pilum (ut ſic dicam) à ſuis ſedibus fugitiuum reducit: in uini autem potione ſumptus remedium ad dolores renum adhibetur: ad aquam intercutem datus, medicinam efficit: ex eiuſdem iecore ad aſſum ſolem exſiccato Elephantiaſis morbi ſanatio efficitur.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum prudenter à tempeſtatibus ſibi cauet Echinus. CAP. XLIII.

ECHini haudquaquam à conſilio inopes, etenim uentorum turbines & procellas cum ſentiũt exoriri, dorſo quiſq; lapidem quem ſuis ſpinis poſsit ferre accommodat, ut contra tempeſtatum incurſiones, ne ad littora expellatur, firmamẽtũ ac robur habeat.

De Stellis marinis. CAP. XLIIII.

STellæ marinæ cruſta intectæ, Oſtreis tam crudeliter inimicæ ſunt, ut hæc ipſa exedant, & conficiãt. Ratio inſidiarum quas eis moliuntur, eiuſmodi eſt: Cum teſtacea ſuas patefaciunt Conchas, ut & refrigerentur, & ſi quid quod pertineat ad uictum inciderit, compreſsis Conchis exceptent: eæ ſuo pede intra teſtas inſito, eos claudi prohibentes, Oſtreis explẽtur.

De Spongia. CAP. XLV.

SPongiam dirigit puſilla beſtia, non ſpecie quidem Cancro, ſed magis Araneo ſimilis, neque enim inanima hæc eſt, nec ſanguinis expers, ſed partus maris animans ſaxis innaſcitur: & quemadmodũ cætera animalia motu prædita ſunt, ſic hæc ipſa ſuum quen-

dam motum habet: ueruntamen animalculo ad ſe ſenſu afficiendam, atque illud admonendam quod ſit animata, eget. Nam propter quandam raritatem ingenitam & mollitudinem pertuſam non ſe commouet, ſed cum quippiam in ſua foramina inciderit, ab ea beſtiola quam dixi Araneo ſimilem excitata, id cõprehendit & exedit: cum autem ad euellendam eam è ſaxis hamo accedit, ipſa ab eo animali cõuictore ſuo ſtimulata inhorreſcit, & contorquens ſe arctiſsime contrahit, quæ cauſa hercule eſt, cur piſcatori plurimum negotij faceſſatur.

GYLLII ACCESSIO.

De Spongijs. CAP. XLVI.

CErtamen ineunt magnum & difficile piſcatores cum ſpongias ad ſcopulos adhæreſcentes inter ſe iunctas tanquam meſſores uibrata falce à ſaxo abſcindunt, atque abiecta omni cunctatione fune ſocios admouent, ut ex ima maris ſede celeriter ſubtrahantur. Nam ab ſpongijs cæſis ſanies ad piſcatorum nares manans, non modo tetrum odorem redolet, ſed ad nares adhæreſcens, ſæpe eos ſuffocat.

De Caſtore. CAP. XLVII.

FIber in utraq; ſede uiuit, nam die quidem in fluuios abditus ætatem agit: nocte in terra uagatur, caſu & fortuito obiectis ueſcitur. Quòd autem cauſam ab inſequentibus uenatoribus cur tam cupide petatur non ignorat, idcirco mordicus premens uſque incumbit ad elidendos teſtes, quoad ab ſe abſciderit, & ſic

& ſic eos abiecerit, tanquã homo ſumma prudentia in latrones incurrens, quæcũq; portat ad ſe redimendum exponit. Quòd ſi poſtea quàm exſectus & ex periculo ſeruatus fuerit inſectantibus iterum urgeatur, hic ſeſe alleuans, atq; quamobrẽ inſequi ulterius pergere non debeant, cauſam oſtendens, ad reuertendum quod iam ea parte quam expetunt careat, uenatores inducit. Perſæpe etiam nunc teſticulis prȩditus cum à uenatorum conſpectu ſe longiſsimo curſu remouerit, eam partem deſideratam ita aſtute comprimit, & occultat, ut inſectatores fallat.

De Verme Indico. CAP. XLVIII.

INdus fluuius beſtiarum ferarum expers eſt, ſolum in eo naſci uermem aiunt, ſpeciemq́; eorum qui ex ligno gignuntur, & aluntur, gerere, ad ſeptem cubitorum longitudinem & eo amplius procedere, eius craſsitudinem decem annos natus puer, manibus uix complecti queat. Iis in ſuperiori oris ſede unus dens ineſt, in inferiori alter, ambo quadranguli cubitalem longitudinem habent: quod enim cunq; ſiue animal, ſiue lapidem comprehenderit, facilime conterit. Interdiu ima in ſede fluminis uerſatur, cœno gaudens: noctu ad terram procedit, & in quodcunq; inciderit uel Equum, uel Bouem, uel Aſinum, conficit, atq; in ſuas ſedes trahit, & in flumen abſtruſus, membra omnia, excepto uentre, exedit: ac ſi de die fame premitur, & ſiue camelus ſiue bos in ripa bibit, uiolentiſsimo impetu ſumma labra mordicus comprehendit,

& robuſto tractu in aquam abreptum edit. Eius pellis duorum digitorum craſsitudine eſt, eiuſmodi autem machinatione capitur: Hamum robuſtum ad ferream catenam alligatum deijciunt, & ne ferrum deuoret, agnum aut hœdum ad illecebram in hamum implicant: deinde in fluuium demittunt. Triginta uiri haſta & enſe accincti, & corneis ſudibus bene robuſtis, ſi percutere ſit neceſſe, adſunt: deinde hamo captum trahunt, & abſtractum, interficiunt: Triginta dies appenſum tenent, atque ex eo in fictilia uaſa craſſum oleum ſtillat: ſinguli uermes quinque olei ſextarios reddunt, quod quidem ipſum regi Indorum apportant. Huius ea eſt uis olei, ut ſine ullo igne eius infuſa hemina quencunque lignorum aceruum comburat. Ac ſi uel hominem uelis uel aliud animal exurere, primum ut hoc infuderis, funditus ſtatim deflagrauerit. Eodem ipſo Perſarum regem aiunt capere hoſtium urbeis: neque arietes, teſtudines, aliáque bellica tormenta ad eas capiendas opus eſſe: nam cum fictilia uaſa unius heminæ capacia eo impleta & obſtructa in portas iaculatur, uaſa quidem ad portas alliſa rumpuntur, at oleum delapſum ignem circunfundit, ut reſtingui non poſsit, & flamma inſaturabilis comburit homines pugnantes. Hæc Cteſias Cnidius.

DIVISIO PISCIVM. CAP. XLIX.

CArtilaginea uocantur, quæ ſquammis carent, ut Murena, Conger, Torpedo, Paſtinaca, Bos, Muſtellus,

ſtellus, Delphinus, Balena: hæc enim ſola ſunt de aquatilibus uiuipara. Mollia appellantur, ex aquatilibus oſsium expertia: ut, Polypus, Sepia, Loligo, Vrtica: quæ etiam ſanguine, & uiſceribus carent. Cruſtis tenuibus tecta: Aſtaci, Squillæ, Cancri, Paguri, hæc ſenectutem exuunt. Siliceis teſtis concluſæ, Conchæ, Murices, Buccinę, Turbines, Echini, Locuſtæ. Iam dentibus ſerratis prædita eſſe dicuntur, quæ dentes teretes & acutos habent: ut, Lupus, Canis, Leo, Panthera, hæc eadē ſunt carniuora. Vtrinq; dentati, Homo, Equus, Aſinus, & ſanè adipem habent. Dentes continuos poſsidet, Bos, Ouis. Dentes exertos habent, quæ extra dentes eminentes oſtendunt, Aper: nam Elephanti potius quàm dentes cornua appellanda ſunt. Inſecta: ut Veſpæ, Apes: hæc enim ſpiratione carere dicuntur. Ambigentia: Equus fluuiatilis, Natrix, Caſtor, Crocodilus. Latibulis teguntur, Lacertus, Salamandra, Teſtudo, Crocodilus, Serpens: hæc etiam ſenectutem exuunt, præter Crocodilū, & Teſtudinem. Biſulca: Equus, Aſinus, Bos, Elephantus, Capra, Ouis, Sus. Multifida: ut, Homo, Canis. Planipeda: Cygnus, Anſer. Cuteis alis prædita, Veſpertilio. Vncinatis unguibus ſunt, quibus incuruum eſt roſtrum: ut Accipitres, Aquilæ.

De Piſcibus Nili. CAP. L.

MAximis æſtatis caloribus cum in Aegyptiorum agros Nilus redūdat, & dilabitur, atq; explicatus ma

tus marini æquoris ſpeciem ſimilitudinẽq; gerit,tum Aegyptij ibi piſcãtur,ubi antea arationes eſſent,& na uibus ad fluuij accesſionem accõmodatis nauigant: Poſtea uero quàm Nilus redit ad ſe, atq; ad priſtinã modi rationem à natura ſibi attributã,piſces à parẽtis fluuij deceſſu deſerti, ad breuia limoſa adhæreſcunt, atq; agricolis ad prædã relinquunt. Quamobrẽ huiu ſcemodi alluuio Aegyptijs piſciũ mesſis dici poteſt.

De Piſcibus Hieropolitanis. CAP. LI.

AD Bambicem, olim ſic appellatam, nunc uero Hierapolim à Seleuco nuncupatã,piſces & ſacri habentur,& confertis turmis natant. Duces item habent,& cibos quos eis uorandos obijciunt,exedunt, & conficiunt,maximeq; ex omnibus piſcibus amicitiam inter ſe ſeruant, perpetuaq; pace deuinciuntur, ſiue quòd deus hunc animorũ conſenſum eis afflat, ſiue etiam quia obiectis eſcis cum abunde expleãtur, neceſſe non habent aliorum attingere eſcas.

De Piſcium coitu. De Lupo & Mullo. CAP. LII.

NOn uno eodemq; tempore piſces habent libidinem procreãdi: uerum alij uerno tempore ſe ad uenerem rumpunt, alij æſtiuo ad coitum impelluntur,alij autumno amoris flamma conflagrant, complures hyeme uenereum complexum expetunt: plurimi,ut ſemel peperere, deinde toto anno à pariendo conquieſcunt. Lupum unius anni ſpatio binos partus edere audio: Mullum ter ſingulis annis uentrem ferre,eius nomen ſignificare aiunt.

De coitu

De Coitu animalium. CAP. LIII.

VIgente uerno tempore,& efflorescente terra, libidinis ardore beſtiæ terrenæ, aquatiles, & uolatiles flagrant. Ex piſcibus alij frequentia oua, atq; alia ex alijs nexa, arenis atterunt: alij interea cum natant, infinitatem quandam ouorum expellunt, atq; eijciūt, quorum non pauca à tergo nantes exſorbent. Enimuero mares antecedunt, & ſemen ſpargunt: fœminæ uero ſequentes inſaturabiliter hiantes atque eminentes explentur. Iam quòd piſcium quidam ſic cum fœminis uerſantur, tanquam cum uxoribus, easq; cuſtodiunt: quòd etiam ex piſcium genere aliqui riualitate laborant, atque obtrectatione, antea dixi. Ex eis plurimi in uenerem magis uerno tempore exardeſcunt, & magis in Pontum ſecedunt, quòd illic cubilia naturæ munere piſcibus ſint à feris beſtijs, quas mare alit, libera: ſoli Delphini minuti illic errant. Polypis, Paguris, Aſtacis caret, qui ſanè paruulis piſciculis pernicioſi exiſtunt.

GYLLII ACCESSIO.

De partu piſcium. CAP. LIIII.

QVid dicam, inquit Cicero, quantus amor beſtiarum ſit in educandis, cuſtodiendisq; ijs, quæ procreauerint, uſque ad eum finem, dum poſsint ſe ipſa defendere: etſi piſces, ut aiunt, oua cum genuerunt relinquunt, facile enim illa aqua & ſuſtinentur, & fœtum fundunt.

Non omnes piſces muti. CAP. LV.

QVi omnes piſces ſilentij condemnant, eos mutos affirmantes, ij in eorum natura indocti ſunt & rudes: nam ex ijs nonnulli editis ſibilis ſtrident, & grunniunt: Lacerta enim, Chromis, Aper, grũniunt: Chalcis ſibilat: Coccyx ſimiliter atque auis ſua gentilis, unde nomen traxit, uocem emittit.

Quemadmodum ad pariendum piſces enatant in uicina flumina. CAP. LVI.

PIſces cum uicini ſunt ad pariendum, ex ſalſilagine ad flumina lacusúe mari ſuo propinquos ſeſe incitant, aquam à tempeſtatibus conquieſcentem cupide amplexantes: tranquillitas probe affecta eſt, ad excipiendos piſcium partus, & conſeruandos ex damni contractione, atque inſidiarum comparatione, propter beluarum quietem & paucitatem: cuiuſcemodi libertatem & immunitatem flumina & lacus habere ſolent: atque ideo Euxinus pontus plurimis piſcibus abundat, quòd non ſolitus ſit beluas procreare: & ſicubi autem Vitulos marinos profert, minime ij quidem grandes euadunt: à cæteris autem omnibus beluis maleficis piſces ibidem tuti ſunt.

Quemadmodum piſces diuerſas ſedes & cibos habent. CAP. LVII.

PErmultas ſedes commorationum piſces habent: alij enim in ſaxis uerſantur, alij ad harenas adhæreſcunt, nonnulli ad herbas commorantur: Nam permultæ herbæ marinæ & uariæ habentur. Earum quædam muſci, quædam algæ appellantur, quędam ampeli,

ampeli,quædam ſtaphyline: ſunt etiam quæ fuci uocentur: eſt quædam nomine braſsica, quarum aliæ alijs paſtus miniſtrant, nec piſcium quiſquam aliam atque eam quam aſſueuerit depaſci attingit.

Dulci aqua in mari piſces aluntur. CAP. LVIII.

ARiſtoteles, & ante hunc Democritus, ex hiſq; Theophraſtus dicit,non aqua ſalſa,ſed dulci piſces qui mare incolunt ali: idemq;, quod propemodum incredibile uidetur,ex ipſis operibus confirmare uolens,quandam potabilem in omni mari aquam eſſe,id experimento docet: nam ſi quis concauum è cera uas tenui opere finxerit, atque in mare demiſerit inane, alicunde appenſum, ut aquam tranſmittere queat,die ac nocte una dulciculo & potabili humore completur. Empedocles Agrigētinus aliquam etiam ait dulcem non omnibus notam in mari aquam eſſe, qua piſces nutriantur: cauſamq; affert, cur in ſalſo dulcis ſit,quam ex eius ſcriptis cognoſces.

GYLLII ACCESSIO.

De foſsili & uario piſcium genere. CAP. LIX.

THeophraſtus piſceis ait foſsiles in Heraclia & ad Tium Ponticum Mileſiorum coloniam naſci. Idemq; piſceis hyberno frigore conglaciantes narrat, non ſenſu prius affici,quàm in patinam coniecti ſuccenſis ignibus coquuntur. Simul & in Paphlagonia piſces nuncupatos foſsiles, mirifica natura eſſe, nam bene penitus effodiuntur ex locis neque fluuiorum influxiones,neque calidas aquas habentibus,ex

eisq́ȝ uiui exciduntur. Mnaſeas Patrenſis in Clitore fluuio tradit piſceis loqui. Philoſtephanus Cyreneus, Callimachi familiaris, in eo opere quod inſcripſit, De mirabilibus fluuijs, dicit piſces quoſdam in Aorno flumine ſimiliter atque Turdos loqui. Nymphodorus Syracuſanus mugileis & anguillas tantopere inquit cicures eſſe, ut de largientium manu cibum ſumant. In Arethuſa Chalcidenſi mugiles etiam manſueti & anguillę inauribus tum argenteis, tum aureis ornati accipiunt à largientibus cibos, à ſacerdotibus uiſcera, & caſeos. Polybius quarto & triceſimo libro hiſtoriarum, inter Pyreneos & Narbonem dicit agrũ eſſe, per quem Illiberis, & Ruſcyno fluuij præterfluẽtes, urbeis gentiles ſuas ferũtur à Gallis habitatas, eſſe autem agrum illum capanum, tum tenui & rara terra, tum multo gramine ueſtitum, in eo piſceis foſsiles eſſe. Cum enim ſub gramine terra ad duo triáue cubita arenoſa ſit, & ſubterlabatur errans aqua, piſces etiã ſimul cum aqua ſub terram cibi gratia ſubeunt. Nam quod graminis radice delectantur, ideo agrum ſubterraneis foſsionibus implent: eiuſmodi autem piſces refoſsi capiuntur. Theophraſtus item commemorat piſces, qui ſic ex fluminibus in terrã tanquam Ranæ exeant, & rurſus in aquam redeant. Poſtea autem quam (ſicut ait Nicolaus Damaſcenus, quarto & centeſimo libro) ad Apameam Phrygiæ urbem, Mithridatici belli temporibus è motu terra diſceſsiſſet, lacus qui antè ibi nulli comparuiſſent, repente extitiſſe, fluuiosq́ȝ

uiosq́ & fontes nouos ex eiſdem locis terræmotu excitatos fuiſſe, ueteresq́ exaruiſſe, ac nimirum plurimam aquam tum dulcem, tum ſalſam, tametſi ab eis locis mare longe abeſſet, ex uiſceribus terræ ſic emanaſſe, ut tractum uniuerſum illum tum Oſtreis, tum alijs piſcibus marinis referſerint. Multis etiam locis conſtat piſcibus pluiſſe. Phanias treis dies ſcribit in Cheroneſſo piſcibus pluiſſe. Philarchus libro quarto, teſtatur ſe uidiſſe ſæpe pluere piſcibus. Heraclides altero & uiceſimo hiſtoriarum in Pæonia ſcribit & Dardania Ranis pluiſſe, tantamq́ multitudinem delapſam fuiſſe, ut & uiæ earum plenæ eſſent, ac nimirum primos dies partim necantes, partim domos occludentes, toleraſſe: ueruntamen nihil profeciſſe, nam non modo uaſa ijs replebantur, ſed & cum cibis ſimul uel elixæ uel aſſæ repcriebãtur. Itaq; cum ex aggeratis Ranis impediti, nõ poſſent neque aqua uti, neque in terra pedem ponere, neque mortuorum tetrum odorem ferre, ex ea regione exceſſerunt. Scio etiam Poſsidonium Stoicum, cum loquitur de piſcium multitudine, hæc ſcripſiſſe, eo tempore cum Sarpedon ad Ptolemaidem deuictus, in mediterraneam regionem, cum reliquis copijs cederet, & Tryphon uictor cum exercitu ſecundum mare iter conficeret, ſubito marinos in ſublime elatos horribili murmure ad terram acceſsiſſe, & eos omneis alluuione oppreſsiſſe, piſciumq́ ingentes aceruos cum mortuis ſimul maris receſſu relictos fuiſſe. Quod ipſum

ff poſtea

poſtea quàm Sarpedon audiſſet, eò profectum, & hoſtium clade delectatum fuiſſe, & piſcium copiam Neptuno uictori ſacrificatione facta aſportaſſe. Necq; præterea ſilentio prætereundi, qui piſcibus in Lycia diuinant, de quibus Epicharmus ſecundo libro Lyſiacharum hiſtoriarum ita ſcribit: Cum ad mare acceſſerunt, ubi Apollini lucus conſecratus eſt, cuius in medio excauatus ſicca in harena locus δῖνος appellatur, qui oraculum petunt, gemina uerũa ex ligno facta, decem aſſarum carnium fruſtis implicata portantes, eò accedunt, & ſacerdote quidem in luco ſeſſitante ſilentio uerũa in δῖνον coniiciunt, & quid inde eventurum ſit, expectant. Poſt obeliſcorum iactum, locus ille maximis impletur aquis, ac nimirum ea piſcium multitudo accedit, ut rei ſpectaculũ ſtupidum ſpectatorem detineat. Cum autem conſultor piſcium quos uiderit genera uati denunciauerit, ab eo eorum quæ poſtulauerit, reſponſum fert. Apparent autem Orphi, Balenæ, Priſtes, & multi alij ad aſpectum noſtrum inſoliti.

De uaria & multiplici Piſcium natatione.

CAP. LX.

VAgantur piſces atq; errant, alij quidem frequentes, ſimiliter atq; uel greges porcorum, uel ordines militum turmatim euntium, uel acies longior quàm altior, à fronte nimirum ad tergum porrecta: alij ordinibus à fronte ad tergum ſigillatim explicatis, cum ornatu proficiſcuntur, alij cohortum ſimilitudinem

tudinem ſpeciemq́; gerunt: nonnulli uelut decuriati natant, tum quidam inſtructis ab uno cornu ad alterum ordinibus natant: ſunt qui in cauernis ſe tenent, ibidemq́; æuum agitant.

Quemadmodum in ſumma hyeme ſe piſces tepefaciunt. CAP. LXI.

HYeme ſumma & teterrima, cum mare maximis turbinibus & acerrima tempeſtate furit, tum ad imam maris ſedem piſces adhæreſcunt, horrentes perfrigidam maris tempeſtatem. Itaque ex ipſis ſunt qui arenas pennis exaggerent, & his tecti ſeipſi tepefaciant, alij in ſaxorum anguſtias compulſi atq; compreſsi, ibi in protectione à frigore libenter quieſcant, alij in pelagi cauernas abditi atque abſtruſi ſummam maris inhorrentem uitant, neque enim in mari imo tam aiunt furentes & inflatas, quàm in ſummo tempeſtates cieri & agitari. Ineunte uere, cum cœlum ſerenum eſt, & dies læti illucent, & herba prata conueſtiunt, plantæ uirere incipiunt, tum piſces maris tranquillitatem ſentientes, ad extimum & ſummum mare efferuntur, uagos & ſaltatorios agunt motus, & tanquam peregre redeuntes, propè à continenti natant.

Quemadmodum in ſinibus uadoſis piſces capiuntur. CAP. LXII.

SIne naſsis, hamis, ac euerriculis hoc pacto piſces comprehenduntur, ut homines in piſcatorio artificio callidi, ad maris ſinus uadoſos & minime inac-

ff 2 ceſſos

ceſſos eo tempore cum ij à procellis & tempeſtatibus conquieſcunt multos mortales adducant, eosq́ iubeant arenã eatenus proterere, & conculcare, quoad ex uehementi pedum impreſsione, bene alta ueſtigia faciant, ne ipſa tamen ueſtigia concidens arena cõfundat, néue uentorum perturbatione aqua concitetur: non longo interuallo eò ingreſsi in ueſtigijs impreſſis amplos piſces conſopitos, Paſſeres, Rhombos, Torpedines, & pleroſq; alios eiuſmodi capiunt.

De acrimonia piſcium in audiendo, Lupi, Salpæ, Mugilum, & reliquorum. CAP. LXIII.

SEnſu audiendi acerrimo eſſe Lupum, Chromin, Salpam, Mugilem, ex Ariſtotelica præceptione patet. Lupum præterea præclare intelligere ſe in capite poſsidere lapidem hyberno tempore perfrigidum, ſibíq; infeſtiſsimum. Itaque illo ipſo anni tempore eum lapidem calefacere haudquaquam inſcium cõtra lapidis frigus remedium eſſe ipſum tepefacere. Similem etiam lapidem Chromin, Pagrum, Vmbrã habere, eandemq; uitãdi frigoris, quã Lupum ſequi rationem. Itemq́ eſſe in piſcium genere paraſitos, cuiuſmodi Peduunculum appellatum, quæ Delphinus cæperit deuorantem, itaque ex eius præda tanquam ex locupleti menſa refertum pingueſcere, eo nimirum Delphinum tantopere delectari, ut cum ipſo libenter quæ comprehenderit, communicet.

De piſcibus qui uiuunt in feruenti aqua.
CAP. LXIIII.

In Africa

IN Africa ferue ntis aquæ lacus eſſe exiſtimatur, in quo piſces & ui uere, & natare dicuntur, & ad obiectum cibum aſsilire: ac ſi quis in frigidam eos iniecerit, auditione accepi ipſos interire.

De piſcibus paludis Pæonidis. CAP. LXV.

ZEnothenus ſcribit in Pęonide palude quoſdam piſces procreari, quibus adhuc palpantibus ſi eos bubulo pecori edendos obijcias, expletur libentius, quàm cæteri boues fœno. Contrà ab eorundem mortuorum uſu, ſicut idem ait, tantopere abhorret, ut non attingat.

De Ranis Seriphijs. CAP. LXVI.

IN Seripho Ranæ prorſus mutæ ſunt, ſi uero has aliò importes, acre quiddam & tragicum ſonant. In Pierium lacum qui non perennis eſt, ſed hyeme tantum exiſtit, ex aquis in eum confluentibus Ranas ſiquis inijciat, ſilent: alibi tamen uocales. Seriphij de his Ranis gloriantur, hoc uidelicet fieri munere quodam Perſeo diuinitus dato: qui cum rediret cum capite Meduſæ, & terram luſtraſſet permultam, cumq; ut par erat feſſus prope lacum illum ſomnum capere uoluiſſet, Ranas ſtrepentes interpellaſſe: itaq; Perſeum moleſtia affectum, à patre Ioue deprecatū fuiſſe, ut Ranas clamare prohiberet: Patrem uero eius precationem exaudiſſe, ac Ranas illius loci perpetui ſilentij condemnaſſe. Theophraſtus tamen hanc explodens fabulam, & Seriphiorum uanam gloriationem redarguens, aquæ frigiditatem affert cauſam eſſe, cur

hæ mutæ ſint. Lacus in Pheneo eſt qui nullos piſceis affert. Cicadas propter frigidam corporis conſtitutionem non canere idem ait, quoad ſol iam procedente die incaluerit. Cum ex Italia Neapoli Puteolos iter facerem, Ranas perſpexi, quarum pars quæ ad caput pertinet, repebat, & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata concretioni limoſi humoris ſimilis trahebatur.

Quemadmodum ex Ranis ad coitum mares alliciant fœminas. CAP. LXVII.

VT hominum illecebræ quædam amoris eſſe dicuntur, ſic Ranæ amatorium quiddam in uoce uſurpant. Etenim quemadmodum ad captãdos amores ſuos, homo amans laſciuam cantiunculam cantitare ſolet, ſic ſuæ cuiuſdam emiſsione uocis quam ololyginem uocant, coitus ſignificationem mas fœminæ dat, atque ut eam allexerit, ambo noctem, quòd in aqua non queant coire, expectant. Interdiu uenereo complexu implicari horrent, at noctu in magna ſecuritate ueneri dant operam. Cum uocalius quiddam quàm ſint ſolitæ, ſonant, pluuiæ aduentum denunciant. Quod Natricem Rana male oderit, atque incredibiliter pertimeſcat, ipſum ideo contra ſumma uocis contentione exterrere conatur. Ranæ ſine pedibus naſcuntur, deinde ætatis progreſſu ſubcreſcunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Ranis Aegyptijs. CAP. LXVIII.

Aegyptia

AEgyptiarum genus Ranarum ſapientia excellit. Nam ſi in Natricem inciderit, arundinis frutum obliquum mordicus tenet, & nihil de robore remittens, firmiſsime retinet. Is igitur eam non poteſt deuorare, propter arundinem: non enim ore arundinem complecti poteſt: ex quo fit ut Rana Natricum uim prudentia ſuperet.

De piſcibus Armeniæ. CAP. LXIX.

IN Armenia excelſum ſaxum auditione accepi permultam aquam emittere, atque ſub ipſum ſubijci fontem quadrangulum treis paſſus altum, ſingulaq; eius latera ſtadij dimidium occupare, & ſimul cum aqua piſceis frequentes excidere, cubiti magnitudine, tum maiores, tum non multo minores: & ex ijs partim delabi ſemimortuos, partim adhuc palpitantes ad mortem præcipitare. Et peruagatum eſt eos colore eſſe nigerrimos, & non aſpectu inſuaueis. Veruntamen ſi quid eorum uel homo uel fera beſtia guſtarit, ſtatim mori. Propterea Armenios quod ferarum multitudine redundent, primum eos collectos ad ſolis radios exſiccare. Deinde ne hauſta piſcium aſpiratione graui & peſtilenti pereant, ore & naribus obturatis hoc piſcium genus diſſecare, quod quidẽ ipſum in farinas redigunt, & ad ficus admiſtas in ea loca, quæ maxime abundant feris, diſſeminant. Beſtiæ primum ut eas attigerunt, ſtatim moriuntur, atque ea fraude Apri, feræ Capræ, Cerui, Vrſi, Aſini ſylueſtres necantur, nam eiuſmodi animalia ficuum & fari-

narum auidiſsima ſunt. Iam uero alio modo tollunt Leones, Pardales, Lupos. Nam in domeſticarum Ouium & Caprarum diſciſſum latus farinas ex ijs piſcibus temperatas abdunt. Poſt uero hanc eſcam ad eos alliciẽdos obijciunt, ac cum eiuſmodi quippiã Pardalis, Leo, Lupus guſtarint, continuo moriũtur.

Quemadmodum Lycij per piſces diuinant. CAP. LXX.

AVſpicijs quidam diuinant uolatus auium & ſedes conſiderantes. Et in hac ſapientia clari habentur Tireſias, Polidamas, & pleriq; alij, qui uiſcerum ſitus & naturas præclarè tenent: alij farinis, & cribris, & caſeis futura præmonſtrant. Audio item Lyciæ uicum nomine Syrrhum eſſe, inter Myram & Phellum, ubi ſunt qui ad piſceis ſeſsitando, ſciant quid ſibi uelit appellatorum piſcium acceſſus, & receſſus: quid item oſtendunt, cum non parent: quid cum frequenteis ueniunt portendant facile intelligũt. Atque eius diuinationis periti ſciunt, quid cum ſalit piſcis, demonſtrat, quid cum mortuus fluitat, quid cibum ſumens, quid etiam recuſans præſignificet.

De uarijs piſcibus Taprobanæ inſulæ. CAP. LXXI.

TAprobanæ Inſulæ mediterranei mare incognitum habent: Maritimi uero Elephantorum uenationem, niſi auditione & fama, haudquaquam acceperunt: omne ſtudium atque operam ad piſcationem conferunt. Id mare magnum eam inſulam ambiens

biens, infinitos piſceis procreare ferunt, habentes capita Leonum, Pantherarum, & Arietum, aliorumq́; animalium: & quod magnam admirationem habet, Satyrorum ſpeciem ſimilitudinemq́; piſces nonnullos gerere, ac cete exiſtere muliebri facie, eisq́; pro crinibus ſpinas eſſe, quorum genera tam monſtroſa, exacte explicari non queunt. Ac in eodem mari beluas in utraq; ſede uiuentes audio, & noctu ſegetes & herbas depaſci: quodq́; palmarum fructu iam matureſcenti gaudeant, idcirco eas arbores amplexu ſuo concutere, & excuſſos uiolento impetu exedere, & conficere, eaſdemq́;, cum iam incipit diluceſcere, in mare abdi. Tum etiam permultas Balenas Delphinis inſidiantes ibidem eſſe aiunt. Tum duo Delphinorũ genera illic naſci, alterum ferum & inexpiabili immanitate, piſcatoribus infeſtum: alterum natura manſuetum, circum homines natare, & more canum blandiri, & ſe contrectari ſuſtinere, atq; obiectum cibum libenter ſumere.

Quemadmodum in Eridano & Tenaro piſces capiuntur. CAP. LXXII.

VBi inſignis Eridanus, & ignobilis Tenarus coitionem faciunt, ibi hoc piſcandi genus accolæ exercent, ut hyberno quidem tempore arationibus operam dent: deinde ineunte uere, nondum cõfluente frigoribus conglaciare deſinente, qui antea agricolæ eſſent, nunc piſcatores facti, ſinoſum locum deligunt, quem peracutis ſecuribus circũcidunt, & quid-

dam lacui ſimile efficiant: non tamen glaciem prope ripam ſecant,ſed in ſuo ſtatu conſiſtere ſinunt, atque locum à glacie nudatum circundant amplo uerriculo. Quod quidem ipſum piſcatores in ripa conſiſtentes trahunt, ac nimirum permulti etiam piſcatoriæ artis imperiti piſcium captionē animi cauſa ſpectant. Cum autem ij qui adducunt prope ripam uenerunt, tum piſcatores extrinſecus glaciem ripæ continentē frangunt,atq; in prædam incumbentes in rete piſceis extrinſecus,retrudunt. Ex quo fit,ut ij duplicem fructum percipientes,alterum ex terra, alterum ex flumine,& nautæ & agricolæ cenſendi ſint.

Quemadmodū ex Iſtro conglaciante piſces capiuntur:& de natura Antaceorū. CAP. LXXIII.

EST etiam Iſtro ſinus adeo profundus & latus, ut mare eſſe uideatur,in quem onerariæ naues mare tranſmittētes ad uſum accolentium inſinuantur, atq; appelluntur. Itaque tempeſtatibus cum is quatitur, quemadmodum mare inhorreſcit. Sunt etiam in eo inſulæ & receſſus quidam, in quos refugere licet, & crepidines riparum bene eminentes, quibus cū æſtus reciprocatur, fluctus refringuntur, atque eodem uelut in anguſtias compulſi,in mare retunduntur. Hoc ipſum ineunte hyeme fieri ſolet, tum enim hunc augeſcentem Boreas impellit & concitat. Hic adeo duram glaciem defert, ut hæc uecturas omneis ſuſtineat. Contra acerrimus Boreas flans huic reſiſtit, & ſic in altitudinem deprimit, ut bene penitus conglaciet, &

eius

cius confluens uijs occultis infra delabatur, glacies campi patentis æquor eſſe uideatur. Ac nimirum homines uel equis inſidentes, uel iugata iumenta agentes, iter faciunt. Nauem onerariam in confluente uerſantem tantopere aqua frigoribus concreſcens circũligat, ut nec paſſa uela, nec gubernatores opus ſint, quòd ea glaciei uinculo conſtricta tenentur: nec ſanè nauis eſſe uidetur, non enim amplius fluctibus uerberatur, ſed in magna planicie tumuli, aut cuiuſdam ſpeculæ ſimilitudinem ſpeciemq́ue gerit. Vbi nautæ exſiliunt, in flumine excurrentes, plauſtrisq́ue onera tranſuehunt, tum glaciem in orbem perfodientes, puteum excauant, ut uel putei uel maximi dolij os eſſe uideatur. Permulti piſces lucis deſiderio ex glacie tanquã ex tecto effugere cupientes, in apertum os innatant, eodemq́ue frequentes congregantur, ut inter ſe trudant. Vbi ut in ſtricto ſcrobe cum permulti alij piſces facile capiuntur, tum plurimi Cyprini, & Coracini, & Percæ, & Xiphiæ, qui nec dum confirmata ætate, nec mucronato roſtro exiſtunt, & Antacei, & ij quidem teneri: nam qui ætate proceſſerũt, ad maximi Thunni magnitudinẽ accedunt: ij ſane pinguiſsimo abdomine ſunt, ut eius uentrem lactantis Scrophæ ſuos fœtus ubera dicas: ſicq́ue aſpero corio tegũtur, ut eo perpoliãtur haſtæ. Ab illius capitis uertice ad caudam mollis & ſtricta membrana pertinet, quam ad aſſum ſolem exſiccatam, flagellum ad concitanda iumenta efficere poſsis. Cum eſt iuſta magnitudine, ſub

glaciem ſubiens, nunquam ad caueam peruenit, ſed aut ſub ſaxa ſubijcitur, aut in imam harenam ad uitandum frigus abditur. Nam id temporis cum gelidum eſt flumē,& perfrigida tempeſtas,nullis nec herbis nec piſcibus ueſci neceſſe habet:tantum inertia laboris gaudet,& alitur ex pingui ſuo ſucco. Et quēadmodum Polypi,cum præda deſtituūtur, brachia ſua circūrodunt,ſic is ſuam pinguetudinē exedens uiuit. Ineunte uere,iam libere fluente Iſtro, odit ignauiam: itaq; ſeſe ex latibulis ad ſummā aquam incitās, aquæ ſpuma expletur: Vbi magno murmure rapidus fertur, ibi frequens uerſatur, & à piſcatoribus ad hunc modū inſidias ei moliētibus facile capitur, ut hamus cum linea in ſpumā demiſſus, ſub alborē occultetur, & ferri ſplendor minime perſpicuus ſit: is tum ore hiante atq; imminēte, liguriens inſidioſam eſcam deuorat,ex eoq; perit,unde prius alebatur.

Quemadmodum in Macedonia non admodum uſitate piſces capiuntur. CAP. LXXIIII.

HViuſcemodi Macedonicam piſcandi rationem auditione comprehenſam habeo: in fluuio nomine Aſtræo, qui inter Beroeam & Theſſalonicen medius fluit,diſtincti uarijs coloribus piſces gignuntur,qui indigenis muſcis in fluuio uolitantibus paſtū ſibi comparant. Eæ nec ſimile de ſpecie quicquā aliarum muſcarū habent, quæ ubiq; ſunt, nec ad Apum ſimilitudinem accedūt, nec Veſparū ſpeciem gerunt: harum tamen aliquam cuiuſq; propriam particulam referunt,

referunt,tum in audacia quiddam ſimile cæterarum muſcarum habent,tum magnitudine Apibus ſimiles ſunt,tum Veſparum colorem reddunt, & ſimiliter quidem atque Apes bombitatione ſtrepũt, eas Equiſeles appellant indigenæ,eæ ad ſummam aquam uerſantes,Piſcium nationem non latent. Nam ut ex his quiſpiam earum aliquam per ſumma apparentem cõſpexit ſilentio ſub aquas ſubiens, ne prædam aquæ agitatione loco moueat, proxime ad illius umbram accedit, & quemadmodum uel de grege ouem Lupus,uel anſerem ex cohorte Aquila rapit, ſic is ore hianti atque imminenti eam deuorat. Quod quidem ipſum etſi piſcatores haudquaquam ignorant, non ĳs tamen muſcis ad ineſcandos piſceis utuntur,ſimul enim ac hominis manu continguntur,& natiuum colorem perdunt, & pennæ euaneſcunt, & inepti ad eſcam piſcium omnino redduntur. Quæ cauſa eſt, cur earum odio incenſi, ipſas à ſe deteſtentur. Veruntamen qui piſcandi ſcientiam cognitionemq́; præclarè tenent,captioſa quadam machinatione atque ſolertia eiuſmodi piſceis circumueniunt: Purpuraſcente enim lana hamum circũueſtiunt,& ad eandem lanam gallinacei pennas duas cerei coloris ſpeciem ſimilitudinemq́; gerentes, accommodant, & conglutinant, quaternum cubitorum eſt arundo, ad quam alligatum eſt ferrum,totidem eſt linea,atque has abſtruſas inſidias in flumen deĳciũt: piſces colore illecti,cupide pergunt contra uenire,ac nimirum lautum cibum

ſe habituros ex pulchro aſpectu arbitrantes, hamatis eſcis configuntur, iiſdemq; acerbis captiui fruuntur.

GYLLII ACCESSIO.

Quemadmodum piſcantur in inſula Ecuba.
CAP. LXXV.

NEque uero in ſuperiore piſcatione cuiuſquã admiratio exiſtet, qui uel de bonis autoribus noui orbis auditionem acceperit, uel ipſe inſulam Ecubam peragrauerit, ubi ad cymbam, quæ ex concaua arbore tota conſtat, piſcem fune alligatum uectores poſt ſe trahunt, cuius formam qui inſpexerunt, dicũt Anguillæ ſpeciem ſimilitudinemq; gerere, excepto capite, quod tum grandius eſt, tum pelliculam habet crumenæ non diſsimilem, qua primũ ut Teſtudines aut alios piſces extra aquam eminent, ſtatim exſolutus, telo infeſtior, omniq; aue uolucrior in eos fertur, & proiecta pellicula inuolutos comprehendit, neque ſane ante mittit prædam, quàm in ſummam aquam ad piſcatores peruenerit: iij poſtquam capti uos piſceis legerũt, hunc rurſum ad nauiculam religant.

FINIS LIBRI XIII.

LIBER DECIMVS QVARTVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

DE VOLVCRIBVS.

De Aquila. CAP. I.

AQVILA uiolentum animal & tyrannicum, neque modò in aſſequendis ad uiuendum neceſſarijs rapinas facit, ſed etiam uſu carnium delectatur, nam ad ſe explēdam Lepores, Hinnulos, Anſeres ex cohorte, & alia pleraq; rapit. Vna tantum ex Aquilarum genere, quæ Iouis appellatur, carnes nō attingit, ſed & ad uictum ei herba ſatis eſt: etſi Pythagoram Samium non audiuit, nullam tamen animantem edit. Ex auibus maxime acres & acutos oculos habet, in quam Homerus hoc conſentit & teſtimonio eſt, in morte Patrocli ſimilem huic aui inducens Menelaum, cum requireret, quem ad Achillem mitteret nuntium, triſtem quidem, ſed tamen neceſſarium de morte eius amici. Aquila non ſolum ſibi, ſed hominum oculis utilis habetur. In melle Attico eius felle ſumpto ſi cui hebeſcunt oculi inungantur, plane uidebit, habebitq; oculos acutiſsimos. Non modo præſentem & uiuentem reginam auium Aquilam cæteræ

omnes uolucres extimeſcunt, atque eius conſpectum exhorrent, ſed & pennæ eiuſdem ſi quis cum aliarum pennis commiſcuerit, incorruptæ atque integræ manent, aliæ cum illis communitatem non ferentes, putreſcunt. Aquila nunquam fontium ad potionem eget, nec puluerulentas uolutationes quærit, ſed & contra ſitim ſuperior eſt, & laboris alleuationem extrinſecus obiectam non expectat: uerum & aquas & requietem præclarè contemnens, ſublime fertur, surſumq; in cœleſtem locum uolans, maxime procul ex alto æthere acutiſsimè inferiora uidet. Cuius alarum crepitum ubi primum Draco auribus perceperit, in latebras ſtatim abditur. Hoc autem indice ſuorum pullorum ingenuitatem legitimã Aquila experitur, eos adhuc implumeis ac ex ætate infirmos ſolem intueri aduerſum cogit, ac ſi quis illorum ſolis radios ægre intuens, nictatione oculos obnubat, nido expellit, & uelut adulterinum abdicat. Sin autem ſolẽ ſine nictatione reſpiciat, extra ſuſpitionem eſt, atque idcirco inter legitimos adſcribitur, quòd cœleſtis ignis eſt generis incorruptus index.

De Aquila quæ Gordio regnum præſignificauit, & de Lupo qui Gelonem Syracuſanum ſeruauit. CAP. II.

EX Aquilæ ſignificatione filiũ ſuum nomine Midam, Gordias regem fore coniecit: cum ſupra huius caput arantis primo uolaſſet, deinde totũ diem in iugo ſeſsitare nõ prius deſtitiſſet, quàm is ad ueſperam

ram arationem dimiſiſſet. Lupus item maxima magnitudine cum in ludum inuaſiſſet, & de manibus Gelonis Syracuſani pueri tabellas rapuiſſet, Gelon de ſella ſurrexit, & ſane quidem feram non timore perterrens, ſed tamen acerrime tabellarũ ſuarum retinens, eum inſequebatur. Poſtea autẽ quàm hic extra tabernam ludi literarij fuiſſet, hæc quidem labem fecit, & repentina ruina concidens, pueros unà cũ præceptore confecit, & oppreſsit: ſolus Gelon diuinæ prouidentiæ munere ſodalibus ſuis ſuperfuit. Quod ipſum non eum à Lupo occiſum, ſed potius ſeruatũ fuiſſe, magnam profecto admirationem habet. Non igitur rationis expertia Deus negligit, imo uero chara habet, cum diuino inſtinctu partim ex his regnum præſignificarit, partim ex impẽdente periculo ſeruauerit. Ergo beſtiarum etiam hæc eſt uis, in amore ut ſint diuino numini.

De contentione Aquilæ & Cornicis. CAP. III.

ET ſi Aquilas conflictationibus Cornices eludere ſtudẽt, has tamẽ illæ præclarè contẽnunt, & deorſum ferri ſinunt: ipſæ uero ſurſum ſubuolantes, æthereum locũ ſecant, quod quidẽ ipſum non Cornicũ timore agunt. Quiſnã hoc dicat, qui plane ſciat Aquilarum uim: ſed potius propria quadã animi magnitudine earum infra ſe uolantiũ lapſus facile patiuntur.

De Aquila Chryſaëto nuncupata. CAP. IIII.

AQuilarum genus quod alij Chryſaëton, alij Stellarem appellant, non ſæpe apparet: eius ge-

neris Aquilam Ariſtoteles uenari ait Hinnulos, Lepores, Grues, Anſeres ex cohorte. Aquilarum maxima hæc exiſtimatur. In Creta ui tauros inuadi ab ea ſolere in hunc modum narrant. Interea Taurus ſe cum abijcit ad paſtum, ex inſidijs Aquila in ceruicem inuolans, crebras illi ac acerrimas plagas roſtro infligit: Ille tanquam aſilo excitatus, primum incenditur ad curſum, deinde quà poteſt ſe in fugam confert. Quandiu in plano & ſtabili loco fertur, ab Aquilæ moleſtia requieſcit, ea nimirum quoad in planiciem excurrit, nihil ei negotij exhibet, at quieta uolans illum acerrime obſeruat, quacunque ingreditur. Cum illum proxime ad præcipitem locum ac decliuem acceſsiſſe uidet, explicatis in orbem alis, illius oculos quatit, & ea quæ ante pedes ſunt, nihil illum prouidentem, magna ui præcipitem agit, laniatuq́; uentrem appetens, quantum eius cupiditas fert, nullo deinde negotio præda potitur. Ab aliena præda ſe continet, nihil enim tale etſi humi iacet attingit, ſed ex ſuis laboribus gaudet, atq; à communicando cum alijs ſe ſuſtinet. Poſteaquam expleta atque exſaturata eſt, ſua aſpiratione graui & tetra reliquias imbutas relinquit, alijs iam ad uſum ineptas. Aliæ ab alijs longiſsime nidificant, ne mutua ex loci propinquitate inopes prædæ pereant.

De Aquilæ amore erga ſuos nutritios & ſuos pullos. CAP. V.

VNum genus Aquilarum eſt, quod in nutritios ſuos admirabilem charitatem retinet, cuius rei exemplum eſt Aquila Pyrrhi, quam ab omni cibo ſe prorſus abſtinentem, mortuo domino ſuo immortuã fuiſſe ferunt. Quod idem alumna uiri priuati feciſſe dicitur, ſeſe nimirum in medios rogos, cum dominus cremaretur, immiſiſſe: ſunt qui dicãt non uiri, ſed mulieris alumnam fuiſſe. Ex omnibus animalibus maximo ſtudio in fœtus ſuos exiſtit: quare acerrimo odio eum perſequitur, quem in nidum inuaſiſſe conſpexerit, non inultum, impunitumq́ dimittit, nec ad repetendam pœnarum moderationem quandam roſtro utitur, ſed illum alis uerberat, & unguibus lacerat.

Quemadmodum ab Aquilis terreſtres Teſtudines occiduntur. CAP. VI.

TErrenas Teſtudines à ſe cõprehenſas ex alto deijcientes Aquilæ ad ſaxa allidunt, & ex cõtrita Teſtudinũ teſta extractã carnem exedunt, conficiuntq́. Itaq; Eleuſinius Aeſchylus tragicus poëta de uita migraſſe dicitur. Cum enim is in ſaxo ſedens, ex conſuetudine inſtitutoq́ ſuo & philoſopharet, & ſcriberet, eius caput à pilis nudũ, Aquila ſaxum eſſe arbitrata, Teſtudinẽ, quam in ſublime extulerat, in idipſum deiecit, & ſine aberratione ictum dirigẽs, uirũ interſecit.

Quemadmodum Lepores uenantur Aquilis. CAP. VII.

LEpores & Vulpes ad hunc modũ Indi uenantur, neque enim ad capturam eorum canibus egent:

Aquilarum & Coruorũ & Miluorũ pullos educũt, ad uenationemq́ inſtituunt. Inſtituẽdi ratio hæc eſt: Primum ut ad Leporẽ & Vulpem manſuefactos carnem appenderũt, eos de manibus dimittũt, ad quos à tergo inſequẽdos auibus emiſsis fruendæ carnis ad eos ipſos alligatæ poteſtatem uenatores concedunt. Aues autem acriter inſequũtur,& ſimul ut uel hanc, uel illam cæperint, præmium pro captura carnẽ conſequuntur. Hæc nimirũ apud eos proſequẽdi has beſtias maxime illecebra eſt. Poſtea uero quàm eas exacte ad uenandi ſcientiã erudierunt,in montanos Lepores,ac feras uulpes emittunt: aues conſueti prandij ſpe quæ ex obiecta præda eis oſtenditur, & inſequũtur,& celeriter comprehendunt,atque,ut Cteſias ait, quod cæperunt,dominis reportãt, non plane inſciæ pro carne illa prædæ domeſticæ antea appenſa,ſe ex fera præda nunc uiſcera habituras eſſe.

De Aquila redamante puerum. CAP. VIII.

PVerum auium ſtudioſiſsimum, Philarchus memoriæ prodidit, Aquilæ pullum quem dono accepiſſet, uario & multiplici cibo aluiſſe,& ſtudioſe diligenterq́ curaſſe. Nam cum ipſum nõ tanquam rem ludicram alebat,ſed tanquam uel amores ſuos & delitias,uel natu minorem germanum fratrem, ſic ſane is Aquilam magna cum cura & diligentia tuebatur. Cum autem progreſſu ætatis in mutuam inter ſe amicitiam uehementer exarſiſſent, atq; accidiſſet ex morbo ut puer laboraret,tum ei Aquila aſsiduitate officij

aſsidebat.

aſsidebat. Cum enim is quietem caperet, ipſa quoq; quieti ſe dabat: cum uigilaret, eadem aſsiſtebat: cum non ederet, ipſa pariter cibum non admittebat. Poſtea uero quàm è uita exceſsiſſet, atq; efferretur ad monumentum ſepulchri, eum proſecuta eſt: poſtq; ubi cremaretur, in medios rogos ſe immiſit.

Quemadmodum Aquila ab homine auxilium aſſecuta, ſtatim ſibi benefacta retribuerit.

CAP. IX.

DEcem & ſex uiri frumentum in area baculis excutientes, uaſtiſsimis ſolis ardoribus cum ardentiſsime ſitirent, unum ex ſuis ut aquam de proximo hauriret fonte, miſerunt: Is meſſoriam falcem in manibus habebat, & in humeris ſitulam geſtabat: ubi uero ad fontem uenit, Aquilam extrictiſsime offendit ſerpente circumplicatam, iam iam proximam ut ſtrãgularetur: in eam, ut ſæpe ſolet, inuolauerat: ueruntamen non ſuarum fraudum compos in ea ipſa expugnanda euaſerat, at enim ſpiris illius circumuenta, uicina erat ad pereundum. Agricola uel quòd nõ ignoraret, uel quòd auditione accepiſſet Aquilam Iouis nuntiam & miniſtram eſſe, & item quòd egregie teneret feram beſtiam eſſe, falce ſerpentem ab Aquila abſcidit, & uinculis eam, unde effugere non poterat, exſoluit. Cumq; his obiter geſtis reuertiſſet, atque hauſta aqua uinum temperatum omnibus miniſtraſſet, ij quidem auidiſsime bibere ingrediuntur: is autem qui aquam hauſiſſet, iam poſt illos bibiturus erat (nam

tum famulus non compotor erat) ad labra poculum cum admouiſſet, ſeruata Aquila circum locum illum etiam nunc uerſans, ſic in poculum inuolauit, ut potio effunderetur. Ille quòd grauiter ſitiret indignatus ait: Hanc ne gratiam, cum ſis illa (nam auem recognoſcebat) tuo conſeruatori refers? itá ne Iouem gratiarum inſpectorem & præfectum uereris? Cum hæc elocutus ſe ad alios conuerteret, uidet ex uenenata potione palpitãtes, extremum ſpiritum efflari. Serpens, ut conijcere licebat, ſuo ueneno fontem imbuerat. Itaque redemptionis præmium ei qui ſe conſeruaſſet, Aquila cum pari ſalute compenſauit. Hæc dicit Crates Pergamenus, & Steſichorus in quodam poëmate graui & antiquo, & in uulgus haudquaquam peruulgato.

GYLLII ACCESSIO.

De eadem. CAP. X.

ALiæ aues uolandi idcirco diuerticulis flexionibusq; in cœlum, quòd rectà non poſsint, efferuntur: ſola Aquila directo uolatu in ſublime fertur. Aliæ item rectam uiam flectunt, cum ad terram delabuntur: Aquila deorſum uerſus rectà defertur: eam Aegyptij non aquam, ſed ſanguinem teſtantur bibere. Quòd ſi in pugna uicinam ſe ad ſuccumbendum ſentit, ſeſe ſupinam ad terram abijcit, & in hoſtem ungues dirigit, quod ipſum cum hoſtis præſtare non poſsit, in fugam facile impellitur. Aliorum animalium non ſemper maribus fœminæ ad coitum obediunt,

Aquilæ coitum nunquam recuſant: nam ter & decies, quamuis initæ ſint, ſi tamen mares præterea eas appetant, parent. Vnguibus lapidem in ſuum nidum ſupportant, ut eo depreſſus nidus, firmiter conſtet.

De Gryphibus. CAP. XI.

GRyphem Indicum animal audio ſimiliter quadrupedem ut Leonem eſſe, robuſtiſsimis item exiſtere unguibus, Leonum ſimilibus: tum eſſe poſticis partibus nigrum, anticis uero rubrum: alas autem ipſas nõ item eiuſmodi, ſed albicantes ferunt. Cteſias eos ait Aquilino ore eſſe, & capite cuiuſmodi pictores fingunt: oculis autem igneis, nidosq́ in montibus facere, utq́ ætatis proceſſu grandes non capi, ita earum pulli comprehendi poſſe. Bactri autem Indis finitimi eos illic auri cuſtodes eſſe, aurumq́ effodere aiunt, & ſimul eo ipſo nidos conſtruere: quod uero auri in terram deciderit, Indos homines auferre. Contra Indi eos auri, quod ueri quidem ſimile uidetur, cuſtodes eſſe negant: neque enim Gryphes auri egere: at contra ipſos cum ad colligendum aurum homines acceſſerũt, hos de pullis ſuis maiorem in modum timentes, pro eis pugnare, atque cum alijs etiam animalibus concertare, eaq́ funditus uincere. Contra autem Leones & Elephantos non ſtare: idcirco indigenæ, quòd ab huiuſmodi animalium robore timeãt, non interdiu, ſed ad collectionem auri noctu proficiſci, quod ſe tum melius latere arbitrentur. Locus ubi Gryphes uerſantur, ac ubi aurũ effoditur, deſertiſsi-

mus eſt. Quocirca aurum uenari ſtudentes, mille,aut bis mille armati eò perueniunt, ſimulq́ ſaccos afferunt, ſilentem lunam obſeruantes. Quòd ſi Gryphes fallant,duplicem commoditatem aſſequuntur,quòd & eorum uita ab illorum atrocitate ſeruatur, & quòd etiam aurum Indi domum auertunt. Sin in furto deprehendãtur,perierunt. Cum ſemel eò profecti ſunt, domum non niſi triennij, aut quadriennij interuallo reuertuntur. Ariſteas Proconeſius in ſuis uerſibus dicit eiuſmodi aues cum Ariſmaſpis de auro pugnare.

De Vulturibus. CAP. XII.

IN hominum cadauera Vultures infeſtiſsimi feruntur, in quæ incurrentes tanquam hoſtilia inuadũt, ac hominem uicinum ad moriendum quando ſupremum uitæ diem agat, diligẽter obſeruant. Expeditos in bellum exercitus præſentione quadam cõſequuntur,plane ſcientes & quòd ad bellum proficiſcuntur, & quòd omnis pugna ſtrages edere ſolet. Vulturem non naſci marem aiunt,ſed fœminas omnes generari: quam rem non ignorantes hæ beſtiæ,pullorumq́ ſolitudinem ac inopiam timentes,ad gignendos pullos talia machinantur. Aduerſæ Auſtro uolant, uel ſi Auſter non ſpirat, ad Eurum uentum oris hiatu ſe pandunt: ſpiritus uenti influens,ipſas implet. Dicunt Vultures non nidificare: Vultures uero, qui ſunt medij inter Vulturum genus, & Aquilarum, eſſe tum mares,tum nigros colore, quorum quidem nidos reperiri audio, attamen oua eos excludere non

exiſtimo

exiſtimo,ſed pullos potius parere,eosq́; ſtatim à partu uolatiles eſſe intellexi. Vulturibus unguentum perniciem infert. Barcei gens Heſperia ex aliquo morbo mortuos, ut muliebriter & ignauiter defunctos, ad notandam mortis ignominiam igni cremãt: Eos uero qui in bello morte occubuerint, ut ſumma uirtute ornatos, Vulturibus deuorandos obijciunt: quòd eas aues ſacras exiſtiment. Romulus in Palatino colle ex duodecim Vulturibus optima auguria egit: Nam ex auium numero commutatione in duodecim homines facta, principes totidem Romanos, quot aues perſpexiſſet, uirgis antecedere iuſsit. Eiuſmodi uolucres Iunoni ſacras Aegyptij ducunt, atque earum pennis Iſidis caput, & ueſtibulorum faſtigia ornant.

GYLLII ACESSIO. De eiſdẽ. CAP. XIII.

VVlturum genus cum ſit acribus oculis atq; acutis,longo interuallo quod edendum ſit,deſpicit, ac futuro bello ſeptem ante dies, quàm pugna committitur,locum præuidet,in eamq́; partem in qua alterutra pars ſuccumbet, reſpectat. Quamobrem reges olim ſpeculatores ſolebant præmittere, qui renunciarent ad quam nam partem oculos uultures referrent. Iam porro trecentos & ſexaginta quinque dies quibus annus conficitur ad hanc rationem eiuſmodi auis partitur: centum & uiginti in terra commoratur, nuſquamq́; humo tollitur, quòd ſane totus & animo & corpore in alendos pullos ſit: ducentos

& quadraginta neq; concipit quicquam, neque alit, ſed ſibi tantum uiuit. Quinq; reliquos dies in conceptionē conſumit. Quòd autem nihil in amore ardentius quàm pullos habeat, ex eo ſatis liquet, quòd totidem dies quot modò commemoraui, ſic in alendā prolem incumbat, ut non ſe ex pullorum loco cōmoueat, ac ſe quando nutrimenti facultas deſit, nè fame pulli pereant femori ſuo uulnus infligit, & manantē ſanguinem eis ipſis exſorbendum dat.

GYLLII ACCESSIO.

De Accipitre. CAP. XIIII.

VArium & multiplex genus accipitrum: Thynnunculus, Buteo, Aquila Vulturi ſimilis, quæ Cymindis appellatur. Perdicotheros Apollinis miniſter eſſe dicitur: Oſſifragam, & Harpam Mineruæ attribuunt: Columbarium Mercurio dicunt ſacrum eſſe: Iunoni Tanyſipteron: Buteonem Dianæ: Matri deorum Morphnon: item alios alijs Dijs conſecratos eſſe. Accipitres non minus quàm Aquilæ ad aucupandum habiles, neque magnitudine Aquilis inferiores, de auibus longe hominum ſtudioſiſsimi habētur. Eos in Thracia auditione accepi ad hanc rationem cum hominibus per paludes ſocietatem aucupandi coire: homines explicatis retibus quieſcere, accipitres autem ſuperuolantes exterrere aueis, ac intra retia compellere. Thraces ſi quas cæperint aues, cum accipitribus partiri, eosq; tum ad aucupij ſocietatem fidos habere; Sin cum his earum partem quas

cæperint

cæperint auium, non communicauerint, diſſociari atque diſtrahi. Iuſtæ magnitudinis accipitres & integræ ætatis cum Vulpibus pugnaciter certare, & ſæpenumero contra Aquilas & Vultures pugnare: à cordibus tanquam ſacro quodam initiatis ſe ſuſtinere. Nunquam enim auium corda ueluti religione quadam cōſtrictos edere. Hominem mortuum ſi inhumatum perſpexerint, iniecta gleba humare dicuntur: etſi illos hoc ipſum Solon, ſicut Athenienſeis, non facere inſtituerit. Quòd ſi corpus attigerit, ieiunus manet, neq; ſi unus tantū aquam in ſulcum deriuet, aquam guſtat: quòd ſanè exiſtimet illi unico homini incommodare, ſua nimirum potione aquam ex illius uſu auferens. Sin plures homines irrigant, uidens affluentis aquæ copiam, uelut ab eis inuitatus, libenter bibit.

De Accipitribus tinnunculis. CAP. XV.

ACcipitrum genus quod nominatur Cenchris, nulla eget potione. Ardenti in fœminas amore inflammatur, moreq; hominum amatoria leuitate flagrantium, ſemper ſectando eas in oculis fert. Si quò clàm fœmina abſceſſerit, ex eo maximum capit dolorem, & clangorem fundens uaſtum exclamat: utique homines uehementer amantes ex amore uexantur, perinde amatorijs moleſtijs affligitur. Cum ex oculis laborat, ſyluaticam lactucam euellit, eiuſq; acerrimum ſuccum expreſſum ſuis oculis imponens, ad ſanitatem reſtituitur. Hoc uti medicamento ad ſanan-

dos oculorum dolores medici dicuntur, unde oculorum medicina Hieracia, quaſi Accipitraria appellatur. Vnde uidere licet homines ſe auium diſcipulos profiteri, atq; etiam præ ſe ferre non uereri. Sacrilegum medicum Delphis, cum in eum incurriſſet Accipiter, eius caput conuellens, indicauit. Itemq; nothi Accipitres eſſe creduntur qui cenſentur in genere Aquilarum. Ineunte uere delecti ex omnibus duo in Aegyptum allegantur, ad ſpeculandas inſulas quaſdam deſertas quæ Libyæ adiacent. Ii autem ubi reuerterint, præeuntes eò alios deducunt: quibus duobus cæteri peregre illius profectionis feſtum agunt. Cum ad eas inſulas peruenerunt, quas illi duo ſpeculati commodiores ſibi indicarũt: hic in multa quiete, & tranquillitate pariunt, & excludunt, paſſeresq; & columbas uenantur: pullos cum magna redundantia alunt, deindeq; firmos ad uolandum in Aegyptum abducunt, tanquam ad paternas ſedes.

Vt meminerunt beneficij accepti etiam fere beſtiæ, & de Accipitre. CAP. XVI.

NOn tam immanes beluæ exiſtunt, quin liberaliter acceptæ, beneficiorum acceptorum memoriam ſtudioſe diligenterq; ſeruent. Nam eas in eos ipſos à quibus beneficium acceperint, uehemẽter gratas eſſe, teſtimonio ſunt uel Aegypti admodum fera animalia, Feles, Ichneumones, Crocodili: & Accipitrum genus eſt quod eſcæ illecebris capitur, ijſdemq; manſue

manſuefactum, poſtea nūquam abſcedit ab eo quem experitur in ſe benignum. Homo autem & rationis particeps & munere prudentiæ ornatus: tum etiam, quod uel rubor ipſe facilime indicat, uerecundia præditus, qui modò amicus erat, nunc repente hoſtis, uel leuiſsimis de cauſis, grauiſsimus fit: & quæ illi credita ſunt, uel tenuiſsima ſuſpicione iniecta, euomit.

Interea accipiter quoad uiuit, cum apud Aegyptios egregie charus deo eſſe exiſtimatur, tum poſt exceſſum è uita futura oſtendere, ab eodemq́ ſomniorum ſignificationes proficiſci, atque apud eoſdem populos tripoda accipitris aliquando fuiſſe, unde oracula conſulentibus diuino inſtinctu afflata funderentur. Perdices Paphlagones duplici corde Theophraſtus confirmat. In Biſaltia duplex iecur lepores Theo pompus ait habere: Apion uero niſi nugatur, Ceruos locis quibuſdam quatuor renes habere. Idemq́ affert, Oeneo in Menide regnante, bicipitem Gruem apparuiſſe, tumq́ Aegyptum feracem extitiſſe: atq́ ſub alio rege quadricipitem auem uiſam fuiſſe, & quanta antea nunquam Nilum alluuione redundaſſe, frugumq́ ubertatem mirificam fuiſſe. Quadricornem Ceruum Nicocreon Cyprius habuit, quem Pythio conſecrauit. Ego Bouem quinq́ præditum pedibus uidi, ſacrum & dedicatum deo, qui colitur ad Ale xandriam in luco ubi Perſeæ arbores conſitæ, perpulchra umbra opacant: pedem is in armis appenſum habebat cum ad ingrediendum adiuuātem, tum

abſolute factum.

Quemadmodum Aegyptij Accipitrem colunt.
CAP. XVII.

ACcipitrem Apollini conſecrant Aegyptij, & uenerantur. Oron ſua lingua Deum hunc appellant. Auem autem eiuſmodi Thauſtum nominant. Cum Apolline idcirco conuenientiam habere aiunt, quòd de auibus ſoli Accipitres ſemper nullo negotio aduerſos ſolis radios intuentur, neque intentis oculis ſurſum uerſus iter ſuſcipere grauantur, nec diuina flamma offenduntur: ijdem ipſi ſerpentibus & uenenatis beſtijs inimiciſsimi ſunt, nec enim ipſos ſerpens, nec Scorpius, nulláue alia mala beſtia latere poteſt: nullas fruges exedunt & conficiunt, ſed & carnes uorant, & ſanguinem exſorbent, ijſdemq́ ſuos alunt pullos: ad libidinem ſunt inflammatiſsimi: os tibiæ illorum ſi ad aurum admoueatur, ſic ipſum illecebra quadam mirabili ad ſe allicit, quemadmodum Heracleotem lapidem ſua ui prædicant quaſi præſtigijs & captionibus ferrum ad ſe attrahere.

GYLLII ACCESSIO.

De eodem. CAP. XVIII.

ACcipiter cum ex ſeſe tria oua peperit, unum ſolum ſelectum alit, alia duo frangit, quod ipſum eo tempore facit, cum ungues amiſit, quòd tres pullos tum alere nequeat. Accipitris natura tota ſanguine & ſpiritu conſtat; hominis miſericordia mouetur, eidemq́

eidemq́ iacenti mortuo ingemiſcit, illiusq́ oculos terra obtegit.

De magna Struthione, quam Sextus Pompeius & Auſonius Paſſerem marinum appellant.
CAP. XIX.

TAmetſi alis penna frequentibus magna Struthio prædita eſt, à terra tamen nec tollitur, nec in ſublime fertur, at celerrime duabus alis explicatis graditur, quas uentus tanquam uela implens propellit: uolare autem neſcit. Et ſi permulta oua parit, non tamẽ omnia ad frugem perducit: ad fœcunda ab infœcundis ſecernit, tanturńq́ frugiferis incubat, ſimul & ex ijs pullos excludit, & ſterilitate affecta, eis ipſis editis pupillis alimenta præbet. Quòd ſi quis eam inſectetur, propter corporis grauitatem uolando effugere nequit, ſed duntaxat explicatis alis, greſſu ipſo effugere aggreditur: ſin propior facta eſt, ut capiatur, obuios lapides ſic pedibus retro ad hoſteis uerſus tanquam funda iaculatur.

Ex minima origine in maximam creſcunt magnitudinem Crocodilus, Struthio magna Elephantus. CAP. XX.

HAec tria ex minimis euadunt maxima animalia, ex aquatilibus, Crocodilus: ex uolucribus, magna Struthio: ex quadrupedibus, Elephantus. Iuba rex Elephantum ſcribit patri ſuo fuiſſe, qui multa ſecula uixiſſet, nempe qui emanaſſet, & per manus traditus fuiſſet, uſque ab huius alta ſtirpe. Et Ptolemæo

Philadelpho Aethiopem Elephantum fuiſſe, qui uel multas ætates uixiſſet, uel ex hominum conſuetudine, uel inſtitutione manſuetiſsimum: atque idem ipſe ait, ſe uidiſſe Elephantum Seleuci, cognomine Nicanoris, qui uſque ad Antiochorum poſtremam expugnationem uixiſſet.

De eiuſdem natura. CAP. XXI.

IN Struthionis uentre, cum is à ſordibus expiatur, lapides inueniuntur, quos hæc poſtea quàm deuorauit, in omaſo prope reticulum diu aſſeruatos concoquit: ij ſane ad efficiendam oculorum medicinam ſalutares ſunt: atque illius adeps & nerui auxilium & ſalutem neruis hominum afferunt. Eademq́ꝫ in curſu deficiens laſsitudine, comprehenditur ab equitibus, etenim in orbem currit: uerum equites ei orbem pręcidentes, currendo defeſſam aſſequuntur. Ad hunc etiam modum capitur, pedibus ſanè nidum ex ſabulo architectans, in ſolo humilem nidum fingit, & conſtruit, cuius medium concauum efficit, labra ambientia alte exaggerat, ac tanquam muro circummunit, ut munitio eminens pluuiam in nidum influere, & pullos etiam num teneros alluere prohibeat. Amplius octaginta oua ex ſeſe parit: non tamen uno eodemq́ꝫ tempore ex ouis pullos excludit, ſed ex his partim iam in lucem proferuntur, partim intra oua informantur, & conglutinantur, partim etiam fouentur. Cum autem ipſam ſic incubantem uir eius uenationis bene peritus animaduerterit, peracutas ex ferro cuſpides

cuſpides ſpiculorum more rectas circum nidum defigit, & alicubi prope in occulto latens, ex inſidijs rei euentum acerrime expectat. Struthio uero quoniam amore, quem erga fœtus ſuos acerrimum habet, flagrans ſitienter cum eis uerſari cupiat, ex inquiſitione paſtus reuertitur, ac nimirum priuſquam in nidum introeat, huc illuc uerſans oculos, circūſpectat, quòd metuat ne quis ſeſe ſpeculetur. Deinde ardentiſsimo pullorum ſtudio uicta, etſi ferrum ſplendeſcit, ita tamen alis paſsis, tanquam uelis contento fune explicatis, intra nidum mirabiliter ingreditur: nam cuſpidato ferro transfixa, acerba morte afficitur: Venator uero repentinus eò accedit, ſimul cum matre pullos capit.

GYLLII ACCESSIO. De eadē. CAP. XXII.

ETſi Struthiocamelus quandam ſimilitudinem Cameli gerit, tamen inter uolucres numeratur. Non tamen ijſdem inſidijs quibus aliæ aues attentatur, ſed Equis, & Canibus, & uinculis comprehenditur. Ea magnitudine eſt, ut in lato dorſo infantem puerum ferre poſsit. Illius tibiæ proceriſsimæ, & Camelorū ſimiles frequentibus compactæ ſunt ſquammis: excelſum item caput, & paruum: longum etiam collum, & Cyanei coloris: oculi magni: roſtrum breue, acutumq́; : molles plumæ: ungula fiſſa. Cum effugere non quit, intra arbuſta aut umbroſa loca caput abſcondit, quòd ea corporis pars cæteris debilior ſit.

De Cycno. CAP. XXIII.

HOminibus Cycnus præſtat, non modò enim nouit quando ipſe appropinquat ut moriatur, ſed ut placatiſsime & leniſsime mortem ferat, à natura eſt præclariſsimum donum conſecutus: in morte enim nullum acerbi doloris ſenſum ineſſe ſe in optimam ſpem induxit. Homines autem quod neſciunt, id & exhorrent, & ſummum malum exiſtimant. Olori tanta animi eſt tranquillitas in extremo uitæ ſpiritu, ut ſibi tanquam næniam canat. Quod autem non angore atque moleſtia implicatus eum extremum cantum edat, Socrates teſtatur: ſed potius alacri animo affectus. Neque enim qui animo dolorē capit, bilem ducit cantu: Neque modò ad mortem, uerum etiā ad pugnam fortis eſt. Iniuria item non laceſsit, tanquam ſanè moderatus & uir prudens, ſic laceſſenti & inſidianti de animi robore nihil cōcedit. Cæteræ quidem aues cum eo pacem habent, & quaſi fœdere deuinciuntur: ab Aquila uero ſæpe hoſtiliter appetitur, nunquam tamen uincitur, ſed eam prouocantē animi non ſolum robore, ſed iure etiam optimo uincit.

In mari Aphrico, Ariſtoteles ait Olorum gregem ſæpe apparere, & cantum tanquā ex choro quodam conſonāti, ſuauem quidem, at lugubrem, & uelut ad miſericordiam inclinantem à præternauigātibus exaudiri. Fontes, lacus, paludes, aliáue loca aquis redundantia incolere ſolent, ubi earum rerum periti dicunt eos muſicas rationes exercere. Cycnis ſedes & com

mora

morationes ſunt in lacubus, paludibus, ſtagnis, & perennibus fluuijs, quorum confluens moderate & ſedate fertur. Suapte natura pacati ſunt, ad ſenectutemq́; perueniunt non ſibi grauem. Robori quo magno præditi ſunt, confidentiores exiſtunt: non tamen ut inique in cæteras aues dominentur, ſed ut laceſsiti iniurias propulſent: facile Aquilas prouocati uincũt.

De Anſere. CAP. XXIIII.

IN Aegio Achaiæ urbe præſtantem forma puerũ, nomine Amphilocum, ſicut Theophraſtus refert, Anſer amauit. Nam cum in Aegienſi cuſtodia is puer cum perfugis ab Olenio teneretur, ei Anſer dona afferebat. Nihil igitur mirũ in Chio Glaucẽ citharędam homines, cũ ea eſſet pulchritudine eximia, adamaſſe. Siquidẽ ab Ariete, & Anſere etiam eandẽ audio amatam fuiſſe. Anſeres Taurum montẽ transmittẽtes Aquilarũ metu ſinguli mordicus lapidem tenent, ut ne clangorẽ fundant: tanquã enim ſilentij frenos ſibi inijcientes, montem tranſuolant, atq; ſic ſuppreſſa omni clangoris ſignificatione, perſæpe Aquilas fallũt. Quòd autẽ natura calidiſsimi ſunt, idcirco lauationũ cupidiſsimi exiſtunt, etenim natare gaudẽt. Et quemadmodũ cibarijs ſumme humidis, quibus interius refrigerẽtur, delectantur: ſic nec lauri folia, ne ſiquidẽ fame opprimãtur, attingũt: nec roſam laurinã ſua ſponte, nec adhibita uí, edunt. Præclare enim intelligunt, ſiquid tale comederint, ſe uita priuatum iri. Contrà homines nõ modò in cibo & potione, ſed per ſomnũ

inſidijs attentantur: ſexcentiq́; partim uenenata potione perierunt, ut Alexander: partim cibo, ut Claudius, & Britannicus eius filius, ac ueneni ui ſopiti, de lecto non ſurrexerunt.

De beneuolentia Anſeris erga altorem ſuum.
CAP. XXV.

CVm Lycadem peripateticum altorem ſuum Anſer tantopere amaret, ut & cum ipſo ſimul ambularet, & cum ille ſederet, hic quoq; ab ambulãdo quieſceret, & ipſum nunquã relinqueret, eum ipſum Lycades mortuum non minus ambitioſe, quàm aut fratrem aut filium ſepulturæ honore affecit. Anſeres acrius quàm canes ad cuſtodiam aduigilare, Romani planè & explorate perceperunt. Cum enim acerrimum bellum Galli eis intuliſſent, ſimul & ui atq; impreſsione intra urbem irrupiſſent, Romamq́; præter arcem Capitolinam, ad quam difficilis aſcenſus erat, cepiſſent: quam etiam fidei ſuæ permiſſam cuſtodiebat M. Manlius conſul, qui filium ſuum, etſi rebus præclare geſtis, & pugna ſtrennuè pugnata, tamen quòd iniuſſu imperatoris pugnaſſet, morte mulctauit: Eam Galli undiq; ſibi inacceſsam uidentes, & noctem intempeſtã ad inuadendos ex inſidijs arctiſsime dormientes, accommodatã rati, qua non cuſtodiebabatur, ac ſilentium à cuſtodibus erat, non arbitrantibus inde Gallos inuaſuros eſſe, aggrediuntur: ac tum capta arx fuiſſet, niſi anſeres interfuiſſent. Nam Canes obiectum cibum ſilentio edebant. At enim

Anſeres

Anſeres, cum ex eorum natura ſit ad obiecta cibaria clamores tollere, & minime ab ſtrepitu conquieſcere, editis clangoribus, M. Manlium, & circunfuſas cuſtodias è ſomno excitarunt. Ex quo factum eſt, ut nũc iam quotannis Canes ſuæ fraudis pœnas Romanis dent, cum ad memoriam ueteris eorum proditionis. Anſer certis diebus in honore eſt apud Romanos, & magna pompa in foro incedit.

Quemadmodum libertatem in uolando amant Attagenes. CAP. XXVI

ATtagenes aues ferunt ex Lydia in Aegyptum deportatas, & in ſyluam demiſſas, primo Coturnicis uocem miſiſſe: pòſt cum fluminis alluuione cœlum peſtilens factum eſſet, quo multi paſsim mortales perierunt, eiuſmodi aues non intermiſiſſe maiori oris expreſsione, quàm quemuis explanatiſsime linguæ puerum loqui, & dicere, τρὶς τοῖς κακοῖς τὰ κακὰ, id eſt, Ter mala malis. Itemq́ aiunt eas captas neque manſueſcere, neque idcirco amplius priſtinas uoces edere, quòd ſeruitute conticeſcunt, & obmuteſcunt. Quòd ſi ex poteſtate in libertatem uolandi dimittantur, & in ſuas ſedes perueniant, rurſum loqui, pariterq́ cum libertate uocem recipere. Huius Ariſtophanes meminit in comœdia inſcripta auibus: ſuum proprium nomen loquitur & canit.

GYLLII ACCESSIO.

De eadem. CAP. XXVII.

ALexander Myndius dicit Perdice paulo maiorem eſſe Attagenem, eius uerſicoloribus pictum maculis dorſum, figulinæ teſtæ coloris ſpeciem ſimilitudinemq́ꝫ gerere: præterquam quòd magis ruſſum eſt. Quòd autem graui corpore ſit, & breuibus alis, ideo facile comprehenditur: pululeratione gaudet, tum fœcūda eſt, & ſicut Gallinacei grano utitur.

De Gallinaceo. CAP. XXVIII.

GAllinaceum exoriente luna quaſi diuino quodam ſpiritu afflatum bacchari atque exultare ferunt. Oriens autem ſol ipſum nunquam fallit, tum uehementiſsime uocem contendens, ſemet magis magisq́ꝫ cantando uincere conatur. Latonæ in amore eſſe aiunt, & quòd ei affuerit parienti, & quòd etiam nūc pariētibus adſit, & faciles partus efficiant. Matrice Gallina extincta, is ipſe incubat, & pullos ex ouis excludit, ac tum ſilentio utitur, quòd ſane ſibi conſcius ſit ſe muliebre munus obire, & parum uiriliter facere. Ac ſi cum altero pugnans uincatur, idcirco nō canit, quòd ex illa mala pugna ſpiritus fracti illi uocem ſupprimant. Cuius offenſionis uerecundia confuſus, in primam quanq́ꝫ latebram ſeſe occultat: Is autem qui ex certamine uictoriam reportarit, tum oculorum eminentia, tum ceruice erecta ſimul & cantus contentione inſolenter effertur, & triumphanti ſimilis eſt. Illud item in eo mirificum, cum limen intrat, tametſi ſuperum altiſsimum exiſtit, is tamen ſeſe inclinat; quod quidem ipſum ſuperbia inductus facere

cere uidetur, ne uidelicet criſta uſpiam offendatur. In locis ubi cœli ſtatus uuidus eſt, Gallos non cantare Theophraſtus inquit. Si fœminarum facultas non ſit, omnes ſubigunt in cohortem ſuam recentem ue- nientem. Leo ab eo magno timore afficitur: eodem timore eſt Baſiliſcus, cum enim eum uidet, tremit ani- mo: cumq; eundem audit canentem, terrore concuſ- ſus, propemodum emoritur. Quam rem non igno- rantes qui per Africam iter faciunt, Gallum itineris comitem ſibi adiungunt, qui eos à tam peſtilenti ma- lo Baſiliſci prohibeat.

De Gallo qui uini miniſtrum amauit: itemq; de Graculo & Apibus. CAP. XXIX.

PHilon dicit, eum qui Nicomedi Bithyniæ regi po cula adminiſtraret, à Gallinaceo adamatũ fuiſſe: tum Graculo formoſum puerum in amore fuiſſe: tum etiam Apes amatorio affectu flagrare: ob eamq; cau ſam à pungendis hominibus quos amant, aculeos ſuſtinere.

De Gallinaceis Indicis. CAP. XXX.

IN In dia Gallinacei naſcuntur maximi: nõ rubram habẽt criſtam ut noſtri, ſed ita uariam & floridam, quemadmodum coronam ex floribus contextam. Pennas poſteriores non inflexas habent, neque in orbem reuolutas, ſed latas, quas cum non erigunt, ut Pauones trahunt; eorum pennæ ſmaragdi colo- rem gerunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Gallinaceorum certamine. CAP. XXXI.

ATheníenſes poſt uictoriam eius belli, quod cum Perſis geſſerunt, legem conſtituerunt, quotannis ut certo die Galli in theatro publice certarēt: unde uero initium lex duxerit, dicam. Contra Barbaros cum Themiſtocles exercitum duceret, & Gallos non ignauiter pugnantes animaduertiſſet, exercitum confirmauit, his uerbis ad milites uſus: At hi neque pro patria, neque pro penatibus, neque pro ſepulchris maiorum, atque libertate, neque pro pueris mala ſuſtinent: ſed ut ne uincantur, neuter cedit alteri. Quæ cum dixiſſet, Athenienſibus animum auxit. Itaque id factum, quod eis fuiſſet ſignificatio ad uirtutem, ad ſimilium factorum monumentum ſeruari uoluerunt.

Theophraſtus ſcribit, ex Gallinaceis libidinoſiores domeſticis agreſteis eſſe, itemq; mares ſtatim à cubili uelle coire, fœminas autem magis procedēte die.

GYLLII ACCESSIO.

De Gallo peregrino. CAP. XXXII.

IS quem ex nouo orbe deportatum uidi, eadem eſt qua Pauo colli proceritate, quod ipſum ſimul cum capite à plumis omnino nudum eſt: tantum purpuraſcente pelle obducitur, & tam ualde craſſum eſt, ut pellem quæ antea laxa & uacua ſpectabatur, cum uocem mittit, ſic contendat & inflet, ut ad brachij craſſitudinem accedat. Vox cum fragore per collum longe lateq; uagans redditur, ut liquorem in dolium infuſum

ſuſum diceres ſtrepere : in ſua tamen uoce quiddam gallinaceum recinit. Eius capitis uertex colore partim albo, partim cæruleo, partim purpureo diſtinctus: criſta caret: quædam rubra appendicula carnea ex eius ſummo roſtro per ſuperiorem roſtri accliuitatem, tantopere eminet, ut digiti longitudine inferius dependeat, quàm roſtrum ipſum, quod quidem ipſum ea ſuperintegitur, ut hoc niſi è tranſuerſo uideri non queat. Hanc quidem appendiculam cum paſtum capeſsit contrahit, ut quæ antea digito longior, quàm roſtrum propendebat, modò contracta ad roſtri longitudinem non accedat. Huius plumæ tum Accipitris ſpeciem ſimilitudinemq́ue gerunt, tum extremæ albæ uiſuntur: cruribus eſt proceriſsimis, eiuſdemq́ue ungues ſimiliter ut noſtratium aduncitatem habent, & diſtinctionem. Illius quem uidi corpus & rotundum erat, & Pauonis excelſitatem ſuperabat : oculorum ambitus cæruleo & purpureo colore effloreſcebat, & perinde ut Accipitres acri atque acuto uiſendi ſenſu uigebat. Cum quiſpiam ad gallinam appropinquat, totus inhorreſcit, plumis & gradu ſuperbo exterrere accedentes conatur : gallina illius alba erat, & Pauonem cum plumas caudæ amiſit, referebat.

GYLLII ACCESSIO.

De Gallina. CAP. XXXIII.

GAllina ardet ſtudio & amore pullorum: primum enim ut Circũ auem rapacẽ ſupra tectum gyros

agere cognoſcit, ſtatim uehementer uociferatur, & cer uicem iactans, atq; in gyrum contorquens, caput in altum tollit, ac omnibus plumis inhorreſcit, tum explicatis alis timidos pullos, & ſub alato tegmine pipientes protegit, auemq; procacem retrocedere cogit: Deinde eos ex latibulo plumeo prodeuntes ſtudioſe paſcit. Tantum nimirũ erga filios amorem, non modò in hominũ, uerum etiam in ſerpentiũ, atq; immanium ferarũ corda inſeruit deus, ut uipera uiſa fuerit, quos peperiſſet, lingua lambere, & tanq; expolire: ut prudẽter dictum ſit, procreationẽ ſuam tam charã omnibus animalibus quàm animam eſſe. Gallinæ item, auesq; reliquæ, ſicut Cicero ait, & quietũ requirunt ad pariendũ locum, & cubilia ſibi nidosq; conſtruũt, eosq; quàm poſſunt molliſsime ſubſternũt, ut quàm facilime oua ſeruẽtur: è quibus pullos cũ excluſerũt, ita tuentur, ut & pennis foueãt, ne frigore lædantur, & ſi eſt calor à ſole, ſe opponãt. Cum autem pulli pennulis uti poſſunt, tum uolatus eorũ matres proſequũtur. Contra homines ſæpe non modò alũt, ſed etiã cũ plurimos liberos ſuſceperunt, ut ne multiplicentur, eos de medio tollunt, ac nimirũ cũ matribus etiã uenereo complexu iungũtur. Quod ſanè ut uel ipſis beluis ſceleſtum ac nefariũ facinus putatur: ita Cyro & Paryſatidi Perſæ pulchrũ & legitimũ uidebatur: nam Cyrus matrem nefariè & turpiter amauit, & uiciſsim ab ea impie redamabatur.

De Pauone. CAP. XXXIIII.

Non

NOn modò Pauo ſe non ignorat ex auibus for-moſiſsimum eſſe, uerum etiam ubi formæ ſita ſit pulchritudo, præclare tenet, atque ea elatus & ceruicu-lam iactat, & ex pennis, quæ ei non mediocre orna-mentū afferunt, maximos ſpiritus ſumit: his enim ſpe-ctatoribus metū inijcit, & æſtiuo tempore natiuū & non accerſitū habet tegmentū. Quòd ſi quem uelit exterrere, pennas primū explicat, deinde ad inijcien-dum terrorem his concrepat, capitiſq; elatione, ac ſu-perbo ſupercilio uelut triplicem criſtam iactat. Cum refrigeratio ei neceſſaria eſt, tum paſsis pennis & in anteriorē partem reflexis, ex ſeſe corpus ſuum opa-cans, caloris uim frangit, & propulſat. Si retro atque à tergo uentus flat, alas paulatim pandit, atque uentus interſpirans auras & molles & ſuaues ei afflat, unde is refrigeratur. Quòd ſi laudatur tanquam formoſus puer aut mulier pulchra, corporis præſtantiam belle oſtentat, ſic is ipſe pennas ornatè & ordine erigit, ut uel florido prato, uel uariæ picturæ ſimilis eſſe ui-deatur. Ac uero ante pictorum oculos ſe ad imitan-dum exponens, abunde ſui pingendi poteſtatē facit, & ſpectatorem conſpectu ſuo expleri facile patitur: Et quaquauerſus conchatam caudam intorquens, & gemmatiorem & uariam magis quàm ſint Medo-rum Perſarúmue ueſtes, ſuam ſtolam ambitioſe ad-modum & elate oſtentat. Ex Barbaris ad Græcos ex-portatus eſſe dicitur. Primum autem longo tempo-ris interuallo rarus, deinde ſtudioſis elegantiæ & pul

christudinis pretio ſpectatus fuit Athenis, & uiros & mulieres admittentes ad huiuſmodi ſpectaculũ, ex eo quæſtum fecerunt: atq;, ut in oratione contra Eraſiſtratum Antiphon inquit, marem & fœminam mille drachmis æſtimarunt. Hortenſius homo Romanus cœnam primus Romæ ſacerdotij adijcialem cum Pauone dedit. Alexander Macedo eiuſmodi aues apud Indos uidens, earum admiratione commotus, in eos qui has occiderent, grauem pœnam conſtituit. Id Pauonis proprium, etiam notione dignum eſt: quòd treis annos incipit ex ſeſe parere, & uarios colores fundere: non continenter quidem, ſed duorum dierum interuallo ouis incubat, & ſimul ſic irrita & uana quemadmodum cætere aues oua parit. In India omnium maximi qui ubiq; ſunt, Pauones naſcũtur.

De Porphyrione aue. CAP. XXXV.

PORphyrio animalibus excellit, & formæ pulchritudine, & nominis cõuenientia: ex puluerulentis uolationibus inſatiabili gaudio cõpletur: in locis ubi columbarũ lauatio eſſe ſolet, lauatur, nec prius tamẽ ſe uel in puluerem uel lauationem dat, quàm in ambulationem ueniens, certa ſpatia confecerit: cum paſcitur, ſe teſtes ſui prandij habere dolet: itaq; ſecedit, & latens in occulto comedit: acerrima riualitate ardet, & mulieres quæ ſunt ſine uiro obſeruat: ſi cum matreſfamiliâs ſtuprum fieri cognouerit, ſe ſtrangulat. Volans non ſublime fertur. Quòd autem ex eo ipſo

eo ipſo homines magnam lætitiam, uoluptatemq́ue capiunt, ideo circa ipſius curam cibariorum perſpiciunt, diligenterq́ue illum alunt. In magnificis ſplendidisq́ue domibus Porphyrio ludicra delectatio eſt, quarum intra clauſtra ſacer & ſolutus errat. Pauonem, ut formoſus ſit, luxurioſe tamen uiuentes homines comedunt: cuius pennæ magnum quidem ornamentum habent, ſed is ſine corpore exiſtit. Porphyrionem cibi gratia in cœnis appoſuiſſe hominem ſcio neminem, nec Calliam, nec Cteſippum uiros Athenienſes, nec Hortenſium Romanum, quos è multis lurconibus paucos mihi commemoraſſe ſatis fuerit.

De amore Porphyrionis erga ſuos contubernales.
CAP. XXXVI.

Porphyrio præterquam quòd & riualis eſt, & obtrectator, ea ſanè etiam naturæ indole præditus eſt, ut eorum, quibuſcum uſu coniunctus eſt, amantiſsimus eſſe dicatur: eum ipſum & Gallum in eodem uerſari domicilio percepi, eaſdemq́ue ambulationes & æqualia ſpacia conficere ſolere, eiſdem ueſci cibis, communiter puluerulentis uti uolutionibus, mirificumq́ue ex his rebus amorem inter ſe mutuum contraxiſſe. At enim cum utriuſq́ue dominus feſto quodam die cum ſodalibus, ut epulare ſacrificium faceret, Gallum occidiſſet, Porphyrio conuictore priuatus, tantum doloris accepit, ſibi ut inedia mortem conſciſceret.

De libidine Perdicum. CAP. XXXVII.

EX auibus Perdices, quòd ad libidinem ueneris inflammatiſsimi ſunt, idcirco cum fœminis aſsi- due uerſantur. Homines autem qui Perdices ad cer- tamen alunt, cum eos ad pugnam inter ſe incitare uo- lunt, ſuam cuiq; uxorem præſentem eſſe curant: hac enim machinationis commentatione Perdicum timi- ditas repellitur, & mala pugna uitatur: nam male pu gnando uictus nunquam in conſpectum, nec ad ama tam, nec ad coniugem audet uenire, ac potius morte occumbit, quàm commiſſam pugnam non ſumma contentione pugnatam amica uideat: quocirca ne- quid à ſe turpe commiſſum illa uideat, atq; ut amicæ ſuæ probetur, omnes neruos contendit. Tale quid- dam Cretenſes de duobus amantibus prædicant: Sic enim audio amatorem Cretenſem cum alijs rebus præſtantem, tum bellicis ſtrennuum, habuiſſe amato- rium hominem peradoleſcentem ſumma indole uir- tutis, liberali forma, uirili animo, quod clariſsime eius illud pulcherrimum factum oſtendit: eum ipſum ali- quando in pugna uerſantem, hoſtium frequenti co- horte toto impetu in eum irruente, ad humi ſtrati ca- daueris offenſionem allapſum fuiſſe, quod illi egre- gie ad nobilitandam eius uirtutem cecidiſſe, Creten- ſes aiunt: nam cum hoſtium proximus quiſpiam gla dio ſtricto plagam ei auerſam illaturus eſſet, retro ad hoſtem uerſus intuens, nequaquam inquit turpe, & imbelle uulnus poſticæ parti imponas, at aduerſo po tius pectori infligas, cum ut ne timiditatis me meus

amator

amator condemnet, tum ne me turpitudinis notis inuſtum aſpiciat. At uero hominem rationis participem in ſe turpe facinus admittere uereri, non admodum mirabile uideri debet: at Perdicem rationis expertem turpitudinis uerecundiam retinere pergraue donum naturæ uidetur. Eudemus cum ſeſe in fugam dediſſet, & Cleonymus cum clypeum abieciſſet, timoreq; lapſus eſſet Pyſander, non ueriti ſunt neque patrias, nec uxores, nec filios ſe habere teſtes timiditatis ſuæ.

GYLLII ACCESSIO.

De Perdicum libidine. CAP. XXXVIII.

CLearchus ſcribit Perdices, & Paſſeres Caturnices non modò cum uidēt fœminas, ſemen emittere, ſed etiam cum earum uocem audiunt; cauſam eſſe in animo impreſsionem, quod ipſum coitus tempore cognoſces, ſi contra eos ſpeculum poſueris; Nam ad imaginem ſuam, quæ inaniter in ſpeculo repræſentatur accurrentes, ſemen emittunt: eos uocat Caccabas Alcmenes, qui genus cantiunculæ compoſuit Caccabidum, profitens ſe id à Perdicibus cantare didiciſſe. Itaq; Chamæleon Ponticus dicit antiquos muſicam excogitaſſe ex auibus in ſolitudine cantantibus. Non omnes tamen Perdices caccabant. Theophraſtus in eo opere quod conſcripſit de uaria uoce eiuſdem generis, Athenis inquit eos caccabare, ulterius autem πιτυβίζειν. Menecles primo libro dicit, Pygmeos cum Perdicibus & Gruibus belligerari. In Italia Perdicum

genus infirmo uolatu utitur,& tenui habitu eſt. Cirrhei Perdices carnem minime eſculentam habent. Bœotiæ Perdices propter paſtiones aut nõ tranſeunt in Atticam, aut ſi tranſmittunt, uocem mutant, & caccabant. Pariunt ex ſeſe ſæpe quindecim aut ſexdecim oua.

De Perdicum partu. CAP. XXXIX.

PErdicum fœtus intra ouum etiam nunc circumplicatione teſtarum comprehenſi, à parentibus ſui excluſionem ex ouis minime expectant, ſed per ſe ipſi tanquam fores pulſantes, oua elidunt, & iam foras eminentes ſeipſos impulſu ſuo impellunt, ouicꝫ etiam nunc tegumento circumueſtiti, currunt, atque ex dimidia teſtæ parte,ſi adhuc tergo adhæreſcat, ſemet expellentes, uelociſsime ad cibi inquiſitionem proſiliunt, ac poſtquam pedes extra oui teſtam poſuerunt, ſtatim curſu maxime ualent,ut Anaticularum pulli, primum ut lucem aſpiciunt, continuo à partu natant.

De aſtutia Perdicum. CAP. XL.

EX Perdicibus qui uocis contentione & cantu ualent,& linguæ facultati confidunt,quicꝫ pugnaces & ad certamen habiles ſunt,ſe minime dignos credunt,qui ad extruendas menſas capiantur: unde fit, quia minus contra uenatores de ſua libertate depugnent,ut comprehendãtur, ſibi præfidentes, quod à cæde ſtudioſe ad cantus & certamina ſeruabuntur. Reliqui autem Perdices, & potiſsimum qui nuncupantur

pantur Cirrhei, ſibi conſcij, quòd nec ad certamina ualent, neque pulchre cantare ſciunt, qui ſi capiantur, erunt his prandium qui cæperint: itaque naturali quadam machinationis commentatione ſeipſos macie conficiunt: nimirum cum ab omni alia eſca, quæ ad pinguitudinem eos perducere queat, ſe ſua ſponte abſtinent, tum ut ne idonei ſint ad hominum menſas, cupide alijs ueſcantur: cuius rei experientes, his præteritis, aliò uenationem conuertunt. Qui uero hoc ipſum ignorant, eos uel ſi facultas ſit non capiunt, quicunque autem ipſos captos decoxerit, eorumq́ insuaues carnes expertus fuerit, ſe iam & tempus & operam cognoſcit in his uenandis perdidiſſe.

De Perdice uenatore. CAP. XLI.

PErdices recenti aduentu nouum & nondum cicurem eodem modo ineunt, ijdemq́ ſuos altores remunerantur, feros enim & non captos comprehendunt. Producitur & Perdix uenator in capturam, ad illiciendos feros, ante retia propoſitus, cantum edit eos laceſſentem ad pugnam, eoſdemq́ ut ex inſidijs in laqueos inſerat incitantem, contrà cantans: ſylueſtrium dux ſuum gregem præcurrens, obuiam procedit, cum hoc luctaturus: cicur autem per malitiam ſemper inſidias inſtruens, pedem refert, ſe timere ſimulans: alter uero ſpe atque animo inflatus, ſimul & ſibi iam uictoriam deſpondens, impetum facit, ſed mox captiuus compage tenetur.

Quòd ſi uenator Perdix, qui ad illecebras uenatorio inſtrumento aſsidet, mas ſit, cæteri gregales ei ipſi captiuo opem ferre conantur: ſin qui poſitus eſt in inſidijs fœmina eſt, captiuum ipſum omnes feriunt, ut qui libidine incenſus, in ſeruitutem ceciderit. Nec uero illud prætereundum, quando etiam auditu dignum eſt, ſi pugnans ſit fœmina ne mas incidat fœminæ quæ ſunt extrà illum ex caſu in compagem propinquo ſeruant ſuo cantu tanquam amatorio quodam retractum.

Quemadmodum ſuos fœtus tuentur Perdices.
CAP. XLII.

PErdices cum ſunt uicinæ ad pariendum, aream molliter puluere ſubſternunt, atque fruticibus & ſurculis circumſepiunt. Contextus areæ cauus eſt, & ad incubandum accommodatus, cum enim puluerem infixerunt, & molle quiddam uelut cubile effecerunt, in idipſum ingrediuntur, poſt ſeſe deſuper fruticum inuolucris occultantes, contra auium rapacitatem, hominumq́ꝫ inſidias in multa pace incubāt: non uni loco oua committunt, ſed quaſi migrantes ea in alium locum important, in magno enim timore ſunt, nequando deprehendantur ſi in eodem loco diu commorentur. Itaque alio loco nidificantes, rurſus pullos etiam nunc teneros inuehunt, fouentq́ꝫ, & ſuis alis tepefaciunt, pennisq́ꝫ tanquam faſciolis quibuſdam inuoluunt; non eos quidem lauant, ſed puluere

puluere reſpergentes nitidos efficiunt. Si quem Perdix ingredientem ſibiq́ insidias & ſuis molientem conſpexerit, ad illius pedes ſe prouoluens, ſpem oſtendit, ſic abiectum ſe capi poſſe, tum quidem auceps inclinat ſe, atque in prædam, quam ſe putat habere in manibus, incumbit: ille uero ſeſe conuoluens, pedetentim elabitur, cumq́ illum à nido auertit, ac abduxit, ſeq́ uanum illius laborem eluſiſſe ſentit, magna iam fiducia uenatorem oſcitabundū relinquens, euolat, atque ab inſidijs tuta, pullos appellat: hi maternam uocem agnoſcentes, eò aduolant. Cum ex ſeſe oua pariturus eſt, occulte latens uſpiam maritum fallere conatur, ne eius oua frangat, qui eo ille uſque libidinis inſania flagrat, ut matrem alendis liberis operam nauare non permittat, adeo Perdicum genus libidine furit, ut cum fœminæ incubaturæ ipſos reliquerint, mares animo inflammato concupiſcentes res uenereas, uehementer inter ſe ira incendantur, mutuaq́ uerberatione acerbiſsime affligantur, uictusq́ fœminarum uice uenerem patiatur, turpiq́ libidine uſque quaſi pædicetur, quoad ipſe quoque uictor alterius eandem flagitioſam libidinem in uictum exerceat. Perdices aiunt, & Ciconias, & Palumbos uulneri accepto origanum imponentes, ad ſanitatem redire, neque hominum ulla medicina uti habere neceſſe. Septem diebus nidum contexunt, ſeptem conſumunt in pariendo, ſeptem pullos nutricantur.

De Perdicum uaria uoce. CAP. XLIII.

PErdicum alij caccabant, alij ſtrident, nec eadem ubique uox eſt, ſed uaria,& multiplex: alia Athenis, alia alibi: harum uariarum uocum quæ ſint nomina, Theophraſtus explicat. In Bœotia & Eubœa idem ſonant, ac (ut ſic dicam) eiuſdem ſunt linguæ.

GYLLII ACCESSIO.

De Perdicum & Damarum amicitia.

CAP. XLIIII.

CVm Damis Perdices amicitia coniunguntur, & conſuetudine deuinciuntur, & tanquam contubernales ſunt. Etenim utrique prope alteros cubant, & ſimul paſcuntur, quorum coitio etſi amore inſtituta, utriſque tamen perniciem affert, & breui ſocietate triſtique amicitia fruuntur. Nam ad uenationem callidi homines Perdices Damis ad fraudem ponunt, ac rurſus eodem modo Damas Perdicibus.

GYLLII ACCESSIO.

De Perdicum magnitudine. CAP. XLV.

ONeſicritus Perdices conſcripſit in India Anſerum magnitudine eſſe. Nicolaus Damaſcenus ſe Antiochiæ Indorum legatos, qui ad Cæſarem Auguſtum ueniſſent, ait uidiſſe, ab iiſque munera donata fuiſſe Viperas inuſitata magnitudine, fluuiatilẽ trium cubitorum Teſtudinem, Perdicem uulture maiorem,

Gillij

GYLLII ACCESSIO.

De alia Perdicum aſtutia, & de amore erga pullos.

CAP. XLVI.

PErdices docent pullos cum nondum fugere poſſunt, ut inſectantibus preſsi ſe ſupinos in terram abijciant, ut etiam gleba pedibus apprehenſa aut feſtucis ſuum corpus ad uenatorem inſidias tegant, ipſi autem eos qui ſe inſequuntur, aliò ſeducunt, & detrahunt: tum uenatoribus ob oculos uerſantes, tandiu ſui capiendi ſpem oſtendunt, quoad à nidis longe eos abduxerunt.

FINIS LIBRI XIIII.

LIBER DECIMVS QVINTVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

De Syroperdice Phrygio. CAP. I.

SYROPERDIX in Antiochia Piſidiæ lapides exeſt, & conficit: Perdice minor eſt, niger item eſt, excepto roſtro, quod ruffum ſpectatur: non manſueſcit, ſed ſemper perſeuerat ferus eſſe: eius carnes & denſiores ſunt quàm cæterorum, & ſuauiorem cibi uſum præſtant.

GYLLII ACCESSIO.

De Coturnice. CAP. II.

ALexander Myndius, ſecundo libro de animalibus, Coturnicem inquit fœminam graciliore collo quàm marem eſſe, neqꝫ nigras parteis ſub mentum ſubiectas poſsidere, ingluuiem non magnam ſpectari, cor & magnum & tricuſpidatum habere. De eorum procreatione Phanodemus ſecundo Atthidos ſcribit inſulam Delum ab Achæis idcirco Ortygiam nuncupatam, quòd eiuſmodi uolucres gregatim ex mari proficiſcuntur in hanc inſulam portuoſam. Eudoxus Cnidius, primo libro de circuitu terrę, Phœnices dicit Herculi Coturnices propterea ſacrificare ſolitos fuiſſe, quòd Hercules ex Aſteria & Ioue natus

natus, in Libyam profectus, à Typhone interfectus reuixit, cum olfeciſſet Coturnicem quem Iolaus attuliſſet: nam eo animali cum uiuebat delectabatur. Coturnicum matricem Alexander Myndius ait eſſe magnitudine Turturis, cruribus longis, tum eandem timidam eſſe. Clearchus Soleus, in eo opere quod inſcripſit de dictis mathematicis in Rep. Platonis, Coturnices dicit ſi coitus tempore ſpeculum ipſis aduerſum, & ante hoc ipſum tenticularum inſidias poſuerint, accurrentes ad Coturnicem in ſpeculo apparentem, in laqueos inſeruntur.

De Ciconijs. CAP. III.

Ciconiæ ouis ſuis perniciem molientes, Veſpertiliones ſapientiſsime uindicant. Cum hæ itaque ſolo ſuo contactu oua ipſa ſterilia efficiant, hoc remedio utuntur Ciconiæ: Platani folia in nidos ſuos inferunt, ad quæ accedentes Veſpertiliones, torpore comprehenſæ, perniciem afferre non queunt. Hirundinibus hoc idem natura largita eſt, nam cum blattæ earum ouis pernitioſæ ſint, matres apij folia ante pullos proijciunt, ob idque ab illis ad pullos acceſſus fieri nequit. In Polypos ſi quis rutam inijciat, immobiles manere in ſermonem hominum uenit. Serpentem ſi arundine contingas, à prima plaga nõ ſe commouet, torporeque conſtricta quieſcit: ſin iterum ac tertio plagam inflixeris, colligit ac confirmat ſeſe. Murena quę plagam unam accepit, torpeſcens perſtat: ſin plures inferas, funditus ira incẽditur. Piſcatores dicunt Po-

mm 4 lypum

lypum in terram progredi ad oliuæ germen in littore poſitum.

De Ciconijs, & Herodijs, & Pelecanis. CAP. IIII.

MAgna cura Ciconiæ exacta ętate parentes alũt, etſi humanis hoc facere legibus nullis iubentur, ſed ſola bonitate naturæ ad id impellantur: ijdem parentes amanter ſuos fœtus curare dicuntur. Cuius rei hoc teſtimonium eſt, quòd pullos qui per ætatem è nido nondum euolare queunt, cum aliunde ad eos alendos cibum comparare nequeunt, eſculenta quæ prius ederant, euomunt, atque in educandos fœtus conuertunt, & ad uolandum pullis imperitis duces ſunt. Herodios & Pelecanos ſimiliter facere audio, pariterq́ue Ciconias cum Gruibus iniurias frigoris fugientes, mutatione cœli ſolum uertere, ac rurſus hyberno tempore exacto, ad patriam ſedem remigrantes, cum illas, tum has, ſicut homines domum, probe nidos ſuos recognoſcere. Alexander Myndius Ciconias ſcribit exacta ætate decurſaq́ue circum Oceanitidas inſulas uolantes, hoc pręmium pro pietate, quam geſſerint aduerſus parentes, aſſequi, ut ex auibus conuertantur in homines: quod exiſtimo confictum, ob pietatem, & ſanctitatem hominum illarũ inſularum.

De Ciconia quæ beneficij accepti Tarentinæ mulieri gratiam retulit. CAP. V.

GRatiam accepti beneficij memoriam ipſæ etiam beſtiæ retinent. Tarentina mulier, nomine Heracleis

cleis,& cæteris in rebus ex maxime raro fœminarum genere fuit,& uero ab omni ſtupro integrã caſtamq; ſe marito conſeruauit: quippe quæ ut uiuentem eum ſtudioſe & diligenter coluiſſet, ſic poſteaquam è uita exceſsiſſet, ſe fidiſsimã & ab omni libidine continentem humato cõiugi præſtans, urbanas commorationes, & domum, in qua mortuum uidiſſet maritum, adeo male odit, ut præ merore ad ſepulchri monumentum, ubi ſepultura affectus ille eſſet, miſerrime commoraretur. Hæc igitur fœmina cum æſtiuo anni tempore Ciconijs pullorum ſuorum uolatum experientibus, unus & infirmiſsima ætate, & alarum debilitate delapſus, alterum crus fregiſſet, eiuſmodi caſum intuita, ſe cognito morbo, miſericordem pullo præbuit, nam & uulnus obligauit, & medicamentis & cibo potioneq; adhibitis cicatricem obduxit, & ad incolumitatem perduxit, atq; iam ad uolatum confirmatum, è manibus dimiſit. Hic admirabili quadã naturæ intelligentia non ignorans ſe conſeruatæ uitæ præmium mulieri debere, anno pòſt cum ad uernum ſolem fortè apricantẽ eam, quæ ſibi benigne fecerat, perſpexiſſet, demiſſo atq; humili uolatu proxime ad ipſam profecta, in eius ſinum lapidẽ euomuit, deinde in tecto ſubſedit. Cuius facti admiratione cõmota Heracleis, dubitabat quid iſtuc eſſet. Cum igitur lapidẽ intus alicubi depoſuiſſet, nocte inſequenti ſomno ſoluta, eum fulgere, & radiatã domum tanq; immiſsis facibus ex eo ſplendere perſpexit; ubi uero Ciconiam

nn compre

comprehẽdiſſet,& uulneris cicatricẽ percepiſſet, hanc agnouit eam eſſe quã miſeratione cõmota curauiſſet.

Quemadmodum Ciconia obtrectatrix eſt.

CAP. VI.

DE Porphyrionis & Canis riualitate,& obtrectatione ſuprà mentionem feci: nunc de Ciconia agam,ea enim etiã riuali inuidia laborare fertur; Nam cum in Crannone Theſſaliæ eximia forma mulier, cui nomen eſſet Alcinoë, à coniuge peregre profecto domi relicta, ſtupri conſuetudinẽ cum ſeruo quodã feciſſet, hoc quidem ipſum Ciconia intelligens, ſeruiles iniurias in dominũ nõ ſuſtinuit, quominus quàm mox facto impetu eum ſenſu oculorum orbans, iniuriam in dominum illatam ulciſceretur.

De Cuculo. CAP. VII.

COccix ſapiens eſt,nam cum ei pullos excludẽdi facultas non ſit, tamen machinatio quædã data eſt,atq; ſolertia ad hanc rem utendi aliena opera. Etenim cum ſibi conſcius ſit ſe neq; incubare, neque ex ouis pullos excludere poſſe,ob frigidã corporis conſtitutionem,nec nidum ad pariendum conſtruit, nec paruulos fœtus alit,ſed ubi animaduerterit, quando aues ex nido ſuo abſint,eò profectus, in alieno domicilio parit: non tamen in cuiuslibet auis nido, ſed Alaudæ & Luteolæ, quòd non ignoret, ab ĳs oua ſuis perſimilia pari ſolere:ſi autem illarũ nidos ouorum inanes & uacuos repererit, non eò diuertit, ſed in eos ubi intus oua ſint,atq; ad ea ipſa admiſcet ſua,

ſi autem

ſi autem illarũ oua complura offenderit, ex ijs quædam perdit, ac in eorum locum ſua ſupponit, quæ non ab illarum ouis internoſci poſſunt, ob ſimilitudinem. Iam uero aues quas dixi aliena oua excludũt, pulli uero Cuculi cum ætate procedenti ad uolatum firmi paululum exiſtunt, ſibi conſcij ſe eſſe illegitimos fœtus, ad parentẽ ſuum euolant, iam ſuccreſcentibus pennis alieni deprehendũtur, atq; acerrime uerberantur. Ab ineunte uere ad caniculæ ortum apparent, pôſt rariſsime cernuntur.

De Gruibus. CAP. VIII.

CVm Thraciam Grues relinquunt, defugiendo iniurias frigoris, frequentes congregantur in Ebrum fluuium, lapidemq; pro ſe quęq; deuorat, ut & unde prandere poſsit habeat, & aduerſus incurſiones uentorum firmamentũ aſſequatur. In Nilum hyberni illic uictus deſiderio incenſæ, cum proximum eſt, è Thracia ut ſemigrari ingrediãtur, ultráq; progrediãtur. Grus quæ eſt extremo tempore ætatis affecta, ter circum uniuerſum gregem uolans, diſcedit, ſupremumq; uitæ diem conficit, quam primo ſepultura reliquæ afficiunt, rectà deinde in Aegyptum iter faciunt: neq; immenſa pelagi ſpatia alarum robore tranſmittẽtes uſquam interquieſcunt. Aegyptios ſementem facientes offendunt, & menſæ (ut ita dicam) in armis ciborũ redundantia extructæ interueniunt, ac tametſi minus inuitatæ, hoſpitalis tamen menſæ iure fruuntur.

De Gruibus Thraciæ. CAP. IX.

GRues in Thracia naſcuntur, ubi hyems ſolet eſſe atrox, & tēpeſtas perfrigida, idcircoq́ꝫ eā, quòd ibi ortæ ſint, amore proſequūtur, in qua æſtiuo tempore patriæ ſedis ſtudio captę, ætatem ducūt: medio autumno ſalutis ergò, frigoris uim non ſuſtinentes, tanquam terræ ambitum, cœli mutationem temporumq́ꝫ uarietatem ſcientia & cognitione comprehenderint, frequentes in Aegyptum, Libyam, ac Aethiopiam proficiſcuntur. Cum illic hybernum tempus traduxerint, lætiſsimiq́ꝫ dies ac tranquilli illuceſcere cœperint, retro ad Thraciam uerſus gradiuntur. Itineris iam experientes duces ad uolatum conſtituūt, eas natu grandiores uero proximum eſt ad regendum extremum agmen deligunt, minores natu mediæ ſunt. Secundos uentos & retro flantes obſeruari norunt: trianguli figuram efficiunt, ut hac forma facilius aëra aduerſum ſecent; ex triquetra figura ſexangulam aliquando edunt, atque more regis Perſarum æſtiua ac hyberna conficiunt, cuius homines admirabilem ſapientiam ad deprehendendam cœli commoditatem exiſtimant, illiusq́ꝫ ultro citroq́ꝫ Suſis migrationes ad Batana peruagatas prędicāt. Cum ſeſe ab Aquila impeti perſpiciūt, in orbem cōſiſtunt, & cōtractæ in ſinum, falcatæq́ꝫ exiſtunt, atqꝫ ordinatim tanq́ꝫ in aciem ſtructæ, ſpeciē pugnæ oſtendunt: quare Aquila regreditur, eæ autē ad tergum peruolantiū collis & capitibus adnitētes, nonnullā requietē

labo

laborioſi uolatus capiunt. Itaque laborem facilem efficiunt. In longiſsimis terræ tractibus noctu reliquæ omnes ſomnum capiunt, tres aut quatuor ad reliquarum cuſtodiam aduigilant: et ne ſomno opprimantur, cum operoſo labore ac moleſto ſtant, nẽpe lapillum ſumma cautione ſublimi pede continent, ut ſi quando ſomnus obrepſerit, edito ſtrepitu ex lapilli caſu, expergiſcuntur. Lapis quem deuorant, ut eo tanquam ſaburra firmentur uolantes, auri index eſt: quem poſtquam eò ubi habitant ſe applicauerunt reuomũt. Eas nauta cum uidet gyros agere, ſubindeq́ reuolutare in medio maris intelligit, contrarijs uentis impellentibus illas, ab itinere inſtituto abſiſtere, auium diſcipulus factus, ad portum renauigat, et nauem incolumem ſeruat. Earum gubernandi rationem hominibus regendi Reſp. doctrinam dediſſe ferunt. Earum clangores pluuias accerſere fama eſt, earundemq́ cerebrum quippiam amatorium habet, utile ad conciliandam mulierum gratiam, ſi modò bene animaduerterunt, qui hæc primi obſeruarunt.

GYLLII ACCESSIO. De eadem CAP. X.

CVm uehementi uento cœlum infeſtum eſt, non quemadmodum cum ſunt bonæ tempeſtates fal catæ, ſed triquetræ uolant, neue circunflante uento, ordo conturbetur, neue etiam funditus de ſuſcepto itinere depellantur. Grues, ſicut Cicero ait, cum loca calidiora petentes maria tranſmittunt, trianguli,

formam efficere: eius autem ſummo angulo aër ab ijs aduerſus pellitur. Deinde ſenſim ab utroq; latere tanquam remis,ita pennis curſus auium leuatur: baſis autem triãguli quam efficiunt Grues, ea tanquam à puppi uentis adiuuatur, eæq; in tergo præuolantium colla & capita reponunt: quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet ubi nitatur, reuolat,ut ipſe quoq; quieſcat: in eius locum ſuccedit ex conſequentibus; eaq; uiciſsitudo in omni curſu conſeruatur.

GYLLII ACCESSIO. De eadem. CAP. XI.

ARiſtophanes Byzantius Grues ſcribit deuorare lapides,ut cum bene ſublimes uolantes, & rectà ad conficiendum iter attendentes, aſpectum ad inferiora impeditum habent,de uia feſſæ eos deijciant,& ex lapidum caſu percipiant, ſupra maréne an terràm ſubuolent: nam ſi ad mare lapides deferantur, iter ſuſceptum facere pergunt,ſin ad terram decidant,à uolando requieſcunt.

De Aſteria. CAP. XII.

AVis nomine Aſterias manſueſcit in Aegypto, atque adeo præclare humanam uocem intelligit,ut ſi quis huic conuicium faciens uel appellauerit ſeruam,ex ea contumelia iraſcitur: uel eandem ipſam uocauerit pigram,ea ſic dolenter tanquam ignobilitatis & ſegniciæ arguta indignatur.

De Caprimulgo. CAP. XIII.

Capri

CAprimulgus inter animalia audax eſt, paruas enim aues aſpernatur, fortiterq́ audet capras im petere, atque earum uberibus aduolans, lac ſuggit nec pœnas à paſtore timet: quin etiam pro ſaturitate Capris ſceleratiſsimum præmium reddit, eis cæcitatē afferēs, uberisq́ lacteos fontes funditus exſiccans.

De coitu, & uiſus recuperatione Hirundinum.
CAP. XIIII.

AVerſæ Hirundines coëunt, contrà atque cæteræ aues: cur id faciant cauſa retruſa eſt, atque abdita: aliquorum tamem ſermone in uulgus peruagatum eſt, eas ſic coire, quòd Tereum regem horreant, nequando latenter irrepens, nouam tragœdiam efficiat. Hirūdinibus à natura donum meo iudicio ſummum tributum eſt, ſi acu eorum oculi puncti excæcentur, uiſum recipiunt. Quid igitur Tireſiam amplius admiramur (tametſi hic & apud inferos) Homeri teſtimonio ſapientiſsimum Hirundo ſignificatione ſua pulcherrimi temporis oſtendit aduentum: ea hominis ſtudioſa eſt, cuius contubernalem ſe eſſe gaudet: cum ei rurſus bonum uidetur, diſcedit. Homines Homeri lege, hoſpitalitatis eam tecto recipiūt: qui præcipit, hoſpitem præſentem eſſe diligendum, diſcedere uero uolentem dimittendum.

De iuſtitia Hirundinis. CAP. XV.

IVſtitiam mater Hirundo aduerſus filios ſuos ſeruat, in diſtributione cibariorum ſuam cuiq́ tribuēs dignitatem: non enim unica tantum cibi uectione

omnes paſcit,neque enim poſset, cum ea quæ affert puſilla,& pauxillula ſint: primum in lucem editum primò paſcit: deinde ab illo ſecundum: tertium, tertio loco partum alit: ſicq́ꝫ deinceps uſque ad quintum progreditur. Neque uero amplius quinq́ꝫ ferre in utero atque parere ſolet. Huius pulli, ſimiliter atq́ꝫ Canum catuli,tardum uiſum accipiunt. Veruntamē eadem mater admota herba quadã uiſum eis affert: ac adhuc ex ætatis infirmitate alis hæſitantibus treme bundos,parumq́ꝫ ad uolandum habiles, è nido ad cibi inquiſitionem profert. Huius herbæ homines quamuis compotes fieri ſummo cupiant opere, nunquam tamen in hac parte eorum ſtudio ſatisfactum eſt. Si luti facultas ſit, id Hirundo unguibus fert, nidumq́ꝫ ex eo fingit: ſin minus luti facultas ei detur, aqua ſe conſpergit, atque in puluerem ſe abijciens, alas luto mergit, idq́ꝫ poſt alis agglutinatum roſtro excutiens, nidificat. Pulchrè etiam intelligit quòd ſi teneros,ex pennisq́ꝫ nudos in duris fruticibus pullos requieſcere ſineret, non ferendis doloribus premerentur: quamobrem in ouium tergo conſidens, floccos lanarum euellit, indeq́ꝫ ſuis pullis nidum quàm molliſsime ſubſternit.

De Hirundine alba. CAP. XVI.

ARiſtoteles in Samo ait albam naſci Hirũdinem, cuius oculos ſi quis pupugerit, ſtatim quidem excæcatur,pòſt uero uiſum recipit: &, ſicut ille dicit, ſic acute quemadmodum à principio uidet. Apparet aliquando

aliquando, ſicut dicit Alexander Myndius, albæ Hirundines. Nam in Pyrrhi pueri tabernaculo nidificãs Hirundo, rerum actiones quas ſuſciperet, non bene & feliciter euenturas eſſe ſignificauit. Et item Cyro altera nidum in huius tectis conſtruens, quæ ei male caſura eſſent prænunciauit. Contra enim Medos profectus, non reuertit ad ſuos: ſed rebus male geſtis, de loco quopiam ſe præcipitem deiecit. Dionyſio priori arcem relinquenti nidificantes ibidem reditum præmonſtrarunt. Hirundinum genus Dijs penatibus, & Veneri, quæ ipſa quoq; è numero penatium eſt, charum eſſe dicitur.

GYLLII ACCESSIO.

De Hirundinum mundicia. CAP. XVII.

Lynces ex domeſticis ſedibus egrediũtur, ut urinã bene penitus occultent. Hirundines docent, paruulos pullos excrementa extra nidos emittere, uicinę ad moriendũ, ſe in lutum abijcientes, pullis latebram parant. Hirundinũ antequã ex ſeſe pariunt apparatum uidemus, ut ad fundamentorũ ſtabilitatem primũ robuſtiores feſtucas ſubijciũt, deinde debiliores ſuperimponũt: neq; angulatũ nidum conſtruunt, ſed rotundum, quòd eiuſmodi figura non maiorẽ modò firmitatem & conſtantiã habeat, ſed & capaciorem laxitatem, & minus inſidijs patentem. In quodam Mauritaniæ flumine Hirundines ſeptenum cubitorum ſunt, & gulam ad reſpirandum perforatam habent. Ex animalibus duo, quæ hominum hoſpitio

utuntur, Muſca & Hirundo, nulla arte ad hominum tractationem manſueſcere poſſunt: neq; nobis quicquam officij cum quapiam animi grati uel minima ſignificatione compenſant. Nam Muſca, quòd ſibi timeat negotium exhiberi, prehenſari perhorret: Hirũdo uero ſic homini diffidit, ut neq; mãſuefieri poſſit, neq; quicquam non periculi plenum ab homine expectare. Carnem depaſci ſolita, ſacras illas Muſis canoras Cicadas uenatur, & tandiu hominum hoſpitio abutitur, dum pullos ex ſeſe pepererit, ac aluerit: deinde ingrata in deſertos receſſus abſtruſa latet: quamobrem Pythagoras minime tecto recipiendam cenſebat.

De Carulo & Halcedine. CAP. XVIII.

CArulos ſenectute affectos Alcedines uxores ſuæ in dorſo geſtantes circunferunt: mulieres contrà maritos ætate prouectos & præclare contemnunt, & per adoleſcentibus adijciunt oculos: tum etiam mariti in fœminas admodum adoleſcentes Veneris inſania feruntur, & uetulas aſpernantur, à ratione remotius beſtijs ipſis uiuentes.

De Halcionibus. CAP. XIX.

HAlciones ſuam grauiditatem ſentientes, nidum ad excipiendos pullos machinantur, ex Belonæ ſpinis, quas partim rectas, partim ut mulieres ad textrinam eruditæ obliquas intertexunt uinculo quodam mirifico, & rotundum efficiunt, deinde in mare deferunt, ubi fluitans ab incurſantibus undis earum

opus

opus probatur, & partes quas aqua incidens oſtēdit nō firmas eſſe, ita ſarciūt, ut necꝫ ſi percutiatur ſaxo, rumpatur, necꝫ ferro diſcindatur: os nidi non plane conſpicuum & inacceſſum, ſolam illam ſuſcipere poteſt, necꝫ per idipſum quicquam ex mari intro influere poteſt: ibidemq́ꝫ undis circumlata, pullos nutrit. Pariente Alcione mare ſubſiſtit, pacem & amicitiam inter ſe habent uenti. Parit uero media hyeme, & tamen cœli temperatio Alcedinibus largitur, eo tempore dies eſſe tranquillos.

De Ibe. CAP. XX.

AEgyptij non ex humano inuento Clyſteres ſe didiciſſe, ſed Ibim horum ad deijciendas aluos uſum ſibi, & medicinam docuiſſe prædicāt: eam cum luna decreſcit atꝫ recreſcit cognoſcere audio: accretione uiuendi rationem augere, ex deceſsione diminuere. Lunæ ſacra eſt, ad lunæ rationem oua fingit, extra Aegyptum nunquam progreditur. Cur ex Aegypto nunquam ſe commoueat cauſa Aegyptus eſt, ubi cœli ſtatus uuidus eſt, & luna omnium maxime ſtellarum inerrantium humida. Si quis ui atꝫ impetu eam ab Aegypto exportet, illa quidem ex inſidiatoribus ultionem capit, uel cum magna ſua pernicie: mortem enim ſibi fame conſciſcens, raptoribus ſtudium in ſe exportanda extra Aegyptum uanum eſſe oſtendit. Graditur autē magna tarditate: nec eam ocius quiſpiam ingredi uideat, quàm molli gradu, & tardo, more lautarū mulierum. Ibes nigræ anguium

uolucrium cateruas peſtilẽtes intra Aegyptios fineis & ingredi prohibent, & pro terra ſibi amica propugnantes, illud uniuerſum agmen interficiũt, atq; conſumunt. Aliæ uero Ibes ex Aethiopia Nili alluuionibus ſerpentes Aegyptum appetẽtes conficiunt, eorũ conatibus obuiam euntes: quæ cauſa prohibet Aegyptios ex acceſſu ſerpentiũ perire. In Aegypto ſacerdotes non omni aqua ſe aſpergunt, ſed ea duntaxat, ex qua Ibim bibiſſe credũt: nam planè ſciũt hanc nunq; ſordidã aquam bibere ſolitã eſſe. Illam Ibidis etiam uim de Aegyptiorũ libris accepi: ea nimirũ cũ in pennas, quæ ſub pectus exiſtunt, collũ & caput abdiderit, cordis figurã exprimere. Eandem Aegyptij ferunt ore coire, & parere: ueruntamẽ ea de re mihi nõ facile perſuadent. Qui Taricheæ beſtijs præſunt, Ibidis inteſtinũ ſex & nonaginta cubitorũ eſſe affirmãt. Quod idem in Lunę defectione cõprimitur: Iccircoq; orationis parẽti Mercurio eiuſmodi auẽ aiunt in amore eſſe, quia orationis ſpeciem ſimilitudinemq; gerat: nanq; eius nigrę pennæ cũ tacito, & nondũ emiſſo ſermone cõparari queũt: nec dum uero prolatæ orationi: intimorum ſenſuũ enũciatrici, candidæ poſſunt cõferri. Apion eam ait longiſsimæ uitæ eſſe. Atq; in eam rem Hermopolis ſacerdotes citat ſibi ſanè immortalem Ibim oſtẽdiſſe, quod quidẽ ipſum huic nõ minus procul à uero abeſſe uidet, q; ab omni ratione abhorrere exiſtimo. Quòd autẽ calidiſsima ſit natura, propterea uel peſsimarũ rerũ conficiẽtiſsima uorago eſt: ſiquidẽ

Serpentes

Serpentes & Scorpios exeſt, & conficit, atque ex his partim facile & calore,quo permulto abundat, exterit,& concoquit: partim nullo negotio excrementa excernit,atque expellit: ægritudine perraro afficitur. In quidlibet uel ſordidiſsimum, quamuis immittit roſtrum,ut quippiam illic inquirat, ex inquiſitione tamen cibi,cum ſe quieti tradit,cubile lauat, & purgat. In palmis,ad euitandos Feles,nidificat: non enim facile in palma ob eminentem & cutellatum trunci corticem ij ſæpe repulſi & reiecti, ſurſum correpere poſſunt. Iam porrò ſi pennis Ibidis Crocodilus contingatur, immobilis redditur.

De pullis Luciniæ. CAP. XXI.

LVcinia uiſa eſt,quæ pullos ſuos cantiunculas doceret, & uerſiculos quos imitarentur, traderet: quòd ſi capiatur iam confirmata ętate,& incluſa aſſeruetur in cauea, idcirco ſe & cantu & cibo abſtinet, & pro ſeruitute uenatorem ſilētio ulciſcitur,quia omniū uehementiſsime auium libertatis retinens eſt: quarum rerum experientes uiri,iam ætate grandes capere omittunt,& pullos comprehendere ſtudent.

Quanta gloriæ cupiditate Luſcinia laborat. CAP. XXII.

CHarmidem Maſsilienſem audio dicentem, non modò muſicæ perſtudioſam eſſe Luſciniam, uerum gloriæ etiam cupidam. Cum enim in deſerta ſolitudine ſibi tantum canit,tum ſimplicem cantum & illaboratum edit: cum autem captiua tenetur,& non

caret auditoribus,cantum uariat, contendit, remittit, exprimit,obſcurat.

GYLLII ACCESSIO. De eadē. CAP. XXIII.

LVciniæ pullos docent canere, ac ſi qui capiantur adhuc cantandi rudes, interq́; homines alantur, ideo peius canunt, quòd ante legitimum tempus à magiſtris parentibus ſubducti fuerint: cum igitur aluntur cum parentibus, erudiuntur & diſcunt, non ob quæſtum, ſed quòd ex cantu mirificam uoluptatem capiant.

De Lutea & Vireone. CAP. XXIIII.

LVtea nulla alia re quàm herba, Symphito nuncupata, quæ magna difficultate & reperitur, & effoditur, nidos conſtruit, eosq́; uillo & lana ſubſternit. Vireo autem in Luteæ genere mas, uitæ munerum ſciens eſt, ſimul & aptus ad quiduis diſcēdum, ideoq́; & laboris in diſcēdo patiens. Hyeme, niſi eſt captiuus, non apparet: Aeſtiuo autem ſolſtitio in lucem noſtram prodit, exoriente Arcturo ſydere, eò unde huc uenerat, reuertitur.

GYLLII ACCESSIO.

De Cincidela. CAP. XXV.

CIncidela perparuula beſtiola, tantum noctu uolans ſplendeſcit, & ſcintillæ ſpeciem ſimilitudinemq́; gerit, & tanquam nouus fulgor ad puerorum oculos fulgens infirmas mentes perſtringit, & quaſi igneſcentem perſonam ſuſtinens, eos in fugam compellit, quocunq; uolatu procedit, ſibi & circumſtantibus

tibus uel in denſiſsimis tenebris illuceſcit. Enimuero intempeſta nocte,uel luna ipſa ſilente,lucis uſura frui tur : & tametſi omnibus tenebræ offunduntur, non huic tamen lux eripitur. Qua in re mihi lupo præſtantior uidetur,qui etiam ſi id temporis quod appellat Homerus Lycophos lucem naturæ munere oculis perceptam habet,tamen ſibi ſoli,non uicinis,lucet.

De Charadrio,ſiue Galgulo. CAP. XXVI

CHaradrius auis eximio naturæ beneficio affecta eſt,nam ſi quis ictericus in eam acerrime intueatur,illa contrà ſine nictatione ex animo reſpiciat, ſic affectum hominem ſuo obtutu ad ſanitatem reducit.

De aue Cyano. CAP. XXVII.

AVis,cui Cyanus nomen eſt,natura ſua ab hominum conſuetudine abhorret, urbanas commorationes odio perſequitur,locorum agreſtium ubi homines uerſari ſoleant inſolens eſt : eis locis in quibus eſt ab hominibus ſolitudo,& montium iugis,& præcipitijs delectatur. Epirum & inſulas hominum frequentia habitabiles, haud ſanè in amore habet : Scyro,& ſi qua eſt eiuſmodi alia ſterilis, & ab hominibus inops,delectatur.

De Cinclo,quam Motacillam appellare poſſemus.
CAP. XXVIII.

CInclus uolatilis beſtia quòd poſteriore ſui parte debilis ſit,ideo ſuapte natura, & per ſe dicunt nõ poſſe nidum fingere,& conſtruere, ſed in alienis parere : eamq; ob rem bonorum inopes in ruſticorum

prouerbio Cinclos appellari ſolere. Hæc ſemper caudam mouet.

De Cinamomo aue. CAP. XXIX.

CInamomum auem auditione accepi ex plantæ gentilis ſuæ ſurculis nidos conſtruere, ac nimirum qui eiuſmodi ramulos ambiunt, iacula grauia robuſto & contentiſsimo neruo expulſa, magno impetu contra ramos quibus nititur nidus mittere, itaq; rumpuntur, & feſtucæ decidunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Dacnadibus auibus. CAP. XXX.

AVes Dacnades nuncupatas Aegyptij ideo ad potantium coronas alligare ſoliti ſunt, ut uelliçando, morſitando (ſicut Sextus Pompeius ait) & aſsidue cantitando potantes à dormiendo ſuſtineāt.

De Columbis. CAP. XXXI.

IN urbibus Columbæ cum hominibus frequentes habitant, ſeq; ad pedes horum huc & illuc magna manſuetudine & facilitate uerſant. In locis autem, ubi ab hominum frequentia ſolitudo eſt, propinquitatem hominum minime expectātes, aufugiunt. In multitudine hominum confidentiores ſunt, ſeq; nihil ibi graue paſſuras planè ſciunt: ubi auceps uenatoriaq; inſtrumenta uerſari uident, non amplius ſine ſumma ibi formidine habitant. Columbas ex auibus maxima eſſe pudicitia, ab omniq; adulterio caſtiſsimas eſſe percepi: nunquam enim ex ſocietate inter ſe inſtituta, neque mas niſi morte ipſa uxoris diſtrahitur, neque

necꝙ fœmina diſſociatur, niſi uidua fuerit. Ariſto-teles inquit,teſtis locuples, fœminę parturienti marē adeſſe & cultu omníꝙ officio fungi:ſæpe etiam fœmi nam errantem,& uagantem compellere ad nidum:& cum pepererint oua,eas cogere ut incubēt:eundemꝙ pariter cum fœmina pullos fouere,paritérꝙ alere: & primum nutrimentum, ne à cibis abhorreāt, excluſis iam pullis,terram ſalſuginoſam in os indere:quam ut guſtauerint,deinde facilime reliquis cibis ueſci queāt. Cum rapacibus cæteris auibus fœdere deuinciūtur, pacemꝙ gerunt. Aquilas marinas,& Circos horrēt. Contra Accipitres quo aſtu utantur, audire conue-nit. Cum eas Accipiter, qui natura ſua in ſublime ferri poteſt, perſquitur, eæ deorſum uerſus elabun-tur: cum ille in inferiori ſede aëris uolat, illæ contra ſublime feruntur & ſupra Accipitrem, in ſublime im petum facere non ualentem, uolantes, bene ſperare incipiunt, fiduciáꝙ implentur.

De Liuijs Columbis. CAP. XXXII.

IN India Liuiæ Columbæ uirides pennas habēt:ut is primo aſpectu,qui ſit rudis in ſcientia auium, Pſi tacum,non Columbā dicat: earum labra & crura co-lore Græciæ Perdicibus ſunt ſimilia.

De Erycinis Columbis. CAP. XXXIII.

IN Eryce Siciliæ feſti dies aguntur, quos Erycini & Siculi omnes profectorios appellant. Cur autem ſic appellentur, cauſam afferunt, quòd id temporis

Venerem Indi in Libyam proficiſci dicunt: idcirco nullas eo tractu Columbas uideri, nimirum quæ abeuntem uenerantes deam, cum illa peregre profectæ ſint: nam Veneri ſacrum eſſe genus Columbarum omnes exiſtimant. Nouem diebus lapſis unam forma inſignem ex pelago Libyco ſpectari reuolantem, quæ non ſit quemadmodum reliquæ gregales Liuię Columbæ, ſed rubra, qualem nobis Anacreon canit eſſe Venerem, quum eam quodam loco purpuream, & auro ſimilem canit. Hanc cæterarum columbarũ greges ſequuntur, & rurſus ex earum reditu Erycini reuerſionis dies celebrant.

GYLLII ACCESSIO.

De Columbis. CAP. XXXIIII.

VIciſsim aiunt incubare Columbatiũ genus, atque omni anni tempore parere. Liuia diuerſa eſt à Columba: hæc maior, illa minor eſt: hæc manſueſcit, altera non item. Non prius coëunt, quàm fœminam maſculus fuerit oſculatus, neque enim ſine oſculo coitũ ferre conſueuit: ac fœminæ inter ſe ineunt, cum maribus carent: etſi nihil emittunt, pariunt tamen oua, ex quibus pulli non naſcuntur. In ſermonem hominum uenit, apud Indos eſſe Columbas giluo colore. Charon Lampſacenus dicit circa Athonem montem Columbas apparuiſſe, cum ibi Perſarum triremes perierũt. Faſcinantiũ oculos, & rationis expertes beſtiæ natura quadam mirabili cauent: Columbæ faſcinationis amuletum propulſationemque laurinos ramulos

mulos tenues primum colligũt, deinde ad cuſtodiam pullorum in nidos imponũt: Milui autem, rhamnũ: Circi, amaraginẽ: Turtures, gladiolum: Corui, amerinam: Vpupæ, capillum Veneris: Harpæ, hæderã: Ardeolæ, cancrũ: Perdices, harũdinis gramen legũt: Aquilæ, gentilem ſuum lapidẽ Aëtitem: hic mulieribus cõmodus, abortibus aduerſatur. Cum ad ætatem confirmatam columbus peruenit, ut cum matre Veneris ſocietatem coëat, patrem expellit.

De caſtitate Palumbium. CAP. XXXV.

EX auibus caſtiſsimi ab omni ſtupro palumbes: ut enim mas & fœmina tanquã nuptijs alligati ſunt, mutua conſenſione adeo ad ſtabile & certum connubium per ſummã caſtimoniã adhæreſcunt, ut neuter alienum cubile attingat: ſi autẽ impudico amore capti ad alienam Venerem libidinis oculos adiecerint, eos reliqui circũſedentes marem quidẽ mares diſcerpunt, fœminas uero fœminæ diſperdũt. Huiuſce etiã modi lex caſtitatis ad Turtures pertinet, ſanctaq́ & ſyncera permanet, tum etiam ad columbas albas manat, præterquã quòd non utranq; occidunt: nam marem duntaxat perimunt, fœminam uero illius miſericordia permoti impunitam atq; inultam in uiduitate reliquam ætatem ducere permittunt.

De amore Cornicis, & eius repugnantia cum Noctua. CAP. XXXVI.

AManter mutuã inter ſe fidem ſeruant Cornices, cum ſemel ſocietatẽ inter ſe coierunt, quam non

temere ac licenter inter ſe inſtituunt: quòd ſi alterutra moriatur, alterã quæ ei ſupereſt uſq; ad extremũ uitæ diem uiduam permanere, harum rerũ abſolute periti dicunt. In nuptijs olim ueteres, audio, poſt hymeneũ Cornicem inuocare ſolitos fuiſſe, hocq; concordiæ ſignum dare ijs, qui liberûm quærendorũ gratia con ueniſſent. Qui uero ſedes auium & uolatus obſeruare ſolent, eas inauſpicatas aues, captantibus auguria portendere res triſteis dicunt. Quibus Noctuæ infeſtiſsimæ, noctu illarum ouis inſidias moliuntur: Cornices contrà interdiu eodem modo Noctuarum ouis inſidias faciunt, non ignorantes earum oculos ad uidendum de die hebetes eſſe.

De ſepulchro Cornicis apud Aegyptios.
CAP. XXXVII.

AD nuncupatum lacum Mirida in Aegypto, ubi Crocodilon oppidum eſt, Cornicis ſepulchrum oſtenditur, cuius cauſam Aegyptij eam afferũt, quòd cum eorum rex, cui Marres nomen eſſet, Cornicem ualde cicurẽ haberet, quæ poſtquã audiſſet quò uolatus dirigendus, & quænam regio tranſeunda, & ubi terrarum requieſcendum eſſet, eò regis literas ocyus quàm quiuis nuncius perferret, eam mortuã & ſepulchri honore affecit, & cippo ornauit.

GYLLII ACCESSIO.

De eiſdem. CAP. XXXVIII.

PEnelopes caſtitatem mille Cornices docent præclare contemnendam eſſe, quarum ſingulę extincto con

cto coniuge, non parum diu, imo potius nouem ætates in ſumma caſtimonia uiduæ perſeuerant uiuere. Quare mihi quælibet Cornix pulchram Penelopem continentiæ gloria longe multumq́ ſuperare uidetur. Cornix cum pullos paſcit, aſsidue curſitat.

De Coruis. CAP. XXXIX.

AEgyptij Corui, Nilum accolentes, nauigantibus quaſi ſupplices eſſe uidentur, ſibi quippiam largiri efflagitantes, quòd eis ſi quid dono detur, petere ceſſantes, nihil moleſti amplius ſunt: ſin autem horum quæ poſtularint nihil impetrauerint, in nauis roſtro inſidentes, inſequuntur nautas, funes arrodunt, ac uincula conſcindunt. Corui Libyci ſeſe inclinantes roſtrorum aduncitatem quo ad poſſunt in uaſa intrudunt, atque inferunt, quæ homines ſitis metu aquæ compleuerant, ac (ne rumperentur) ſupra tecta ad ſeruandum aëris beneficio aquam poſuerant, itaque potione fruuntur. Cum aquam deficere uident, calculos ore & unguibus apportantes, in uaſa inferunt, atque calculi quidem in fundum detruduntur, ac deſident, aqua uero de uaſis fundo ex ſubſidentium occupatione calculorum alleuata, ſuperiorem uaſis uacuitatem replet: qua ſolerti machinatione Corui aquã contingentes, potione referciuntur: non ignorantes, quæ ſunt penitus in media philoſophia recõdita atq; abdita, unum & eundem locum duo corpora capere non poſſe. Quantum cum ſterili ferax ager differat, planè noſcunt: in uberrimo enim gregatim feruntur,

per ſterilem agrum & infructuoſum bini uolare aſſolent. Fœtus ſuos nutritos, & ætate procedente firmos, acriter inſectantur nidoq́; expellunt. Quamobrem filij Corniculi deinde ea quæ ſunt ad uiuendum neceſſaria inquirunt, genitoresq́; ſuos minime alunt.

De Corui audacia. CAP. XL.

Coruus Aquilæ nihil de animo concedit, quominus quàm hæc audax ſit, non enim contra puſilla animalia uenire audet, ſed & contra Aſinos & Boues pugnat, quorum in ceruicibus conſidens, eos percutit, ac multorum effodit oculos. Cum etiam robuſto Aeſalone decertat. Si quod animal contra Vulpem pugnare animaduerterit, ſubſidio ei uenit, amicitia adductus quæ illi cum Vulpe intercedit, atque ulciſcitur. Maxime omnium auium multos clangores & uarias uoces fundit, nam inſtitutus cum humanam uocem mittit, tum eius locutio alia quædam eſt ludentis, alia longe ſerio agentis. Si enim quod pertineat ad Deum agit, hic tibi ſacrum quippiam & diuinationis plenum loquitur. Et quòd æſtiuo tempore alui relaxatione ſe laborare plane ſciat, idcirco ab humidis cibis ſe continet.

De ſene Coruo. CAP. XLI.

Coruus iam ætate affecta cum non pullos alere poteſt, ſeipſum eis cibum præſtat, hi autem comedunt patrem, unde prouerbium eſſe natum ferunt, Mali Corui malum ouum.

De

De Coruo. CAP. XLII.

PEr æſtatem Coruus exareſcit ſiti confectus, cum clamore ultionem teſtari fama eſt, cuius cauſam afferunt, quòd cum ad aquationem eum famulum ſuum Apollo miſiſſet, ille magna ſegete inuẽta adhuc uiridi, inueſtigare uolens granum frumenti, expectãs ut maturuiſſet, mandatum domini neglexit: quam ob rem ſiccíſsimo anni tempore ſiti affectus, ſuæ moræ dat penas. Hoc fabulæ ſimile uidetur. Aliud tamẽ dícetur de Coruo, ob Apollinis reuerentiam, hunc ſacrum & Appollinis pediſſequum eſſe dicunt, idcirco diuinationibus præditum fatentur, eiusq́ clamori dant operam, qui auium ſedes, & clangores, & uolatus ipſarum à dextra ac ſiniſtra cognoſcunt. Corui oua audio nigros efficere pilos. Qui capillitium ſuum adulterat, oportet oleum in ore compreſſum habeat, nam niſi id fiat, ſimul cum pilis ei dentes nigri redduntur, uixq́ elui poſſunt.

GYLLII ACCESSIO. De eodẽ. CAP. XLIII.

MIluo quia eſt quoddam bellum, ſicut Cicero ait, quaſi naturale cum Coruo, ideo alter alterius, ubicunq́ nactus fuerit, oua frangit.

De Paſſeribus. CAP. XLIIII.

COnſcientia uel ſuæ infirmitatis, uel ſui corpuſculi exiguitatis, Paſſeres in ramorum cacuminibus, modò ab ijs ſuſtineri queant, nidos cõtexunt, ſæpeq́ numero ea machinatione ſibi factas à uenatoribus

inſidias declinant: eò ſanè ij propter rami tenuitatem aſcendere non queunt.

GYLLII ACCESSIO. De eiſdē. CAP. XLV.

PAſſeres quòd laſciui ſint, idcirco Terpſicles eos, qui Paſſeribus utuntur, ad res uenereas ait procliuiores fieri. Alexander Myndius duo Paſſerum genera eſſe dicit, alterum manſuetum, alterum ferum: eorum fœminas cum cæteris in rebus infirmiores, tum ore eſſe neq; ualde albo neq; ualde nigro.

De Plateis. CAP. XLVI.

PElecanes, quæ alio nomine Plateæ, ſiue Plataleæ appellantur, fluuiatilibus Conchis ſe complent, easq; cum ſtomachi calorē concoxerint, euomunt, atque teſtis iam alui calore diductis, eligūt ex his quæ ſunt eſculenta. Lari aues, ut Eudemus ſcribit, ſublimeis cochleas ſurripiunt, ac ex alto deijcientes, magna ui ad ſaxa allidunt, itaq; eſculenta teſtis ſeiunctis eligunt.

GYLLII ACCESSIO.

De Pelicane, ſiue Platea. CAP. XLVII.

CVm ut aliæ aues in locis à terra altis Pelecanes nidum conſtruere poſsit, ea tamen quadam imprudentia in ſcrobe, quem in terra facit, oua ex ſeſe parit, quod ipſum non ignorantes aucupes, bubulo ſtercore locum circumlinunt, ignemq; ſuccendunt, ea uero fumum aſpiciens, aggreditur ignem alis reſtinguere: ueruntamē ei tantum abeſt ad extinguendum aſtutia, ut magis magisq; ſua tanquam uentilatione

tione incendat, idcircoq́ alis exuſtis capiatur. Iam Aegyptiorum ſacerdotes ideo eius carnibus, quòd filiorum cauſa in uitæ periculum ſe proijciat, ueſci nephas ducunt. Cicero dicit ſe ſcriptum legiſſe, eſſe auem quandam, quæ Platalea nominaretur, eam ſibi cibum quærere aduolantem ad eas aues, quæ ſe in mari mergerent: quæ cum immerſiſſent, piſcemq́ cæpiſſent, uſq; eò premere eorũ capita mordicus, dum captum illæ amitterent, id quod ipſa inuaderet. Eandemq́ hæc auis ſcribitur Cõchis ſe ſolere complere, easq́ quũ ſtomachi calore concoxerit euomere, atq; ita eligere ex ijs quæ ſunt eſculenta.

De Venatrice aue. CAP. XLVIII.

MErulis affine genus quoddam eſt uenaticum & captioſum, colore atrum, ſplendide canorum, recte ex eo uenaticum appellatum, quòd ex auibus multas ſui cantus permulſione ad ſe allicit, & capit: cuius ingenitæ ſibi præſtantiæ hæc auis non ignara, eo naturæ munere ad ſe uoluptate & cibo explendam uti uidetur: nam ex ſui cantus auditione & belliſsimas oblectationes habet, & aucupio & uenatione proxime ad ſe accedentium auicularum exſaturatur. Quòd ſi quando quiſquam hanc captam concluſerit in caueam, non modo canere omittit, uerum etiam pro ſeruitute ſua à uenatore pœnas ſilentio ſumens, muta permanet, atque elinguis.

De Turturibus. CAP. XLIX.

AD hanc rationem aucupātur Turtures, qui abſolute perfecteq́ earum aucupium tenent, nec longiſsime ab experimento aberrant, ut ſaltent, ualdeq́ ſuauiter præclareq́ canant, quorum auditu hæ delectantur, ſaltationisq́ conſpectu permulcentur, accedūtq́ propius, aucupes ſenſim & pedetentim cò ſecedunt, ubi retium explicatorum poſitæ ſunt inſidiæ, in quas incidentes, capiūtur, captæ primum ſaltatione & cantiunculis.

De loquacitate Turturis. CAP. L.

TVrturem loquaciorem dicunt, quòd nō modò oris inexhauſta aſsiduitate uocalis ſit, uerum etiam ex poſterioribus ſui partibus quàm plurimū, ut ferunt, loquatur. Menander huius prouerbij mentionē facit in comœdia quæ inſcribitur Plotius: atq́ eandem etiam Demetrius in Dramatico opere, quod Siciliā inſcripſit, meminit poſtica corporis parte clamare. Qui accurate tenent uim & naturā Turturū, auditum eſt, albas ſæpe apparere, eaſdemq́ cū Veneri & Cereri, tum uero Parcis & Furijs ſacras eſſe.

De Vulpanſere. CAP. LI.

REcte Vulpanſeri nomen inductum eſt, quod ex ingenitis naturæ ſuæ rebus trahit. Cum enim Anſeris ſpeciem habet, tum probe cum Vulpe callida improbitate comparari poteſt: atque etiam ſi corpore quàm Anſer inferior ſit, animi tamen robore ſuperior, & ad inuadendum præſtantior habetur: ab Aquilæ & Felis & cæterorum hoſtium ſuorum iniurijs ſe

rijs ſe defendit, & propulſat. Pullos ſuos uehementer amat, eandemq́ operam quàm Perdix in eis tuendis ponit: nam ante ſuos fœtus ſeſe prouoluens, aucupi ſpem ſui capiendi oſtendit: hi uero interea cum uenator illuditur, elabuntur: quibus fuga elapſis, is ſeſe alis alleuans diſcedit, ac ſæpe ut pulli facilius elabantur, capiendum ſe uenatoribus præbet.

De Spino. CAP. LII.

AD notionem auium periti Spinum auem dicũt ex ſpinis, ubi uiuit, nomen traxiſſe. Hæc cum non ſit à muſis auerſa, ſplendide canora eſt. Quòd ſi, ſicut Ariſtoteles ait, Spini & Sali ſanguinem in eodem uaſe permiſceas, & ſimul temperes, non coire nec commiſceri: hunc ſacrum eſſe aiunt genijs, qui præſunt hominibus itinera ingredientibus. Spini aues in poſterum longiſsime prouidentes, hominibus ad rerum futurarum coniecturam ſapientiores ſunt. Etenim hyemem futuram præſentiunt, & niuem prænoſcunt, & multa cautione obſeruant, ne ijs opprimantur: itaque earum acerbitates metuentes, tanquam ad perfugia, ſic ad loca nemoribus frequentia confugiunt.

De Pico martio. CAP. LIII.

INcuruato roſtro & adunco eſt Picus martius, quo quercus percutit, unde à Græcis Dryacolaptes appellatur, hoc eſt quercus percuſſor. In ea locum ex-

cauat, in quem tanquam nidum pullos ſuos impo-
nit: ad nidi inſtructionem non ferulis inter ſe conne-
xis eget, neq; ædificatiunculis. Si quis lapide immiſſo
ei foramen obſtruxerit, ille ex his coniectura aſſecu-
tus inſidias ſibi oppoſitas eſſe, herbam lapidi contra-
riam affert, eamq́; contra lapidem ponit: lapis uelut
offenſus, & non facile ferens uim herbæ, exſilit, atq;
rurſus foramen Pico aperitur.

GYLLII ACCESSIO.

De Pica. CAP. LIIII.

ANte nuncupatum Forum Græcorum tonſor
quiſpiam Romæ in officina, ſicut Plutarchus
inquit, Picam alebat, quæ uaria & multiplici uoce
cum hominum uerba, tum & beſtiarum, & organo-
rum ſonos nullo coactu reddebat, ſed ſua ſponte ſeſe
exercens, nihil relinquebat quod non imitaretur, &
pronunciaret. Poſt uerò elinguis & muta fuit, quàm
accidiſſet illâc multis buccinis circumſonantibus di-
uitem efferri magna frequētia. Quod quidem ipſum
non modò magnam nonnullis, qui antea eius uo-
cem libenter audirent, admirationem excitauit, ue-
rumetiam ijſdem ipſis ſuſpicionem attulit, ne qui ſi-
militer tondendi artem factitarent, auem ueneno ſu-
ſtuliſſent. Plurimi etiam idcirco huius aures obſur-
duiſſe, ſimulq́; cum auditu uocem amiſiſſe arbitra-
bantur, quòd buccinatorum ſono diu multumq́;
obſtrepitæ fuiſſent. At neutrū fuit, ſed quia animi in
ſeipſum ſeceſsione facta, ſecum meditaretur, & tanq̃
organum

organum,ſic uocem inſtrueret,atque appararet,ideo miro ſilentio utebatur; quod ipſum facile declarauit cum poſtea repente in uocum explanatione ſic enituit, ut non amplius ex ſolitis & priſtinis imitationibus,quicquam imitaretur,ſed eiſdem periodis buccinatorum cantum eloqueretur, & uariorum interuallorum percuſsiones ſonorumq́ue numeros exprimeret, ut eius per ſe conatus ad diſcendum præſtantior, quàm docilitas eſſet.

De Miluo, & Harpa. CAP. LV.

MIluus in rapinas faciendas eminentiſsimus ſi ſuperior extiterit, carnes è macello rapaciſsime aufert, ex Olympiæ tamen aris eas nunquam attingit. Harpa auis montana impetens oculos effodit.

De Monedulis. CAP. LVI.

MOnedularum ſe beneficiarios exiſtimant Theſſali, Illyrij, Lemnij, ob eamq́ue rem his uictum urbes publice præbendum eſſe decretum fecerunt, qui locuſtarum fruges uaſtantium oua perderent, earumq́ue ſobolem perimerent,unde magna ex parte locuſtarum multitudo ueluti in nubem coacta minuebatur, frugesq́ue incolumes ad tempeſtiuitatem perueniebant.

De amore Monedularum in ſuas gregales,& earum captura. CAP. LVII.

SVæ nationis aues uehementer Monedulæ amãt, quæ quidem res eas ſæpe in perniciem inducit: quemadmodum id accidat explicandum. Cum enim

quis Monedulas uenaturus eſt, talia machinatur, ut eas ubi nouerit cibaria inquirere, & in quem locum congregentur perſpexerit, ibi pelues olei plenas diſponat, curioſa belle auicula eò profecta, in uaſis labro conſidet, & ſimul ſeſe inclinans, ſuam ipſius umbram deſpicit, & quòd exiſtimet aliam ſe Monedulam uidere, ad eam ipſam feſtinat deſcendere, eoq́ ut eſt delapſa, olei craſsitudine circumfuſa, ſine laqueis, ſine retibus conſtricta tenetur. Theopompus Venetos inquit Adriam accolentes cum ſementes faciũt, Monedulis farinas oleò temperatas muneri idcirco mittere, ut eos permulceant, & cum ipſis tanquam fœdus ſanciant, ne ſementes refodiant, & grana ſparſa legant. Lupus cum hæc uera eſſe fatetur, tum eoſdem addit loros rubros eis proponere, & Monedularum greges extra fines manere, ac nimirum duos aut treis ex urbibus tanquam legatos ad eos mitti ſolere, exploraturos hoſpitum multitudinem, qui ut eam perſpexerunt, inuitant & reuertuntur, eæ autem inuitatæ gregatim proficiſcuntur, ac ſi offas obiectas comederint, ſe pacem & fœdus habere Veneti intelligunt: ſin contempſerint, & tanquam uilia non dignentur comedere, indigenæ ſibi perſuaſum habent, illorum contemptum famem oſtendere, & tanquam muneribus incorrupti, nec ex obiectis eſcis quippiam guſtantes, in arationes inuolant, & cum maxima animi acerbitate inueſtigantes, ſemina prædantur.

De

De Anate. CAP. LVIII.

PRimum ut Anas peperit, parit enim in terra extra aquam, prope aut ſtagnum, aut paludem, aliumúe aquoſum locum, ſtatim eius fœtus recondita quadam natura & propria aquam proſequitur. Quinetiam Anatum oua Gallinis ſæpe ſupponimus, ex quibus pulli orti, primũ aluntur ab ijs ut à matribus, à quibus excluſi fotiq́ꝫ ſunt, deinde eas relinquunt, & effugiunt, ſequentes quàm primum aquam quaſi naturalem domum: præclare enim intelligunt, ſe cum naturæ non ſint ad uolandum aptæ, participes cœli incolas non eſſe poſſe: neque terrenæ, cum non ſint beſtiæ, in terra uerſari oportere: quocirca à partu ſtatim natatiles ad aquam aſsiliunt, necꝫ tamen natare diſcere neceſſe habent: at tanquam temporis longinquitate eruditas, & ſapienter emergunt, & merguntur. Nam cum Aquila in eos ipſos rapiendos inuolat, ſe intra aquam ſubmerſione abdunt, atque infra aquam natando, ex alio loco extra aquam eminent. Quòd ſi Aquila illuc quocꝫ incumbat, & inſtet, ij iterum demerguntur, atcꝫ tandiu ſurſum deorſum commeant, dum Aquila fuerit ſubmerſione ſuffocata, aut diſceſſerit in aliam prædam: tum enim hi depoſito hoſtis ſuæ metu, ad ſummam aquam elata rurſus natant. Anatum, ſicut ait Alexander Myndius, mas tum maior tum uerſicolorior, id quod eſt cæſium in oculis, paulo minus quàm fœminæ exiſtit.

De Noctua. CAP. LIX.

MVlieribus uenefícia & cantiones exercentibus ſimilis eſt Noctua, captioſum animal. Hęc enim capta, ſuos in primis aucupes ſic captionibus ſuis in ſe elicit, ut eam uelut ludicrum quoddam in humeris circumgeſtent. Noctu quidem uigilat, & uoce quaſi quibuſdam præſtigijs ac illecebris aues allicit, easq́ ſibi aſsidere facit. Interdiu uero alia aucupij inductione utitur, auibus illudit, nimirum in aliam atque aliam ſpeciem uultum conuertens: quibus aues peradoleſcentes in admirationem raptæ, manere apud eam perſeuerant, maximo eorum in quæ ſe format timore perculſæ. Accedenti ad ſeriam actionem homini occurrentem Noctuam inauſpicatam ſignificationem dare aiunt. Cui quidem rei teſtimonio fuit Pyrrhus Epirotarum rex: cum in illius Argos proficiſcentis haſta quam erectam ferebat, hæc auis ſediſſet, ei malum auſpicium dedit: nam Argos ingreſſus, ualde ingloria atque ignobili morte occubuit. Quare mihi Homerus præclare intellexiſſe uidetur, auem hanc mali auſpicij eſſe, cum Diomedi, ad caſtra Troianorum exploranda proficiſcenti, Mineruam facit auſpicato mittentem Erodium, non Noctuam. In Creta noctuam aiunt omnino non naſci, ac ſi extrinſecus importetur, mori: in eademq́ nullam maleficam beſtiam neque gigni, neque aliunde deportatam uiuere, quod quidem ipſum ſi quis uult experiri, uenenatum animal quodpiam foris aſſumit, quod primum ut hanc terram attigit, ſtatim perit. Itaq circulatores

latores qui uenantur in Africa ſerpentes, talia machinantur, ad mouendam hominum admirationem eas manſuefactas circūgeſtant, & ſimul ipſis terræ Africæ quantum ſatis ſit ad earum uſum comportant, quod ipſum prouident, ne ſerpētes pereāt, ob eamq́ cauſam cum ad hanc inſulam peruenerūt, non prius feras beſtias exponunt, quàm terram peregrinam, quam ſecum portāt, ſubſtrauerint: ex quo fit, ut multitudinem imperitam congregent, atq; ſtupidam detineant, & tametſi eæ quidem ſeſe incitant, non loco tamen ſe mouent, neq; ex domeſtico & uernaculo puluere excedunt. Sin in externum & hoſticum ſolum egrediantur, è uita quoq; exeunt.

De Otide ſiue Tarda. CAP. LX.

OTis ex omnibus auis equorū ſtudioſiſsima cenſetur, cuius rei hoc teſtimonio eſt, quòd cætera animalia uel in pratis, uel in collibus paſcentia aſpernatur: equum uero ut aſpexerit, magno ſtatim cum gaudio ad ipſum aduolans, appropinquare pergit, more hominū equini generis amantiſsimorum.

GYLLII ACCESSIO. De eadem CAP. LXI.

XEnophō Otides dicit breui uolatu uti, ut ſi quis celeriter inſtet, eas capere poſsit: nam uolāt exiguo tractu, & celeriter fatigantur, ac nimirū ad hanc rationem comprehenduntur: Cum huiuſmodi uolucres omniū quæ homo agit imitari conentur, uenatores contra ipſas ſtantes, certa quadā re oculos ſibi ungunt, præparatis alijs unguentis oculos & cilia con

glutinantibus, quæ quidem ipſa non àb eis procul in paruis peluibus ponunt: Otides ubi uiderunt uenatores ſe ungere, hoc idem effingũt, ex pelui uiſcum ſumentes, quare cito capiuntur. Equo delectantur: Si quis equinam pellem induerit, quotquot uolet uenabitur, nam equorum ſtudio captæ eò accedunt.

De Oto. CAP. LXII.

OTus uolucris ſimilis eſt Noctuæ, præterquam quòd nocturnus non eſt: ſecundum aures duas pennulas habet: imitator hominum eſt, quos ſaltantes cum imitari conatur, capitur. Quare qui facile decipiuntur, Comici Otos appellant. Qui maxime idoneus eſt ad eos comprehendendos, ſaltat, & ſimul ipſos contra aſpicientes ad ſaltationem inducit, alios à tergo latens uoluptate æmulandi captos comprehendit.

De Vpupa. CAP. LXIII.

VPupa auiũ inimiciſsima eſt, & mihi uidetur odio hominum nidum in deſertis locis conſtruere, & ne homines ad pullos ſuos aſpirent, luti loco hominis ſtercore circumlinire, ut intolerabili odoris fœditate homines à nido depellat. Cum autem in parietis diruti & deſerti rima uetuſtate acta huiuſcemodi auis peperiſſet, idipſumq; parietis curator animaduertiſſet, luto rimam expleuit, & obſtruxit: ubi Vpupa rediens uidet receſſum, & latebram ſuam clauſam, herbam affert, qua ad lutum admota, diſſoluitur lutum, & defluit, illa intra caueam ad pullos ſuos ingreditur, ac

tur: ac ſi interea ad inquirenda cibaria rurſus profe-cta fuerit, homo ille iterum parietis cauernam obli-nens obſtruxerit, eadem ipſa herba rimam aperit, quod ipſum tertio ac ſæpius facit. Cuius factum pa-rietis curator intelligens, herbam illam è luto aufert, non quidem ad eos uſus ad quos Vpupa utebatur, ſed ad reſignãdos theſauros ad eum nihil pertinẽtes.

Indicam Vpupam duplo maiorẽ noſtra & formo ſiorem Indorum rex amores & delicias ſuas circũge-ſtat, & eius uenuſtatẽ ſumma admiratione frequenter intuens, magnam lætitiam uoluptatemq; capit.

De auibus Diomedeis. CAP. LXIIII.

INſula quædã nomine Diomedea, auibus Diome-deis abũdat, hæ hominibus natione barbaris neq; quippiã nocent, neq; eos adeunt: Sin Græcus aduena eò diuerterit, diuino quodam munere ab his auibus aditur, alis explicatis, tanquã manibus, ad prenſatio-nem & complexũ. Græcos ſe pertrectantes non refu-gientes, intrepide ſe palpari ſuſtinent: in accumbentiũ ſinus aduolant, uelut ad menſas hoſpitales inuitatæ. Vulgò ſocij Diomedis eſſe iactantur, qui unà cum eo contra Ilium arma tulerunt. prima eorum natura in auium ſpeciẽ immutata, etiam nunc ſe eſſe Græcos & Græcorum ſtudioſos perſeuerare. Herodius Oſtreorũ uoraciſsimus eſt, & quemadmodũ Cõchas Pelecanes exſorbent, ſic is Oſtrea: teſtis obducta uo-rat, & in ea ſede, quæ ingluuies appellatur, concalefa ciens, tandiu cuſtodit, quoad calore ſtomachi diſclu-

 duntur.

duntur. Poſt ubi is ipſe diductas ſenſerit teſtas, eas euomit,& carnem ad ſuſtentandum ſe retinet.

De Merope. CAP. LXV.

MErops auis contrà uolat atq; cæteræ: aliæ enim omnes quaſi ſurſum ad oculos uerſus: illa uero retro ad caudam uerſus uolat. Et profecto naturam uolatus, admiratione & inſolentia pleni, quem facit hoc animal, ſummopere miror.

De Meropis pietate aduerſus parentes ſuos. CAP. LXVI.

MErops eo iuſtior Ciconijs exiſtimãda eſt, quòd non in ſenectutẽ parẽtes alere differt, ſed ſtatim ut per ætatẽ uolare poteſt, hoc ipſum exequitur. Iuſtitia enim & pietate omnibus auibus præſtat.

Scopes, quos Theodorus uertit Aſionos, ſaltatione capiuntur. CAP. LXVII.

SCopes aues, quarum Homerus in Odyſſea mentionem facit, cum eas circum Calypſus antrũ uerſari ſcribit, uiri ſaltandi bene periti tradunt cum ſaltatione comprehendi, tum genus quoddam ſaltationis eſſe, quæ ſi adhibenda ijs fides ſit, Scops appellatur: nam quòd ijs auibus iucundiſsimũ ſit quoſdam ridicule imitari, ex eo profectum eſt uerbum σκώπτειν, id eſt, effingere, & non aberrare ab eis imitãdis, quos ludicra aſsimulatione imitãtur: omneis aues oris expreſsione, & articulata uoce longe ſuperat: & quemadmodum Pſitacus & Pica, ſic hominum & aliarum auiũ uoces exprimit. Minor eſt quàm Noctua, plumbei co

bei coloris ſpeciem ſimilitudinemq́ eius pennæ gerunt,& albis maculis diſtinguuntur: à ſupercilijs ſecundum utraq; tempora duę plumæ exiſtunt. Callimachus duo genera ponit, Scopas, & Aiſcopas, id eſt, ſemper Aſiones: quorum alterum uocale ſit, alterum mutum. Alexander Myndius dicit, apud Homerum non Scopas per ſigma, ſed Copas legi oportere. Aiſcopes omnibus anni temporibus patent: eæ ſane eſculentæ non ſunt, propter carnis uitium. Scopes aliquando apparent, neque tamen uno aut altero plus die commorantur, quæ eſui accommodatæ ſunt, & ualde probantur, & differunt à perennibus illis uelocitate, & Turturis & Palumbis ſimiles ſunt.

De Horione aue Indica. CAP. LXVIII.

Clitarchus in India ſcribit uolucrem amatorio affectu flagrantem, nomine Horionem, naſci, magnitudine Herodio ſimilem, rubris cruribus, oculis cæruleis, ſic à muſica inſtructam, ut naturæ munere tam ſuauiter canat, ut ipſas Sirenes lacesſere poſſit.

FINIS LIBRI XV.

LIBER DECIMVS SEXTVS DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

De Pſittacis Indicis, & reliquis auibus. CAP. I.

IN regijs ædibus Indiæ, ubi regum maximus illic regna tenentium ætatem degit, cum alia permulta & magnam hominum admirationem, & nullam comparationem habent, quibus cum ſanè nec Memnonia Suſa, neq; tota eorum Reip. adminiſtratio eſt conferenda, neque Ecbatanorum magnificentia cum his in comparatione coniungenda eſt. Etenim illa Perſici faſtus uanitas, ſi cum ijs comparentur, uideri poſsint: tum porrò in hortis Indiæ Pauones & Faſiani manſueti aluntur, & plantæ quidem ſumma regiorum procuratorum cura elaboratæ ſunt. Enimuero umbroſa ſunt nemora, & paſtiones arboribus conſitæ, & rami ſapienti quadam frondatorum colligatione conſerti, & contexti: alij enim ex alijs nexi ſunt, alij in alios implicati, arbores ſemper uirentes nulla ſenectute folia amittunt, ex eiſq; partim ſunt indigenæ, partim ex alijs locis Indiæ magno ſtudio importatæ, quæ & regionem ornant. Oliuam terra India non gignit, neque aliunde importatam fert. Sunt item aliæ aues ab nexu liberę,

nullaq;

nullaq́ꝫ ſeruitutis conditione aſtrictæ, quæ ſua ſponte eò uentitantes, nidos fingunt, & conſtruunt, ubi etiam Pſittaci aluntur, & ſurſum deorſum, ultro citroq́ꝫ circum regem uerſantur. Nec Pſittacum idcirco Indorum quiſquam, & ſi eorum magna illic multitudo ſit, edit: quòd eos ſacros putent, & Brachmane quidem ex auibus plurimi hunc exiſtiment. Quod quidem ipſum non abs re ſe facere profitentur, quòd ſolus Pſittacus humanam uerborum appellationem explanata oris expreſsione, & uocis conformatione imitando conſequatur. Atque etiam in ijs hortis perbella ſtagna ſunt manu facta, ubi maxima magnitudine piſces cicures æuum agitant: nec eos quiſquam alius piſcatur, quàm regis liberi, qui nondum ex pueris exceſſere: ij enim in aqua tranquilla, & non periculoſa, ludentes, & captant piſces, & uero natare diſcunt.

De Pſittacis Indicis. CAP. II.

QVemadmodum pueri erudiuntur, ſic ex tribus Indiæ generibus omnes humanæ uocis uſum addiſcunt. In ſyluis inconditã uocem cuiuſmodi aues indoctæ edere ſolent, mittunt: non autem expreſſum os & explanatum habent.

GYLLII ACCESSIO.

De Pſittacis. CAP. III.

QVi memoria noſtra terras antiquis ignotas peragrarunt, mirifica animi ſolertia in conſtruendo nido Pſittacos eſſe affirmant. Etenim proceriſsimam

inueſtigant arborem,tenuibus ramis, & intolerabilibus ad quiduis graue ſuſtinendum,ad quarum cacumina penſilem ſarculum alligant,ex quo nidum affabre & callidiſsimo artificio factum ſuſpendunt, pilæ modo rotundum,ſanequàm exiguo ad aditum & exitum relicto foramine. Quod quidem ipſum eos moliri afferunt, ut ſerpentium inſidijs uiam obſtruant: non enim ex tam ſubtilibus ramis penſilem nidum ſerpentiū natio corpore grauis inuadere audet. Gracchana inſula eiuſmodi uolucres procreat, Faſianis multo maiores,eam habentes à cæteris diſsimilitudinem,ut uerſicoloribus alis ſint,& reliquo corpore rubro: ibidemq́ꝫ tanta eſt eorum multitudo, quanta apud nos cicadarum: ac tanquam nos Cappos, ſic eos ſagina curatos ad pinguitudinem perducunt, eiſdem ſuauiſsime ueſcuntur.

De auibus quæ naſcuntur in inſulis Caſpij maris.
CAP. IIII.

IN maris Caſpij inſulis cum alias aues naſci ferunt, tum maxime unam ea ui & natura affectam,ut magnitudine quidem uel egregium Anſerem ſuperet: pedes autem habeat grui perſimiles, dorſo ſit uehementer rubro,uentre uiridi,collo albo, & diſſeminatis maculis croceis diſtincto, non minus quàm duo cubita longo,capite itē tenui & longo, roſtro nigro, uocem ramis ſimilem mittit.

GYLLII ACCESSIO.

De auibus Ceruorum magnitudine. CAP. V.

In

IN Struthiophagis aues Ceruorum magnitudine eſſe dicũtur,quæ ut uolare nõ poſsint, certe quàm Struthiocameli uelociter currũt,ex uenatoribus partim arcu eas capiunt, partim dextram manum colli pelle Struthionis tectam, ſimiliter ut huiuſmodi uolucres collum mouent,ſiniſtra uero ſemen ex ſuſpenſa pera ſpargentes, alliciunt, atq; in conualles detrudunt, ibi circumuallatæ comprehenduntur.

Manſueta animalia,quibus animalibus non confidant. CAP. VI.

HAnc etiam uim naturamq́; animalium non ignorare oportet, aues cicures & domeſticas audacter contemnere Equos, Aſinos, Boues: ac ſi cum manſuefactis Elephantis aluntur, non modò eos non timere, uerum per eos etiam ipſos gradi. Iam enim Gallinacei, ut in eorum dorſis conſidere audẽt: Sic magnum eis metum Muſtella uel præteriens inijcit, & qui uocem uel mugientium, uel rudentium præclare contemnunt, eius illius clamorem uehementer horrent. Anſeres item, & Canes, & magnas Struthiones nihili faciunt. Contra Accipitrem uel multo minimum formidant. Gallorum cantus Leones exterret, metu Baſiliſcos exanimat, Miluos extimeſcit. Clangorem quidem aut Aquilarum aut Vulturum facile Columbæ ſpernunt,non item Circi & marinæ Aquilæ.

De Auium pugna. CAP. VII.

SI eius belli quod cum mare committit fœmina, uictoriam reportet, eius collum uoluptate effertur, atque inflatur, tum maximis ſpiritibus impletur, & longo tibiarum tractu graditur.

De Caſtoridibus. CAP. VIII.

CAſtorides marinæ ad littora & ſaxa eminentia ululatum diritatis plenum edunt, & grauiſsime rugiunt: earum ſonitum quicunq; audierit, non effugiet, quin paulo poſt excedat è uita.

De Caſpia uolucre. CAP. IX.

FAma quædam uenit in ſermonem hominũ apud Caſpios auem procreari magnitudine maximi Gallinacei, uerſicolore uarietate florentem: atq; auditione accepi eam ſupinam uolare, & ſub collum extenſis cruribus ſubleuare, tum catelli uocem mittere, neque in ſublime, ſed circum terram idcirco uolare, quòd in altum non queat ſeſe attollere.

De Catreo aue. CAP. X.

CAtreum auem, ita nuncupatam, cum eximia formæ pulchritudine Clitarchus ait, tum Pauonis magnitudine eſſe, tum pennarum eius extremitates ſmaragdi ſimilitudinem gerere: ac ſi alios intuetur: eius oculi neſcias quo colore ſint: ſin te aſpiciat, purpureos dices. Quod in aliorum oculis album, in illius pallidum eſt: acri atque acuto uidendi ſenſu prædita eſt: Capitis plumæ partim candidulis ocellis, partim guttis quibuſdam alijs in alias implicatis diſtinctæ

ſtinctæ ſunt: Eius pedes Sandaricini, & uox canora, & ſicut Luſciniæ ſic eadẽ acuta & conciſa eſt. Eam in delicijs maxime omnium auium Indi habent, ut aſpe ctu illius expleri non poſſunt. Ex oculis facula ſplen det, lucidiſsimæ ut flammæ ſimilis ſit: tantoq́ꝫ opere gregatim uolant, ut nubes eſſe uideantur. Cantandi ſuauitas & oris expreſsio tanta eſt, ut comparationẽ nullam habeat, ut craſſum ſit, Sirenes quaſdam alatas eas dicere.

De aue Caſpia, uel potius Indica. CAP. XI.

AVis Caſpia, uel potius Indica (nam in India etiã naſcitur) Anſeris magnitudine, & lato quidem, ſed tenui capite, cruribus paruis eſt: uario colore diſtinguitur, nam eius dorſum purpureum eſt, uenter maxime coccineus, caput & cutis exalbeſcunt, uocem caprinam mittit.

De aue quam Indi Celam uocant. CAP. XII.

AVem in India naſci accepi, magnitudine triplo maiorem Otide, ore permagno, & longis cruribus, abſonum quiddam ſonare, eiusq́ꝫ ſummas alas pallidas, cæteras uero pennas cinericias eſſe.

De aue quam Indi uocant Cercionem, eam Latini Motacillam appellare poſſent. CAP. XIII.

IN India auis ad Sturni magnitudinem accedens, uarijs coloribus picta, naſcitur, quæ & humanam uocem effingit, & Pſittacis uocalior, & maiore eſt docilitate & ingenio, non tamen humanum uictum

æquo animo ſuſtinet, ſed libertatis deſiderio famem potius quàm ſeruitutem cibis refertam amplectitur. Vrbes quas Alexander in India excitauit, ideo Cercionem appellant, quòd ſimiliter caudam atque Cinclus mouet.

De Indicis auibus Sandaricino colore.
CAP. XIIII.

PAruularum quarundam auium Indicarum natio in excelſis rupibus nidificat, quarum magnitudo accedit ad ouum Perdicum, Sardaricino colore eſt: Indi ſua lingua Dicærum ſolent nominare: Græci, ſicut audio, Dicæum: eius ſtercus ſi quis milij magnitudine ſumpſerit in potionem diſſolutum, ad ueſperam morietur: mors ſuaui ſomno ſimilis eſt, & nullum omnino ſenſum doloris habet. Quamobrem ſummopere Indi id aſſequi ſtudent, ipſum enim malorum obliuionem exiſtimant inducere. Quod quidem ex India muneri miſſum rex Perſarum omnibus rebus antefert, & aſſeruat, inſanabilium malorũ remedium, ſi ſumere ſit neceſſe: neque apud Perſas quiſquam alius quàm rex id habet.

De Meleagridibus. CAP. XV.

HIſtrus in Olero ait, Meleagridas à nullis auibus quæ unguibus ſint uncinatis, uiolari. Clytus Mileſius, Ariſtotelis diſcipulus, primo libro ſcribit, Meleagrides ad templum æreum locum paluſtrem commorantes, ſuos pullos uel à partu recentes negligere, itaque ſacerdotes habere neceſſe illos curare.

Idemq́;

Idemq́ꝫ affert, tum generoſarum auium magnitudine eſſe, tum paruo & tenui capite, eisq́ꝫ apicem carneum durum turbinatum ex capite tanquam clauum ligneum eminere, tum auium barbula carere, roſtro acuto & maiore quàm pro aue, & collo nigro & craſſiore & breuiore quàm auium, præditas eſſe.

De auibus Memnonis. CAP. XVI.

TErram Mariandyneam aues aſpectu nigras incolere ferunt, quæ figura corporis & forma Accipitribus ſimiles eſſe uidentur: eæ uſu carnium cum ſe abſtinent, tum in omni uictus ratione ſe continent, eis enim ad cibum ſemina ſatis ſunt. Cum autumnus eſſe cœpit, Ilium gregatim aduolant. Eas autem idcirco Memnonias uocant, quòd rectà ad Memnonis ſepulchrum proficiſcantur: id enim uel etiã nunc à Troadis incolis ad ornamentum Memnonis conditum ibi fuiſſe dicitur, atq́ꝫ Memnonis cadauer ex cæde à matre in Suſa tantopere decantata exportatum fuiſſe, ut humatione afficeretur, eq́ꝫ dignitate illius exequiarum iuſta ei perſoluerentur. Aues igitur Memnonis gentiles quotannis eò proficiſci, ibiq́ꝫ primum in contrarias partes diſtrahi, deinde pugnam committere, eamq́ꝫ ſumma cõtentione tandiu pugnare, dum ex his media pars pereat, altera uictrix diſcedat. Iam de cauſis cur hæc accidant philoſophari, nec mihi libet, neq́ꝫ etiam uacuus ſum ad ſcrutanda naturæ abſtruſa atque abdita.

De Parnopibus Galatarum. CAP. XVII.

EVdoxus ait Galatas, qui ad orientem ſolem pertinent, eiuſmodi facere, quæ ſi cui credibilia uidentur, fidem adhibeat: ſin minus, reijciat. Cum maximi Parnopum greges, ut nubes eſſe uideantur, in Galatiæ agros inuolantes, frugibus incommodant, tum Galatæ quibuſdam precationibus & obſecrationibus utuntur, ſimul & ſacra conficiunt, quibus aues implorant: eæ autem illorum precibus obſequẽtes, frequentes ueniunt, & Parnopes perdunt. Ac ſi quis è Galatis eas ipſas comprehenderit, hoc ſupplicium in eum ex legibus illius gentis cõſtitutum eſt, ut morte mulctetur. Ac ſi huic qui eas cæperit ignotum fuerit, aues tantopere offenduntur, ut iterum inuocatæ, propter impunitatem illius, non ipſorum precationibus obtemperent.

De Phattage Indica. CAP. XVIII.

IN Indis naſcitur beſtia, quæ Crocodili terreni ſpeciem ſimilitudinemq; gerit, magnitudine eſt Melitenſis canis: eius pellis adeo aſperis ſquammis quibuſdam ſcatet, ut more ſerræ æs diſſecet, & ferrum exedat & conficiat, eam Indi Phattagen uocant.

GYLLII ACCESSIO.

De Stymphalidibus. CAP. XIX.

DEſertam Arabum regionem Pauſanias aues ſcribit procreare, nuncupatas Stymphalidas, quæ hominibus non minus immanes, quàm aut Leones ſint, aut Pantheræ: nam in eos, qui inſidias ſibi moliuntur, inuolantes, roſtris uulnerant, atque adeo interficiunt

terficiunt, ſimul & quod homines geſtāt ferrum, perforant: & ad corticeam ueſtem, quam craſſam ſibi uenatores accommodant, eiuſmodi auium roſtra ſic adhæreſcunt, tanquam ad uiſcum paruularum auicularum alæ. Iam uero ad Gruum magnitudinem accedunt, atque Ibidum ſimilitudinem gerunt, præter roſtrum, quod & robuſtius, & haudquaquam incuruum eſt.

GYLLII ACCESSIO.

De Tetrace aue. CAP. XX.

APud Athenæum libro nono Dipnoſophiſtarum, hæc de Tetrace legi: Quum quidam, inquit, auis genus eſſe dixiſſet, more grammaticorum, qui de omnibus dubijs dicere ſolent, genus herbæ, genus auis, genus lapidis. Tum Larenſius, uir Romanus inquit, uirorum optime, ſcio Ariſtophanem, in Auibus, mentionem feciſſe Porphyrionis, Pelecanis, & Tetracis. Tum Alexandrum Myndium ſecundo de auibus, non magnam auem, ſed inter paruas commemoraſſe Tetracem, magnitudine auis frugilegæ, colore figulinæ teſtæ diſtinctam, fruges comedere: cum oua pepererit, uoce τετράζειν. Epicharmus in Nuptijs Hæbæ: Capientem, ait, Coturnices, Paſſeres, Galeritas, Purpureas, Tetragas frugilegas. Poſtquam, inquit, nihil habetis, ut ex ſilentio intelligo, uobis auem demonſtrabo. Ab Imperatore enim præfectus eram Miſiæ, hanc auem ubi uidi, & ſic appellari à Miſijs & Pæonibus didici. At Tetracem eſſe ex di-

ctis Ariſtophanis recordatus ſum. Cum autem exiſtimarem dignam auem eſſe, de qua mentionem Ariſtoteles faceret, tractatum illum eius tot talentis æſtimatum (nam ipſum octingenta talenta ab Alexandro ex hiſtoria animalium accepiſſe peruagatum eſt) legens, non de eiuſmodi aue quicquam inueni. Itaq; gaudebam me habere Ariſtophanem, qui recens ab illius ætate fuit. Ac nimirum cum hæc dixiſſet, ingreſſus quiſpiam eſt, qui in calatho Tetracem ferret: hæc maximum Gallinaceum magnitudine ſuperabat, & Porphyrionis ſpeciē ſimilitudinemq; gerebat, ac quemadmodum Galli barbulas propendentes, habebat, eius uox grauis erat. Cum autem floridam & pulchram auem admirati fuiſſemus, cocta nobis non multo poſt allata fuit, cuius carnes magnarum Struthionum non diſsimiles ſæpe comedimus.

De ætate Apium. CAP. XXI.

APium quiſquam ætatem ad hūc modum internoſcere poterit: quæ anno non exceſſerunt, niteſcunt, oleiq; ſimilitudinem & ſpeciem gerunt: uetulæ uero & aſpectu & tactu horridulæ euadunt, atq; ex ætate affecta rugis plenæ uidentur: eæ tamen fingendorum fauorum experientia & induſtria præcellentiores ſunt, ex longitudine nimirum temporis ad mellis ſcientiam eruditæ. Eædemq; tanta diuinitate præſtāt, ut & pluuias, & frigora futura præſentiāt: & quando horum alterum, uel utrumq; impendere cōiecturis aſſequuntur, non longiſsime ab alueo uolatu procedunt

procedunt, ſed circum operaria uolantes, ueluti foribus incubant. Ex his rebus alueorum cuſtodes futura augurati, agricolis turbulentæ tempeſtatis aduentum prædicunt. Longe autem magis frigoris, quàm pluuiæ, aut niuis intuētes ſunt. Sæpe uero uento aduerſæ uolant, paruulum lapillum pedibus portātes, quantulus inter uolandum commode geſtari poſsit: itaq; in hunc modum contra uentorū incurſiones, & afflatus auræ, ne ex itinere deducantur, eiuſmodi firmamentum ac robur ſibi machinantur.

De Apibus inertibus. CAP. XXII.

EX Apibus quædam ſunt inertes, non tamen moribus fuci ſunt, neq; enim fauos corrūpunt, neq; melli inſidiantur, ſed ex floribus aluntur, ac cum alijs compaſcentibus ad paſtiones uolant: tametſi mellis conficiendi & condendi induſtria carent, non tamen prorſus otioſæ ſunt: earum enim quædā aquā Regi, & Apibus uetulis apportant, nam ſeniores apud Regem ad eius ſtipationē ſelectæ permanent: aliæ uero hoc munere funguntur, ut mortuas ex alueo efferāt, mundos enim & puros fauos eis eſſe oportet: mortuā apem intra alueum fauorum non eſſe patiuntur: aliæ uero ex his nocte excubāt, ſubſtructiones, non ſecus ac paruam urbem uigilijs aſſeruantes.

De ratione ædificandi Apium. CAP. XXIII.

SEniorem Cyrum de regia quam in urbe Perſarum ipſe ædificaſſet magnam gloriā adeptum fuiſſe fama celebratū eſt. Darius lautæ ædificationis ſubſtru-

ctione, quam Suſis omnium ſermone decantatã ſtruxerat, efferebatur. Cyrus minor ex hortis, quos purpuræ nitore, & gemmarũ fulgore ornatus in Lydia ſua manu conſeuiſſet, gloria magna cũ apud omneis Græcos, tum apud Lyſandrũ Lacedæmoniũ, cum is in Lydiã ad eum ueniſſet, fuit. Sed hæc pluſquã ſatis hiſtorici prædicarũt. Apium non item domos, ſolertiori ratione ædificatas, ſcripſerunt: cum illi tamen in regijs ædificandis permultos uexarunt: apibus uero, ut nihil minus moleſtũ, ſic ſolertius nihil eſſe poteſt. Primum regum cellas eminentiore loco, magna laxitate amplas ædificant, easq́; ſepimento tanquã muro quodã, ad maieſtatẽ regiam tuendã, circumuallant: ac ut ætate & conditione triplices ſunt, ſic tripartito ſuas cellas diuidũt. Quædam enim ſumma ſenectute affectæ, regiæ aulæ uicinæ, proximæ tanquam ſatellites ſunt: poſt quas habitant natu minimæ, & quæ annum non exceſſerũt. adoleſcentiores uero, & ætate cõfirmatiori, extimæ manent, ut illæ exacta ætate, ſatellites lictoresq́; regum ſint. Eæ autẽ quæ ætatis firmitate robuſtiores exiſtunt, tanq́; murus quiſpiã illarum natu minimas ſepiãt. Opinio una eſt, Apium reges non aculeatos eſſe: eſt rurſus altera, eos robore aculeorum peracutorũ armatos eſſe: nunq́; tamen eo neq; contra hominẽ, neq; contra Apes uti, quoniam non fas ſit tantæ nationis imperatorẽ malum admittere. Reliquas autem Apes, harum rerum prudentiſſimi teſtantur, in conſpectu ſuorum imperatorũ aculeos ſum

leos ſummittere, quaſi faſceis, ueluti imperio, poteſtateq; his cedentes. Iam uero hoc utrūq; in illis regibus quiſpiam admirari poſsit, ſiue aculeo careant, ad inferendam iniuriam, ſiue quia habentes, ab iniuria aculeos abſtinere queant.

De Apium inſidiatoribus. CAP. XXIIII.

HOſtilem in modum Apibus inſidias moliuntur pari auiculæ Veſpæ, Hirundines, Serpentes, Aranei, à quibus omnibus Apes de uita ſua incredibiliter timent. Apiarij pulicariæ ſuffimento, aut uiridi papauere, locum ante alueos ſternendo cum eiuſmodi animalia ab eis depellunt, tum Veſpas hoc modo comprehēdunt: ante earum nidos naſſam, in quam prius paruulam Mænam aut Membradē, cum Chalcide imponi conuenit, appendunt: eæ uero ſua natura edaci eſca allectæ, frequētes in naſſam incidūt, quibus naſſa comprehenſis, non amplius retro regredi licet, ſimul & eas aqua cōſperſas facilius interimūt, aut igni cremant. Lacertæ item inſidias in Apeis faciunt, ac terreni Crocodili peſtē perniciemq; illis inſtruunt, farina ad ueratrum admiſta, aut maluæ ſucco ſuffuſa, ante alueos diſperſa, guſtantibus illis omnibus modo commoratis perniciem affert. Aranei ante alueos ad lumen accenſæ lucernæ, cui uas aqua plenum ſubiectum ſit, uolitātes, in oleum decidunt, ac ſic pereunt, alia ratione non facile tolli queunt. Soboles Ranarū lutariarum, ſi quis in earum lacum uerbaſci nucisue folia inijciat necatur, pari aues guſtatu farinæ uino

dilutæ, primum ebriæ factæ capite grauantur, denicꝫ cadunt, & abiectæ uolare non queunt, & facile tolluntur. Hirundo muſicæ reuerentia permotis non ab apiarijs occiditur, alioqui ad necandum facilis, ſatis enim eſt eas prope alueos nidificare prohibere. Tetro odore non modò Apes offenduntur, ſed unguento odorato, tanquam enim puellæ urbanæ & modeſtæ teterrimũ odorem præclare contemnunt, & unguẽti ſuauitatem à ſe deteſtantur.

Quod ex Bubus Apes naſcuntur. CAP. XXV.

GEnus Bubulum plurimas commoditates habet, homines enim ex eo infinitis commodis afficiuntur. Primum cum hominibus Boum ſocietas rei ruſticæ, & uectionis uariorũ onerum cõmunitas intercedit: deinde lactis ex hoc magna utilitas percipitur, arꝫ exornãtur, ac hominũ conuentibus epulum copioſiſſimum præbetur. Bos mortuus generoſa quædã res, & dignitatis plena exiſtimanda eſt, quòd Apes ex illius reliquijs enaſcuntur, animalis operoſiſſima, fructúmcꝫ utiliſsimũ & ſuauiſsimũ homini comparãtia.

De Apibus. CAP. XXVI.

QVædam ex apibus duces appellantur, quædam ſirenes, aliæ operariæ, aliæ figulæ. Nicander ait Cephenas fructum afferre, atque in Capadocia mel ſine fauis Apes conficere ferunt, id'cꝫ ut oleum perinde pingue eſſe. In Trapezunte Pontica ex buxo mel naſci accepi, hoccꝫ cum eſſe odoratu graue, tum eos qui deducti ſunt de mente, ad ſanitatem reſtituere,

atque comitiali morbo laborantes ſanare. Itemq́ in Media mel ex arboribus ſtillare, ut ait Euripides in Bacchis: in Cithærone dulceis ex ramis guttas manare: in Thracia ex plantis mel naſci dicitur: in Mycono non gigniť Apis, quinetiã importata moritur.

De ſtudio Apum erga regem ſuum.
CAP. XXVII.

REgem ſuum Apes lenitudine imperij dulcem, & manſuetudine morum ſuauem, nulloq́ ſpiculo armatum, cum is defugiẽdo ipſas reliquit, accerſunt, & fugitiuum à regno inſequuntur: ipſum autem ſagaciſsime odorantur, ac nimirum ex eius odore deprehenſum, ſua ſponte moderationis amantes, de fuga in regnum reducunt. Athenienſes de ciuitate Piſiſtratum expulerunt, atque principatu exuerunt. Dionyſium Syracuſani regno eiecerunt: Alij alios tyrannos iniquos, & regnandi artem, quæ humanitas & ſubditorum moderatio eſt, factitare neſcientes, ex tyrannide deiecerunt, & omnibus fortunis funditus euerterunt.

De earum rege. CAP. XXVIII.

APum Regi curæ eſt, modũ alijs ſtatuere, ordinẽ afferre: alias enim aquari iubet, alias intus mella fingere, extruere, expolire, ſuggerere: alias uero ad paſtiones proficiſci, mutationem operarum & uiciſsitudinem munerum faciunt: prouecta ætate probe ad id delectæ ſunt, ut domo ſe teneant: Rex ipſe ſatis habet illa curare quæ ante dixi, leges nimirum, perinde

ut ſummi principes, dicere: quos philoſophi uel politicos, uel ad moderanda regna aptos eſſe ſcribunt. Cæterum munerum operoſorum immunitatem habens, ab laborando quieſcit. Quòd ſi migratio potius ad uſum ſit, quàm manſio, tum Rex pergit emigrare, ac ſi ab ætate firmus ſit, antecedit examen, dux ad proficiſcendum, reliquæ eius ductu ſequuntur. Sin ætate affectus ſit, cæteris Apibus uehitur. Signo dato ſomnum capiunt, cum tempus eſt ad quietem proficiſci, una quæpiam à rege iubetur ſomni ſignificationem dare, quæ ſimul ut ad dormiẽdum ſignum ſuſtulit, ſtatim eæ ſomnum accipere pergunt. Quoad Rex uiuit, tandiu examen pace fruitur, omniſq; ordinum perturbatione caret: Fuci ſuis cellis libenter ſe continent, ſeniores ſuum locum habent, natu minores item ſuum. Et Rex ſeparatim à reliquis habitat, ſoboles Apum poſt manet. Excrementa in locum ſeparatum congeruntur. Rege extincto, omnia perturbantur, & funditus peruertuntur. Fuci in Apum cellis pariunt atq; miſcent, omnia deniq; regis defectione ac inopia pereunt. Tum etiam purè & mundè uiuunt, nullius animalis carnes edunt: neque tamen ad hanc cautionem Pythagore ſymbolum ijs opus eſt: ſatis habent floribus ueſci, quòd maxima temperantia ſint: libidinem & delicias odio perſequuntur, cuius rei teſtimonio eſt, quòd unguento delibutum inſectantur, & tanquam hoſtem qui nefarium quippiam admiſerit, exagitant: à complexu uenereo recentem

centem cognoſcunt, atque illum ſicut hoſtem inſe-quuntur: fortibus nihil concedunt, neque ab anima lium ullo refugiunt. Cum ijs qui ſibi moleſti non in-teruenìunt, quícq; nec malitioſe, nec doloſe alueos adeunt, pacem ſeruant, fœdereq́; deuinciuntur. Contra inexpiabile bellum cum interpellantibus & uexãtibus gerunt: mellis populator in hoſtium numero locoq́; ducitur. Veſpas acerrime uerberant, eas aliquando equum Ariſtoteles affirmat, non modo fortiſsime inuaſiſſe, ſed etiam interimiſſe. Atque inter ſe contendunt, & potentiores uincunt debiliores. Eis nocent Rubetæ, & Ranæ lutariæ, Meropes, Hirundines, & Veſpæ, quas quicũq; uicerit, Cadmeam reportat uictoriam; nam ualde afflictus, aculeis diſcedit uictor, non enim animi robore minus quàm aculeis armatæ ſunt.

Quemadmodum Apes hyeme ex alueis non ſe mouent. CAP. XXIX.

HOc quidem ipſum Apum ſedulitati & operoſo labori teſtimonio eſt, ab occaſu Vergiliarum ad uernum æquinoctium in locis hyberno frigore infeſtiſsimis non ſe ab alueis commouent, ſed temporis deſiderio, & frigoris fuga intus manent: reliquo anni tempore ſegniciam & otium odio habentes, diligentiſsime & laborioſiſsime operantur: nec quiſpiam extra hyemale tempus, ac morbum, uideat Apẽ otiari.

De Geometria Apum. CAP. XXX.

GEometriam, figurarum pulchritudinem, fingendi elegantiam, ſine arte, ſine regulis, ſine circino, ſimul & figuras ſexangulas, & ſex laterum, & æqualium Apes conficiunt. Cum autem ex ſobole alueus Apibus redundat, tanquam maxime urbes hominum multitudine redundantes, ſic illæ colonias deducunt. Ingruentis pluuiæ aduētum præſentiunt. Cum in fugam ſe erumpunt, & ab alueo aberrare cœperūt, tum apiarij crepitaculis ſonoris concrepant: eæ uero tanquam Sirenibus retrahuntur, atq; adeo in conſueta domicilia reuoluant.

GYLLII ACCESSIO.

De Apibus. CAP. XXXI.

APes ſolitudine gaudent, hominum autem acceſſu offenduntur, conſuetas paſtiones amant, nec libenter loco ſe monent, ut ad alienas proficiſcantur. Cum omnibus ad ſe appropinquātibus infeſtæ ſint, tum maxime uinum, aut unguentum olentibus, & ueneris libidine flagrantibus.

De Fuco. CAP. XXXII.

FVcus, qui inter Apes naſcitur, de die in mellarias cellas abditus manet, nocte uero cum Apes dormire obſeruauerit, eorum opera inuadit, uaſtatq; alueos. Hoc illæ cum intellexerunt, plurimæ enim Apium dormiunt, nempe defeſſe, paucæ uero excubant. Cum uiderint furem, uerberant eum, modice & leniter, expelluntq; alis, & in exilium proijciunt. Iſte uero non ob id corrigitur, ſua natura piger, & uorax

uorax eſt, duobus malis præditus intra fauos ſe abdit. Vt uero ad paſtionem Apes profectæ ſunt, ille rurſus opus inuadens, quod ſuum eſt, facit, confercit ſe melle, & depopulatur theſauros dulceis Apum: eæ ex paſtione redeuntes, cum ei occurrerint, non amplius leniter eum uerberant, neq; tanquam eſſent in exilium eum eiecturæ, ſed aſperè aculeis inuadentes, percutiũt latronẽ: nec amplius mulctatur increpationibus, ſed uoracitatis & gulæ nimiæ pœnas uita perſoluit. Apiarij hæc dicunt, ac mihi perſuadent.

De Muſca. CAP. XXXIII.

MVſca, etſi ad omnia audax exiſtit, ſi tamen in aquam decidat, nec natare ſcit, nec ex ſubmerſione ſe ſeruare quit, ſi eam humore exanimatam extrahas atque in cinere condas, ad priſtinam uitam reuiuiſcit.

De Aſilo & Tabano. CAP. XXXIIII.

ASilum maxime ſimilem Muſcæ eſſe ferũt, robuſtum, & bene compactum, habere quoq; aculeũ durum & ualidũ ex ore appenſum, ſonumq́; tumultuoſum edere. Tabanum autem ſimilem uideri Muſcæ caninæ, ſonum ut Aſilo maiorem edere, ſic aculeum minorem poſsidere.

De Locuſtis. CAP. XXXV.

AD Arridophagos deſertæ regionis confiniũ accolẽtes maxima macie ac nigrore infuſcatos homines uerno tempore Zephyrus & Libycus uenti ex deſerto maximam Locuſtarũ uim conferunt, Aethio

pes ad fruendas eas aſſueti in conuallem longe lateq́ꝫ patentem ex proximis locis materiæ plurimum comportant, ac cum Locuſtarũ tanquã nubes uentis ſupra uallem feruntur, congeſtam materiã & conciſam antea loci herbã funditus incendunt, Locuſtæ ingẽti fumo ſuffocatæ, paulo ultra uallem ad terrã tanta copia decidunt, omni illi nationi ut abunde ſuauẽ uictũ ſufficiant: eas enim ſale conditas, ad ueſcendum ſeruant: non enim in omni uita quicquam aliud, neque pecorum carnes quibus carent, comedunt, neque piſces, à mari longe remoti.

De Veſpa. CAP. XXXVI.

EQui cadauer proiectum Veſpas gignit: ex huius putreſcentis medulla euolant Veſpæ, nimirũ uolucris progenies ex equo animali uelociſsimo.

Veſpæ regno, non tyrannide reguntur. CAP. XXXVII.

SVb regnum & poteſtatẽ Veſpæ etiam ſubijciuntur: non tamen ſicut homines tyrannide tenẽtur, cuius rei teſtimonio eſt, & quòd ſine ſpiculo ſunt, & quòd earum principes, quanquã duplo maiore corpore ſunt, & manſueti tamen ſunt, & qui neq́ꝫ uolentes, neq́ꝫ inuiti moleſtiam exhibere poſsint. Quis igitur non oderit in Sicilia Dionyſios, in Heraclea Clearchum, Apollodorum, Caſſandrinorum prædonem. Siquidem hi gladiorum confidentia regnarunt: Reges uero Veſparum, ſine aculeo manſuetudine nituntur.

De acu

De Aculeatarum Veſparum malitia.
CAP. XXXVIII.

Aculeatæ Veſpæ illud facere dicuntur, in Viperam quam mortuã perſpexerint inuolãtes, ueneno aculeũ imbuũt: unde mihi homines, diſciplinã nõ eam quidẽ bonã, ueneno inficiendi ſagittas hauſiſſe uidentur: quod quidẽ ipſum Homerus in Odyſſea teſtatur, cum ait, Venenũ quærens, ut iacula ærea obliniret. Ac ſanè Hercules ut hydræ ueneno iacula tinxit, ſic Veſpæ uiperina acerbitate aculeos afficiunt.

De Cicadis. CAP. XXXIX.

CAeteræ aues Indiæ os expreſſum habent, ac orę ualent ad cantũ, moreq́ hominũ lingua loquuntur. Cicadæ non ita, ſed mẽbranulæ uerberatione loquũtur: Rore ueſcũtur. A prima luce, donec impleantur hominũ cõuentu fora, ſilent: uigore ſolis progrediẽte, cantare aggrediunť: & tanq́ laborioſi cantores ſupra caput meſſorum ſtantes, aures ipſorum, & paſtorum, uiatorumq́ demulcere ſtudent. Hoc autem cantandi ſtudium, ſolis maribus à natura tributũ eſt: Cicada fœmina muta eſt, ac more ſponſæ, uerecũdæ ſilentium ſibi conuenire exiſtimat.

De Cicadis Rheginenſibus & Locrenſibus.
CAP. XL.

RHegini & locri pacem inter ſe habẽt, atq́ utriſq́ ad alterorũ agros accedere & agricultionẽ exercere liberum eſt. Cicadæ tamen cum ijs non ſentiunt: nam Locrenſes in Rhegino agro ſilent: Rheginæ ui-

ciſsim Locris mutæ ſunt. Huiuſce ſilentij nec ipſe cauſam, necꝙ quiſquā alius, niſi ad diſſerendū ſit temere audax, intelligit: ſola natura nouit. Fluuij igitur etſi inter Rheginos & Locros medij ripæ non iugeris ſpatio diſtant, tamen neutræ tranſuolant Cicadæ. In Cephalenia fluuius eſt, qui inter Cicadarum ſterilitatem & copiam medius interfluit. In Macedonia etiam Cicadarum genus mutum habetur.

Cicadarum nomina. CAP. XLI.

CIcadarum genus multiplex à peritis harum rerū & collectum & nominatū eſt. Vnum appellatur ex colore Cinereū, alterum Membrax, quod quidē nomen neſcio cur huic generi impoſitum ſit: aliud argutum, aliud Cercopam, aliud Achatiam nuncupāt: tot Cicadarum genera me audiſſe memini, cui plura ueniunt in mentem, explicet.

De animalibus unū diem uiuētibus. CAP. XLII.

ANimalia Ephemera idcirco ſunt appellata, quòd id ætatis uiuūt, ut uno die curſum uitę conficiāt, ex fece uini aceſcenti originem trahunt, aperto dolio ut in lucem ſuſcepta ſunt, è uita excedunt, ea facilitate prædita, ut ingredi quidem in uitam natura illis det, malis quidem quibus uita referta eſt, celerrime liberet, ne nimirum quam partem ſuarum calumnitatum ſentiant. Ariſtoteles ait beſtiolam apud Hypaniū fluuium, unum diem uiuentem, ſub lucem matutinā naſci, poſt autem ad ſolis occaſum extingui.

De Pyrauſta. CAP. XLIII.

EX ignis fulgore Pyrauſta, quod uehementi afficitur uoluptate, idcirco cum flamma uel maxime uiget, ad lucernas aduolat, atque nonnihil apprehendere uidetur, at enim delapſus uiuus comburitur.

De Pyrigonis. CAP. XLIIII.

TErra mariq́ꝫ naſci animalia nihil mirum: nam materia nutrimentum, & natura horum cauſa eſt. Ex igni uero generatas beſtias uolucres exiſtere, nuncupatas Pyrigonas, & in eo ipſo igni uiuere, & ali, hucq́ꝫ & illuc uolare, hoc admirabilitatem facit. Illud item admirationem excitat, cum extra ignem nutricium egrediuntur, & frigidum cœlum attingunt, ſtatim exeunt è uita. Quæ autem cauſa ſit, exigui ut naſcantur, contraq́ꝫ aëre temperato elemento extinguãtur, alijs dicendum relinquo.

De Muſicis auibus. CAP. XLV.

CAntu ualent Hirundines, Merulæ, & Cicadarum genus. Scimus etiam Picas loquaces eſſe, & bombis ſtrepere locuſtarum nationem, & muſicas eſſe Halcedines, Pſittacos. Item auium alias flebili & muliebri, alias acri & contenta uocalitate uti, alias ſe migrantes de ramo in ramum, tanquam ex priore domo in aliam, occinere: alias in pratis cantantes, tanquam feſtos dies agere, & uitam (ut ita dicam) floridam & mollem degentes, ueris aduentum canoris omnibus, & lætis acclamationibus excipere. Pica cum alias uoces, tum maxime humanam imitatur:

Florus, equi hinnitum: Salpinx, tubæ ſonitum: & Torquilla, obliquam tibiam imitatur. Imbrium guttas Coruus effingere conatur.

De auibus cantum mutantibus, itemq́ de marino Lupo & Ceruario terreſtri. CAP. XLVI.

LVſcinia colorem & uocem per æſtatem in aliam ſpeciem immutat, neque enim ſic cantum uariat, diſtinguit, inflectit, acuit, quemadmodum uerno tempore. Merula æſtate quidē canit, at enim hyeme ſtrepit, & quaſi ueſtis mutatione facta, ex nigro colore in ruffum conuertitur. Turdus uere inſpicitur murino colore, æſtate uarietate circa collum coloris diſtinguitur: Et uero piſces ex alio colore in alium mutabiles ſunt, ut Turdi, Merulæ, Fucæ, Mænæ. Lupi item ceruarij æſtiuo tempore à pilis nudi, hyberno contra hirti efficiuntur.

Quemadmodum plantæ ramus alienæ arbori inſeritur opera auium. CAP. XLVII.

VNius plantæ ramus ſæpe innaſcitur & ſuccreſcit alienæ arbori. Cauſam cur id fiat Theophaſtus, abſtruſas rerum naturas perſcrutatus, affert: Aues enim arborum fructum comedentes, poſteaq́ in arboribus conſidentes, excrementa gerere, ſemenq́ in cauernas delapſum pluuia irrigatum enaſci & pullulare, itaq́ in oliua ficum, in alijsq́ alias ingenerari.

De Arabiorum animalium uarijs coloribus, & de rubri maris Oſtreis. CAP. XLVIII.

Arabiorum

ARabiorum animaliũ uarius color & multiplex, omnem picturam longe multumq́ superat, neque modò magna animalia & generoſa hac permulta colorum uarietate picta, atque ornata ſunt, ſed etiã ignobilia: etenim Locuſtæ & Serpentes aurei coloris ſimilitudinem ſpeciemq́ gerunt, tum maris rubri ad Arabiam pertinentis Oſtrea huius ſplendoris expertia haudquaquam ſunt: imo uero flammeis illuſtratus zonis, ea ut diceres uarij coloris temperatione ad Iridis ſimilitudinem accedere: adeo lineis perpetuo ductu æque inter ſe diſtantibus diſtinguuntur, atque deſcribuntur.

Animalium diuerſi ſoni. CAP. XLIX.

QVemadmodum homines uarijs linguis loquũtur, ſic animalibus rationis expertibus natura comparauit ut diuerſum quiddam & uarium ſonent. Ex hominibus aliter Scytha, aliter Indus loquitur, aliter Græcus. Animalium alia fremunt, alia mugiunt, alia hinniunt, quædam rudunt, quædam latrant, alia rugiunt, nonnulla clangunt, aut ſtrident, alia ſuauiter cantant: ſunt etiam quæ balbutiant: & ſexcenta naturæ dona alia alijs animantibus propria exiſtunt.

Quemadmodum aliena hortatione non egent beſtiæ ad fortitudinem, ſicut homines.
CAP. L.

HOmines ut boni uiri ſint, hortatione egent, & ſuaſionis oratione plena, quæ & metum tollat, & addat animos. Athletæ quidem ad ſtadia hor-

tandi ſunt, milites ad arma. Robore non item extrinſecus aſſumpto beſtiæ egent, at ex ſeſe potius uires incitant, & ſemet confirmant, Aper quidem pugnaturus, lapidibus (Homero teſte) dentes exacuit. Leo ne quid ignaue faciat, flagellans ſemetipſum cauda excitat. Elephanti autem ad certamen ut incendantur, promuſcide ſeſe uerberant: neque tamen ad hoc ipſum cuiuſquam egent præceptis. Taurus gregis dux, cum ab altero fuerit duce ſuperatus, ſe in quendam locum ab alijs ſegregat, & ſemetipſum non alieno impulſu, ſed ſua ſponte exercet, atque omni contentione cornibus, calcibus, unguibus certat: Cornua quidem in arbores infligit, pedibus puluerem ſpargit, cæteriſq; exercitationibus ſeſe accommodat: à uaccis ſe continet, ſicq; à uenere abſtinet, & libidini ſuæ moderatur: Quemadmodum Ictus paleſtrita Tarentinus, quem Plato toto certaminũ tempore omnis coitus expertem permanſiſſe affirmat. At enim Ictum ratione præditum, atque Olympiorum cupidum, ſimul & gloriæ ſenſu affectum, nihil admodum mirum uideri debet, emendatè, & ſumma corporis caſtimonia uixiſſe. Nam ei præmia propoſita uidebãtur illuſtria, Pinnus Iſmica, Laurus Pythica, Oleaſter olympicus: tum uero ſperabat ſe quoad uiueret circumſpiciẽdum eſſe, & cum è uita exceſsiſſet, magnam laudem ex ea re adepturum. Amœbæum citharœdum accepi uxorem duxiſſe, omni tamen tempore cum in certaminibus uerſaretur, ab ea ſe abſtinuiſſe. Diogenes, tra

gœdiarum

gœdiarũ actor, uniuerſum omnino ueneris uſum ab-
iecit. Clitomachus Pancratiaſtes Canes ſiquãdo com
plexu uenereo iunctos perſpiceret, oculos ab eorum
conſpectu remouẽs, & totum ſe auertebat: & ſi quod
in conuiuio uerbum laſciuum, libidinoſum audiſſet, à
conſeſſu exurgens, diſcedebat. Atqui homines ratio-
ne ualentes, hæc uel ad quęſtum, uel ad gloriã feciſſe,
non magnam admirationẽ habet: At tauro ſuum ad-
uerſarium uincenti, quæ præconia ò Plato laborum
deferuntur? aut quæ decernuntur præmia?

De animalibus quæ in Plutonis hiatum
deijciuntur. CAP. LI.

APud Arianos Indos hiatus Plutonis eſt, in cu-
ius profundo occultæ cauernæ, & receſſus im-
menſi, & hominibus incogniti. Quemadmodũ autem
ſit in tantam altitudinem depreſſus, necꝫ Indi expli-
cant, necꝫ id cognoſcere admodum laboro: Amplius
tria millia diuerſorũ animalium Ouium, Caprarum,
Boum, eò agunt Indi, ac nimirum ſecundũ quietem
quicũcꝫ pernicioſæ rei metu perculſus fuerit, mal'ue
auſpicij auem inſpexerit, pro facultatibus ſuis ſe redi
mens, deijciẽda curat animalia, quæ quidem ipſa nec
conſtricta uinculis, ſed ſua ſponte uiam conficiũt, tan-
quam illecebris quibuſdã allecta: poſtea uero quàm
ad barathri fauces acceſſerũt, non inuita deſiliũt: necꝫ
ſanè poſtquã in hiatum immenſum & cæcum incide-
runt, amplius hominibus comparent: Boum tamen
mugitus, & Ouium balatus, Caprarũ uox, Equorũ

hinnitus exaudiuntur: ac ſi quis aures illius faucibus admouerit, diutiſsimæ eiuſmodi audiet, neque enim ſanè promiſcuus ſonus ceſſat reſonare, quòd eò quotidie præcipites beſtiæ aguntur. An ne uero ſolæ recentes deiectæ exaudiuntur, an etiam ne ex primis quædam, haud equidem ſcio.

Quemadmodum pingueſcunt animalia.
CAP. LII.

REi paſtoritiæ peritos audio, cum ad pinguitudinem uolunt animalia perducere, cornua eis amputare: ad coitum uero procliuiores Hircos cum efficere ſtudent, horum nares & mentum odorato unguento perungere, contráq; eoſdem medijs caudis limo alligatis, à uehementi coitus appetitione reprimere. Abortum Equa facit, ſi paulo uehementius fumãtis funiculi odorem extinctæ lucernæ ſenſerit. Itémq; ut ne Canes aufugiant, audio hac machinatione ac ſolertia retineri; Eorum caudam primum arundine, quæ butyro ſit oblita, dimetiuntur: deinde hanc eis ad lambendum concedunt: eo fit, ut poſtea tanquam ligati permaneant. Vis etiã hæc eſt Canis, ut eum non latret, qui Muſtellæ caudã ſecum habeat, modò abſciſſa cauda uiuam dimittat. Aiunt etiã Aſinum, ſi ex eius cauda lapidem appendas, non rudere.

Vbi crebrius abortus fiant. CAP. LIII.

IN Auſtrinis uel regionibus uel tempeſtatibus partus magis relaxari, atq; adeo excidere, Democritus ait, quàm Septentrionibus. Quod quidem ipſum cur fiat,

fiat, cauſam affert: Quia uentrem ferentibus corpora Auſtro laxentur, & diſſoluantur: idcirco receptaculo dilatato, & longe lateq; diffuſo, & male compacto partus errare, & uagari: eoſdemq; calefactos huc & illuc dilabi & diffluere, ac iam locis diſcluſis & remiſſis facilius excidere. Contrà ſi tempeſtas ſit frigida, & Septentriones uenti ſint, locorum aſtrictione fœtus contrahi, & comprimi, ut de locis dimoueri ac depelli nõn queant: nec ſane diſſolutione & laxitate quaſi tempeſtate quati, præſertim cum ab perturbatione conquieſcant & firmiſsima ſede diſtringantur, & ut facile ad pariendi tempus durare poſsint.

Quænam facile capiantur à quibuſdam. CAP. LIIII.

NVllo negotio Lupi Aſinos comprehunt, & facile è uita tollunt. Meropibus, Apes: Hirundinibus, Cicadæ ſunt faciles captu: à Ceruis ſerpẽtes expedite capiuntur, & interficiuntur: Pardalis curſus celeritate cum alia pleraq; aſſequitur, tum uero maxime Simias aſſequitur.

Quemadmodum diuerſæ nationes uario modo beſtijs utuntur. CAP. LV.

HAec etiam non à cognitione, ſcientiaq; animaliũ abhorrent: Scytæ ligni inopia quæ Dijs immolant, eorundem oſsibus ſuccenſis coquunt. Apud Phryges, ſi quis aratorem Bouem occiderit, morte mulctatur. Sagarenſes quotannis ſumma aduerſus

Mineruam obſeruantia ei celebrant Camelorum cer tamen: enimuero uelociſsimi apud eos procreantur. Saracori Aſinis ad ferenda onera nec utuntur: neq; tamen otioſos, ſed bellatores habent: & quemadmodum in Equis Græci ſedentes, ſic Aſinis hi bellica pericula excipiunt. Clearchus peripateticus dicit ſolos de Peloponnēſibus Argiuos certis quibuſdā diebus, quos illi ſacros agunt, ſerpentem non interimere. Sin Canis in forum ingreditur, eum interficere. In Theſſalia uero is qui uxorem ducturus eſt, pro nuptijs ſacrificans, Equum bellatorem inducit frenatum, & omnibus armis inſtructum: Deinde ſacrificatione facta, Equum uxori habenis ducendum tradit. Iam porrò id quam ſignificationem habet, Theſſalis explicandum relinquo. Tenedij olim præſtantiſsimam grauidam uaccam alunt, & cum peperit, tanquam ſanè puerperæ inſeruiunt: Pullum recentem natum coturnis induti immolant: qui eum ſecuri percuſſerit, lapidatione facta appetitur, atque ad expiandam occiſionem in mare fugit.

De inuidis beſtijs. CAP. LVI.

TRiſte eſſe nomen inuidiæ, omniq; dedecore infame, Euripedes inquit: quod etiam in nonnullis animalibus rationis expertibus habitat, penitusq; inhæret. Stellio enim, ut Theophraſtus ait, ſimulatque ſenectutem membranā hybernam exuit, eam uorans conſumit, ob inuidiam, ex qua laborat aduerſus hominem, quòd ſuam tuniculam planè ſcit cōtra comitiales

tiales morbos plurimum ualere. Ceruus item non inſcius dextrum ſuum cornu uſui magno hominibus eſſe, hoc ipſum inuidia flagrans ne tanto bono homines fruantur, in terram occultat. Equa pariter non ignorat ſe unà cum pullo amoris ueneficia parere. Idcirco ſimulatq; editus pullus eſt, id agit, ut carunculam in pulli fronte innatam magnitudine caricæ, colore nigro, nuncupatam hippomanes, uoret. Hi autem qui per præſtigias & captiones mulieribus illudere ſolent, uim aiunt quandam alliciendi ad libidinem, atque amatoriam flammam excitandi habere: eamq; ob rem Equa furens inuidia, non homini has præſtigias permittit aſſequi. Vitulus marinus ſuum coagulum mortalibus inuidēs, ne eo comitiales morbi ſanari poſsint, deuorat.

Quemadmodum beſtiæ quædam ſine morſu mortem inferunt. CAP. LVII.

MEgaſthenem audio dicentem, in mari Indico quendam piſciculum naſci, eumq; quoad uiuit, in profundo quidem natantem non apparere, mortuum uero ad ſummam aquam exiſtere, & fluitare: qui eum contigerit, animi defectionibus primum tentari, deinde obire mortē. In libro de Theriaca Apollodorus ait, eum qui Cherſydrum cōculcauerit, etiam ſi morſus non fuerit, mortem cum uita commutare: quod eius tactus quiddam omnino tabificum habere dicatur: tum ei qui curare & quoquo modo remedium afferre moriēti tentauerit, ex ſola eius, qui con-

culcauit, tactione puſtulas ipſi exoriri. Ariſtoxenus quodam loco dicit, uirum qui Serpentem quandam interfeciſſet, nullo morſu ab ea affectum, ex ſolo tactu uitam amiſiſſe: illiusq́ue ueſtẽ, quam eo tempore cum Serpentem interimebat, geſtaret, non ita multo pòſt putruiſſe. Nicander Amphisbenæ pellem inquit, baculo circuniectam omnes ſerpentes pellere.

Quædam beſtiæ poſtquam attigerunt uenenatum quippiam, acerbiores ſunt ad plagas.
CAP. LVIII.

NOn eam uim ad plagas & morſus ſemper habẽt animalia, ſed ſæpe propter cauſas quaſdam morſus acerbitas intenditur. nam guſtata Serpente Veſpa, longe morſu infeſtior eſt. Muſca item, cum eiuſdi quippiam attigerit, acriores morſus habet, & dolorem maiorem facit. Aſpidis morſus ſi Ranam comederit, inſanabilis omnino fit. Canis ſi incolumis momorderit, uulnus quidem infert & dolorem, non tamen peſtiferum inurit: ſin rabioſus plagam inflixerit, perniciem molitur. Primo enim aquę metũ inijcit, deinde ingraueſcente rabie in dolorem exardeſcit, & latrat, denique moritur. Cum autem ueſtem quam rabidus Canis laceraſſet ſarcinatrix mordicus, ut eam ſarciret, tenuiſſet, in rabiem acta perit. Ieiuni hominis morſus acerbior eſt, atque ad ſanandum difficilior. Scythæ dicuntur ad toxicum, quo ſagittas obliniunt, humanum ſanguinem admiſcere.

Quem

Quemadmodum apud Indos lac dulceſcit.
CAP. LIX.

IN India,& maxime in Praſiorum regione, liquido melle pluit: quod in herbas, ac paluſtrium arundinum comas decidens,mirificas paſtiones ouillo & bubulo pecori præſtat: quod quidem ipſum à paſtoribus eò, ubi dulcis plus roris de cœlo delapſum eſt, agitur: & ſic illis paſtionibus tanquam epulis iucunde accipitur,paſtoresq́ uiciſsim prolixo epulo compenſat: nam ex pecore ſuauiſsimũ lac exprimit, neq́ ſicut Græci faciunt,mel miſcere & temperare habent neceſſe.

Quænam animalia apud quoſdam uenerationem habent. CAP. LX.

LVpum Delphi colunt: Samij Ouem uenerantur: Leænam Ampraciotæ adorant. Cauſas autem quamobrem huiuſmodi beſtias diuini cultus honore proſequantur,non alienum eſt, explicare. Delphis aurum ſacrum furto lectum, direptumq́, & in Parnaſſo defoſſum,ſicut dicit Polæmon,inueſtigauit Lupus Samijs: item aurum furto ſublatum Ouis inuenit: Quare Mandrobulus Samius Iunoni Ouem conſecrauit. Ampraciotæ Leænam, quòd tyrannum ſuum laceraſſet,& diſtraxiſſet, idcirco ut ſuæ libertatis uindicem,ſumma religione colunt. Miltiades treis Equas Olympiæ occiſas, ſepulturæ honore in Seramico affecit. Euagoras Lacon,idemq́ Olympionices Equos ad ſepulturam magnifice dedit.

Quæ animalia quibus locis non ſint. CAP. LXI.

BOeotiæ terræ ſolum Talpis caret: iiſdem Lebadia non foditur, ac ſi importentur aliunde, moriuntur: ad eius uicinam Orchomenem permultæ procreantur, & arua ſubruunt. In Africa nulli ſunt neque Apri, neque Cerui. In Ponto neque mollia neque teſtacea, niſi raro & perpauca gignuntur. Vnicornes aues in Aethiopia, & Sues tricornes: itemq́ꝫ ouillum pecus à lana quidem inops, ueruntamen pilis Camelorum hirſutum eſt.

Quemadmodum fœminis mares præſtant.
CAP. LXII.

IN rationis expertibus mari prærogatiuum honorem atque præſtantiam quandam natura largita eſt: mas enim Serpens criſtam habet: Gallus item formæ excellentia illuſtratur: Ceruus cornibus præſtat: Iuba leo antecellit: Cicadarum mas uoce anteit.

De animalibus mutuo inter ſe odio flagrantibus.
CAP. LXIII.

GAllinaceum ac ignem Leo: Pardalim, Hyena: Stellionem, Scorpius hoſtiliter odit. Scorpioni Torpedo admota, eum comprimit. Draconem Elephantus perhorreſcit. Omne iumentum Muſtellam reformidat. Aſtacus Polypum extimeſcit. Attagenes & Gallinacei inter ſe inimici grauiter ſunt. Inimicitiæ intercedunt Cornici cum Circo. Mutuo uterqꝫ in alterum odio pelagius Accipiter & Coruus flagrant. Cum Turture Coruus & Circus inſitas inimicitias gerunt

gerunt: & Turtur uiciſsim hoſtili odio ab utroque diſsidet. Ciconia non modò magno Veſpertilionis odio tenetur, ſed hæc etiã illius. Pelecanes de Coturnicis exitio acerbe & crudeliter cogitat: rurſus Coturnix ab ea uehementer diſſentit. Inimica inter ſe Teſtudo & Perdix, Ciconia, crex, Harpa, Herodius, Galerita: cum Lygurino diſsidet Turtur: cum Ignaria, Miluus & Coruus hoſtes ſunt. Sirenes Apes diſsident cum Circa. Itemq́ꝫ Circa & Circus non ſolum genere, ſed & natura inter ſe diuerſi ſunt.

De amicitia & inimicitia diuerſorum animalium.

CAP. LXIIII.

ID ſummam mihi turpitudinem habere uidetur, quòd non inter ſe homines amant, cum expertia rationis animalia amicitiam inter ſe faciant, & retineãt: neqꝫ modò ea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, uerum etiam inter ſe nihil genere attingentia. Cum enim Capris Oues amicitia coniunctæ ſunt: Cum Turture amicitia Columbæ intercedit: Palumbes item & Perdices bene inter ſe ſentiũt: Alcedo & Carulus mutuo inter ſe amore tenẽtur: Cornix & Ardeola mutuam inter ſe amicitiã colunt: Gauia cum Monedula amoris coniunctionem habet: Cum Harpa Miluus amicitiam ſeruat. Contrà, Cornices & Noctuæ inexpiabili bello diſsident: hoſtes ſunt Miluus & Coruus: itemq́ꝫ Ignaria & Turtur: ac rurſus Luteus cum Turture diſsidet: Vultures & Aquilæ, Cygni & Dracones hoſtes inter ſe ſunt.

Diuerſorũ animaliũ repugnantia. CAP. LXV.

HIenæ umbra Canes obmuteſcere facit. Odorũ, & unguentorum ſuauitas Vulturibus mortem affert. Olori autem cicuta perniciem infert. Quãtum uero Camelum Equus reformidet, Cyrum & Crœſum cognouiſſe aiunt. Theophraſtum audio dicentem, Cretam Lupis & Serpentibus infeſtiſsimã eſſe. Macedonicum uero Olympum à Lupis non adiri ſolere. Capras item Cephalenidas ſex menſibus non bibere. Abidenas autem Oues nullas uideri albas, ſed nigras omnes ferunt.

Quæ gentes à minutis animalibus deletæ.
CAP. LXVI.

MVſcarum multitudo Megarenſes ſedibus pepulit. Phaſelitas Veſpæ fugarunt. Scolopendræ exegerunt Rhœtienſes. Antenor in tractatione Creticarum rerum in Rocciorum urbem ait diuino quodã impulſu Apium, quæ uocarentur Chalcocides, examen acceſsiſſe, & defixis aculeis moleſtiam eis exhibuiſſe: Illos earum impetum non ſuſtinentes ſolum mutaſſe.

Quæ animalia ſedibus homines expulerunt.
CAP. LXVII.

DE patrijs ſedibus quoſdam Italiæ populos incurſio murium agreſtium expulit, atq; in fugã compulit. Quòd ſanè ſic ſegetes & plantas, tanquam ſumma ſiccitas, aut teterrimum frigus, aliáue tempeſtas uaſtarent, radices ſuccidentes. Autoritates Indi

Ranis

Ranis inchoatis & imperfectis, de cœlo lapſis, in aliũ lacum demigrare coacti ſunt, & quandam nationem Libycam Nomadum, cum alijs rebus felicem, tum lacte abundantem, maximorũ Leonum magna multitudo de ſuis locis depulit.

Ex diuerſis animalibus ſerenitatis pronoſtica & tempeſtatum. CAP. LXVIII.

GRues ex mari in mediterranea uolantes, tempeſtatis atroces minas intelligenti ſignificãt: eædem ſilentio & quiete uolantes, ſerenitatem promittunt. Quòd ſi turbulentè clamant, acerbam tempeſtatem denunciant. Hoc idem ſonans triſte Ardea præſignificare exiſtimatur: eademq; ad mare rectà proficiſcens, pluuiam portendit. Si noctua pluuio tempore ſit garrula, ſerenitatem & lætiſsimos dies prænũciat. Contrà ſereno canens tempeſtatem oſtendit. Coruus excitato & uolubili ſono crocitans, & alarum plauſu ſe concutiens, tempeſtates præmonſtrat. Rurſus ſi Coruus, Cornix, Graculus, crepuſculo ueſpertino uocales ſint, tempeſtatis aduentum prædicunt. Monedulæ uolantes modò in ſublime, modò deorſum uerſus, frigus & pluuiam monſtrãt. Cum autem aues albæ frequentes conueniunt, multam tempeſtatem demonſtrant. Anates alarum geſtu exultantes uehementem uentum prædicunt. Aues ex mari in mediterranea cum impetu uolantes, pluuiam teſtantur. Rubecula auis ſtabula circumiens, & habitata loca

luſtrans, ex aduentu tempeſtatis ſe fugere declarat. Gallinacei, cæteræq́ domeſticæ aues, alarum percuſſione concrepantes, geſtientes, exultantes, ſtrepentes, tempeſtatem nunciant. Aues lauatione utentes, uenti procellas & turbines ſignificant. Quòd ſi cum eſt tempeſtas aliæ in alias uolent, & ultro citroq́ inter ſe commeent, ſerenum tempus pollicentur. In ſtagna & fluuiorum ripas congregantes, tempeſtatem impendere non ignorant. Contrà marinæ & paluſtres in terram proficiſcētes, plurimam tempeſtatem prænunciant. Terreſtres uero ſi modò ſilentes ſint, ad humidiora loca contendentes, ſerenitatem denunciant. Aegyptij dicunt Orygem caniculæ exortum cognoſcere. Libyci confidenter & fortiter aſſerunt, ſuum caprinum pecus ſimiliter eiuſdem ſtellæ exortū præſcire: itemq́ pluuias præſentire. Nam ut extra caprile proceſſerūt, concitato curſu ad paſtionem accedunt: deinde pabulo expletum ſe in ſtabula domeſtica conuertit, eoq́ intuens paſcitur, paſtorem, ut ſe feſtinet cogere expectans. Hipparchus tempore Neronis in theatro ſedens, ex caprina pelle quam ferebat, quòd futuram tempeſtatem prænuntiaſſet, tantam Neronis admirationem mouit, ut ille Bithyniæ in cenſibus gratulatus fuerit, quòd Hipparchum ſuum ciuem haberent. Iam ſi proximum eſt ut pluat, ad dextram Bos coxæ uertebram inclinatur: ſin ſerenum tempus propè futurum eſt, ad ſiniſtram incuruatur. Præterea ſi mugit, & terram olfacit, plu-

uia im

uia impendet: ſi ſuprà quàm conſueuit pabulo completur, tempeſtatem futuram oſtendit. Oues fodientes terram pedibus, uidētur tempeſtatem ſignificare. Capræ dormientes, frequētes eadem monſtrāt. Muſcæ in aromatis apparētes, pluuiā prǽſignificāt. Agni & Hœdi laſciuiētes, & inter ſe ſaltātes, lætos dies promittūt. Muſtellæ & Mures ſtridētes, uehementē prǽſagiūt tempeſtatē. A deſertis locis ad habitata refugiētes Lupi, tēpeſtatis acerbitatē ſe horrere oſtēdūt. Leonis ad frugifera & fructuoſa loca profectio ſiccitatem prænuntiat. Iumenta ſupra conſuetudinem exultantia, humidiorem tempeſtatem præſciunt: hanc eandem ſi ungulis ſpargūt, denuntiant. Democritus ait, Sues iactatis manipulis inſanientes uentum aut imbrem imminere ſignificare.

Quænam ſint quibuſdam animalibus mortifera.
CAP. LXIX.

VT ſymphyto interimitur Aquila, ſic Ibis felle Hienæ: allij ſemine, Sturnus: Charadrius, ſulfure: Herinaceus, potamogitone. Iam Circus, Larus, Turtur, Merula, & Vulturū natio, & Scopes, mali punici grano pereunt. Amerinæ flore Atricapilla: Coruus, erucæ ſemine: unguento Scarabeus occiditur: feræ Capræ adeps, Vpupam interficit: ac ſi Cornix inciderit in comeſæ à Lupo reliquias carnis, moritur: Alaudam, ſynapis ſemen, & Gruem hauſta uitis lachryma conficit.

Quæ beſtiæ belli cauſa fuerint. CAP. LXX.

GRæcis & Troianis belli cauſam Helena dedit. Darij uxor, quòd ancillas Atticas, & Ionicas habere deſideraret, Perſis ad bellũ Græcis inferẽdũ argumẽtũ dedit, & Tabella cauſam attulit Græcis longiſsimi belli gerẽdi cũ Megarẽſibus. Magneſios atq; Epheſios Locuſta ad bellũ excitauit, atq; inflãmauit. Colũba Carnos & Illyricos in bellum cõmiſit. Thebani in Aegypto de Cane cõtra Romanos pugnaſſe dicũtur.

De Libycis beſtijs ſcientibus numerare.
CAP. LXXI.

RAtionis expertia animalia numerorũ rationẽ tenere Eudemus affirmat: quod quidem ipſum Libycorum animalium teſtimonio, quorum nomen nõ explicauit, comprobat. Quæ autem dicit hæc ſunt, quòd cœperint in undecim partes diuidere, & decem quidem edere, undecimam autem relinquere: cur eam tanquam decumam relinquant, conſideratione dignum eſt, ſuo ingenio unum & duo & deinceps reliquos numeros ſcire. Mirum igitur uideri debet bruta animalia ſua ſponte nullo docente numerandi ſciẽtiam percipere, hominem autem rationis participem, niſi uehementi cura, aſsiduo ſtudio, ac nonnunquam ne multa quidem uerberatione numerorum uim, cognitionemq; comprehendere poſſe.

FINIS LIBRI XVI. ET VLTIMI DE VI ET NATVRA ANIMALIVM.

LITERARVM AC HVMANI OFFICII PERITISSIMO Domino Iacobo Colino Diui Ambroſij Abbati Petrus Gyllius S.

CVM è tota Gallia atque Italia Maſsiliam concurſus fieri intelligerem, ut conſilia capiant in ea urbe, quæ ſic olim optimatum conſilijs regebatur, ut omnes eius inſtituta laudare facilius poſsent, quàm æmulari: Cumq; toto animo & ſtudio omneis audirem magis in ornandos iſtius parietes incumbere, quàm in eam curam & cogitationem, ut nobiliſsimæ urbis inſtauretur uetus diſciplina, quam non ſolum Græciæ, ſed cunctis gentibus antiquorum elogia iure antepoſuerunt. Tum profecto arbitratus ſum me recte facere, ſi (poſtea quàm hiſtoriam de Vi & natura animalium à me tuo hortatu ſuſceptam, in lucem retuliſſem) hoc libello, quem confeciſſem, ex ijs quæ de nominibus piſcium obſeruaſſem, partim in Gallico littore, partim Liguſtico, ubi tuum nomen non minus præclarum, quàm mihi aliquando periclitanti ſalutare inueni, ipſum te currentem incitarem, ut quemadmodum optimam principis mentem ad tuenda Pariſienſis Gymnaſij recta ſtudia, ſua ſponte inclinantem, primo impuliſti,

deinde aluiſti: Sic nunc longo interuallo deſertæ Maſsilienſium diſciplinæ patrocinium ſuſciperes. Regem ad optima quæcꝫ natum admoneres, ut pro dignitate urbis ueterem ſedem ſtudiorum reponat, antiquum Muſarum domicilium reſtituat. Quòd ſi fortè huic meo conſilio magis ſtudioſo, quàm ſapienti, iure reſpondere poſsis, iam iſtic inter tot nautas, tot piſcatores, quibus nihil à muſis auerſius, non modò literarum ſtudioſos nullum curriculum, ſed ne ſedem quidem ullam habere poſſe: non deerit mihi rurſus in quo preces apud te exhauriam: nimirum mihi ut ſaltem uelis ad renouanda piſcium Maſsilienſium nomina adiumento eſſe: eris autem maxime, ſi interea cum iſtic uerſaris, unumquencꝫ ex meis piſcibus otioſe & conſiderate animaduertere, atque non ſolum trutina eorum qui de his ſcripſerunt, quorum egregium conatum ſemper laudaui, uerum etiam tui grauiſsimi iudicij æquis ponderibus examinare non graueris, nunquid à piſcium Latina germanitate interpretandi nomina aberrarim ut me inſcitiæ cum huc reuerteris admonere poſsis. Quod quidē ipſum niſi à te acerrime expectarem, niſi metuerem priuſquam hunc tibi redditum coràm cum re præſenti conferre poſſes, non ipſum tantopere properaſſem ad te præcipitare, ac potius diutius compreſsiſſem, quoad Oceani Gallica littora, & Hiſpanica perſcrutatus, huic & reliquæ tractationi de beſtiarum nominibus terrenarum, & uolatilium, maturitatem quandam afferre

afferre poſſem ac nimirum iam ut & tecum & cum alijs pleriſq; doctis, qui erunt in iſto conuentu, hanc totam rem conferrem, iſtuc reuertiſſem, ſi modo ſuſpicari poſſem piſces tam pontificis ſtudioſos, quàm Gallos eſſe: eoſdemq; tanta frequentia iſtuc undique concurrere. O ſi id uſu eueniret me auidum ſpectatorem, qui nimirum poſſem tanto compendio intueri Tritones, Nereidas, Echneidas, cæteroſq; piſces, quos omnes ut uiderem, facile omnia littora obirem. At enim dubito ſuſpitioſam piſcium nationem à tot obuallatis hominum gulis publico conſilio in altum bene penitus receſſuram eſſe. Bene Vale.

PETRI GYLLII

LIBER SVMMARIVS DE GALLICIS ET LATINIS NOMINIBVS PISCIVM MASSILIENSIVM.

De Serris beluis. CAP. I.

SERRAS, beluas marinas, cute aſpera tectas, uidi ex eo nomen trahentes, quòd ſerræ ſpeciem ſimilitudinemq́ quandam gerant. Nam ex fronte os unum eminet, longum, planum, rectum tanquam enſis, in modum ſerræ dentatum.

De Cucumere piſce. CAP. II.

CVcumis piſcis à Plinio dicitur, colore & odore Cucumeri ſimilis. Sed is magis ſimilis eſt ei, quẽ uulgo Peponem uocamus: niſi arbitremur Plinium peruulgatũ Melonem Cucumerem appellare: quod ipſum ſimile uero uidetur legenti ea quæ idem ſcribit de Cucumeribus.

De Equis beluis. CAP. III.

NAuta rei piſcatoriȩ bene peritus, & cætera quàm bonus, & à mendacijs alienus, mihi religioſe affirmauit, ſe beluam uidiſſe marinã, cuius non modò caput, ſicut Plinius ait, ſed etiam pedes Equi ſpeciem ſimilitudinemq́ gererent.

De Phyſitere. CAP. IIII.

Phyſi

PHyſiterem exiſtimo eſſe, quem uulgo uocant Calderonē, quod hunc ex omnibus beluis maximā diluuiem aquarū eructare dicunt. Hunc quidem arbitrantur eſſe quem Maſsilienſes uocant Mulaſſum. Equidem ipſe cum hunc Mulaſſum non uiderim, iudicare non audeo Phyſiterem eſſe.

De Rota. CAP. V.

ROta cetaceus piſcis, à ſimilitudine rotarum appellatus, quem Maſsilienſes Molam ex eo uocant, quòd Molæ ſimilis ſit. Neq; tamen, ut Plinius putat, quaternis diſtinguitur radijs.

De Balena. CAP. VI.

EGo Capitoleum arbitror Balenam ex eo potius quàm Orcā eſſe, quòd Græci etiam nunc uocant φαλαίνην, quam uulgo appellamus Capitoleū: & quòd etiā in Capitoleo, & non in ea, quæ nunc alicubi Balena uocatur, fiſtula in fronte ſpectetur. Itaque cum Orca in nullis ſcriptis (quod iam mihi ueniat in mentem) tradatur habere fiſtulam in fronte, mihi tam diu apud nonnullas regiones Italiæ peruulgata Balena uidebitur, quoad totam rem melius inquiſiero.

De Delphinis. CAP. VII.

CVm Delphini Simones appellātur, nomen agnoſcunt, & ſic appellari mirifice gaudent. Quod quidem ipſum non eſſe fabulam expertus ſum, cum ad Antipolim urbem Prouinciæ Narbonenſis nauigarem, & Delphinum uel longinquo interuallo con-

tenta uoce Simonem appellarem, confeſtim ad me propè acceſsit, ut manibus attingere potuiſſem. Non parum miror Ariſtotelem, & Plinium, ſcribentes infrà parte ſupina Delphinos ora habere. Equidē Delphinum cum in manibus haberem, ſole clarius uidi non infrà parte ſupina, ſed in roſtro Thunni modo ſciſſa ora habere.

De Hippocampis. CAP. VIII.

HIppocampos Ligures & Maſsilienſes uocāt Caballos marinos, capite & collo equino & roſtro oblongo ſunt, & ſic ab eorum fronte tanquam equorum coma propendet, & eo loco quo equi iubam habent pilis diffluunt, horum cauda draconis ſpeciem ſimilitudinemq́ gerit.

De Phoca. CAP. IX.

PHocam Latini Vitulum marinum, Maſsilienſes uulgo Bouem marinum appellant.

De Attilo Padi. CAP. X.

ATtilum, qui Padum accolunt, uocant Attinā, ſiue Adenam, ſiue Ladamim. Plinius hunc ait ad octingentas & mille aliquando libras peruenire: is quem uidi ad ſexcentas libras accedebat.

De Thriſſa. CAP. XI.

NOſtræ ætatis Græci hanc uocitāt Phriſſam, corruptè: Romani, Lacciam: Maſsilienſes, Halachiam: quidam ex eo Clupeam eſſe opinantur, quòd Veneti etiam nunc Chiepam appellant.

De Ma

De Marione piſce. CAP. XII.

IN Danubio non modo extrahitur Mario, ſed in alijs pleriſq; fluuijs, quem nunc parua immutatione Moronem uulgò appellant.

De Thunnis & Pelamidibus. CAP. XIII.

PIſcatores Ligures, & Maſsilienſes, aperte mihi oſtenderunt, ex Pelamidibus nunquã fieri Thunnos, ſicut Ariſtoteles, & Plinius opinantur. Quarum rationes reijcio in aliud tempus, cum mihi maius otium erit.

De Scombris. CAP. XIIII.

SCombrum arbitror eſſe ex genere Lacertorum. Ligures & Neapolitani uocant Lacertum: Maſsilienſes Auriolum: Pariſienſes Macareum.

De Colia. CAP. XV.

COlias, ſiue Parianus, ſiue Saxitanus ex Plinio Lacertorum minimus eſt: etiam hac ætate à Græcis Colios corruptè uocatur: ab ijs qui Niceam incolũt, Coguiol corruptè, quaſi Colias appellatur.

De Pompilo. CAP. XVI.

MAſsilienſes piſcatores non hunc ignorantes corrupte Pampalum uocant.

De Turdis & Merulis. CAP. XVII.

TVrdum & Merulam Maſsilienſes promiſcuè Roquaudos uocitant: Hiſpani & Sardi adhuc utriuſque nomen latinum retinent.

De Sardinis. CAP. XVIII.

SArdinæ,quas Trichidas arbitror à Græcis nuncu patas,à minutis oſsiculis pili ſubtilitatem æquantibus, antiquum nomen retinent in Prouincia Narbonenſi. Leonides dicit rei marinæ peritos betarum folijs facile capere, huiuſmodi enim olere & mirifice delectantur,& facile comprehenduntur.

De Aſilo. CAP. XIX.

ASilus uexator piſcium Scorpij ſpeciem ſimilitudinemq́ gerit,is quem uidi albus erat, & ad piſcem Pagrum inhæreſcebat. Piſcatores affirmant maximos piſceis cõficere poſſe. Ligures uocãt Pruſam.

De Rubellione & Pagro. CAP. XX.

INter Rubellionem & Pagrum tanta eſt ſimilitudo, ut eadem magnitudine inter ſe collati,non ab imperitis internoſcãtur,ut Ligures Rubelliones etiam Pagros imperitè uocent: & tota prouincia Narbonenſis atque Hiſpania Pagellos,quòd Pagri longe maiores euadunt. Sed à piſcatoribus facile diſtinguuntur, nam Pagrus capite eſt rotondiori, Rubellio longiori: tum hic tenuiori eſt habitu, & cauda longiore: ille craſsiori & cauda breuiore. Huius extrema pars magis attenuatur, illius multum larga & craſſa: Pagri pinnæ in imam uentris partem inflexæ, Rubellionis uero magis in dorſum eminent. Rubelliones Græci memoriæ noſtræ uocant Lethrinos corruptè, quaſi Erythrinos. Maſsilienſes rectè Pagrũ, & Græci Phagrum adhuc uulgò nominant.

De Chana. CAP. XXI.

Chana

CHana, Fuca, Perca ſimiles ſunt: Græci etiam hac ætate, & Veneti uocant Chanen: piſcis pelagius eſt, ſpinas in dorſo robuſtas & acutas habet, eius labrum inferius & rubet & eminet, exiguis eſt dentibus & acutis, itemq́ aculeatis branchijs. Ad ſtagnum uulgò Martegam nuncupatum, quoſdam piſces etiã nunc Chanadelas nominari auditione accepi. Quod quidem ipſum commemoro, ut harum rerum ſtudioſos admoneam, ſiquando iter illâc faciant animaduertant, an ne recte uulgò appellentur.

De Chromi. CAP. XXII.

CHromis, Pagrus, Rubellio, Hepatus, Orphus, Anthias, Dentex, Synagris, ſimiles ſunt, is lapides in capite habet. Ligures, etſi corruptè, tamen non longe à nominis gentilitate Chro etiam nunc uocãt, falſò Veneti Coruum.

De Coracino, ſiue Cornulo. CAP. XXIII.

CVm piſcem, quem Maſsilienſes uocant Caſtaneum, à colore caſtaneæ, piſcatori cuipiam oſtendiſſem, dixit in Corſica, unde ille ortus eſſet, uocari Cornulum. Cum Neapolitano etiam piſcatori demonſtraſſem, ſtatim reſpondit, Coracinum Neapoli uulgò nominari, à quorum probando tandiu iudicio me ſuſtinebo, quoad uidero magis ſimilem Coracinum, quem Speuſippus, in libro Similium, Melanuri dicit ſimilitudinem gerere.

De Melanuro. CAP. XXIIII.

MElanurum, qui etiam Ophtalmia appellatur, Maſsilienſes Olhadam, hoc eſt oculatam corruptè: Niceani corruptius Ibladam uocant: Siculi Ochiadam. Plinius unum eundemq́; piſcem, tanquam diuerſos commemorat: ſed hoc idem ſepius facit, quòd infinitæ lectionis ſtudioſior, quàm cupidior experiendarum rerum fuerit: ex quo factum eſt, ut ſæpe cõfuſam nobis de piſcibus reliquerit hiſtoriam.

De Vmbra. CAP. XXV.

VMbra nondum apud multas nationes nomen amiſit, Græci etiam nunc Scion nuncupant.

De Orpho. CAP. XXVI.

ORphum Theodorus auſus eſt conuertere Cernuam, Siculos ſecutus, Cernham uulgò appellantes. Maſsilienſes Ernham corruptè: Græci etiam nunc Orphum appellant.

De Congro. CAP. XXVII

COngrus nomen retinet: ſoli Maſsilienſes non Maſsilice, ſed planè barbarè Phialaſsum appellant.

De Perca. CAP. XXVIII.

PErca & marina eſt, & fluuiatilis: marina inter ſaxatiles numeratur: Latinum nomen etiam nunc retinet: eſt branchijs quaternis, duplici ordine, ultima excepta.

De Aurata. CAP. XXIX.

AVrata ſuo antiquo nomine adhuc appellatur, ac ſi amiſiſſet, facile tamen ex aureis ſupercilijs recogno

recognoſceretur, quam Græci Chryſophrin in hanc ætatem appellant.

De Mugilibus & Capitonibus. CAP. XXX.

MVgiles etiam nunc à Gallis appellantur: Veneti omne Mugilum genus Cephalos uocant: Capitones Maſsilienſes Calugos: in ſinu Adriatico Capitellos, ſiue Capiſtellos à capitis magnitudine. Myzones, ſiue Myxones Mugilum genus etiam hac ætate Græci Myxones appellant: qui Niceam accolunt Maſſonos nuncupant.

De Sphyrena. CAP. XXXI.

SPhyrenam Pollux Ceſtram, Plinius Sudem appellat: Theodorus audax in nouandis nominibus, rem ipſam magis quàm Latini ſermonis conſuetudinem ſecutus, Malleum conuertit. Hac etiam ætate Græci uocant Sphyrenam: Maſsilienſes idcirco piſcem Iudæum, quòd capitis tempora tanquam cornicula emineant, more Iudæorum, qui ſic olim Maſsiliæ induebantur.

De Trutta. CAP. XXXII.

PIſcis quem uulgò Truttam appellamus, ſine dubitatione is eſt, qui ab Auſonio in Moſella Salar his uerſibus uocatur:

Purpureiſq; Salar ſtellatus tergora guttis.

Et infra:

Qui necdum Salmo, nec iam Salar ambiguuſq;.

Truttarum duplex eſt genus, alterũ guttis nigris, alterum purpureis maculoſum. Truttæ quæ macu-

lis purpureſcunt, meliores exiſtimantur. Iam porrò quas Aelianus & Ambroſius Truttas appellant, marinæ ſunt, & Amiæ ab alijs ſcriptoribus nuncupantur, ut ei planè liquebit, qui apud Aelianum pugnam Truttarum cum Delphino eandem eſſe animaduertet, quam Oppianus Amiarum cum Delphino pulcherrime uerſibus explicat.

De Cyprino ſiue Carpone. CAP. XXXIII.

CYprinus, etſi Plinius & Oppianus eum marinum facere uidentur, tamen Ariſtoteles, quem ſequor, fluuiatilem facit, quarto de hiſtoria, cum ait: Aquatilium tamen generi, quos piſces uocamus, data quidem eſt lingua, ſed imperfecta, incertaq́ꝫ: oſſea enim, nec abſoluta: ſed palatum nonnullis carnoſum pro lingua eſt, ut inter fluuiatiles Cyprino, niſi diligenter inſpexeris, lingua id eſſe uideatur. Similiter Dorion lacuſtrem & fluuiatilem facit, eum Cyprianum nominans: etiam Græci nonnulli hac ætate Cyprinum appellant: utraq; Gallia & Germania corruptè Carponem nuncupant.

De Accipenſere. CAP. XXXIIII.

OVidius dicit Elopem eſſe Italicis littoribus incognitum, ex quo Plinio uidentur falli ij, qui eundem Accipenſerem exiſtimauerunt. Columella & Aelianus Elopen dicunt non niſi Pamphilio profundo capi. Theodorus ſecutus Appionem, & Plutarchum, Elopen conuertit Accipenſerem: quod ipſum

ſi recte

ſi recte fecit, miror Ariſtotelem (qui Elopen uidiſſe conijcitur ex ſecundo libro de hiſtoria, cum ſcribit, branchias quaternas utrinque eum ſimplices, atque etiam fel propinquum iecori habere) omiſiſſe ſcribere, ſquammas huic ad os uerſas, rem commemoratione dignam, ineſſe. Archeſtratus autem inquit, non Elopen, ſed Galeon à Græcis Accipenſerem appellari.

De Lupo. CAP. XXXV.

LVporum duo genera ex Collumella, alterum ſine macula, alterum uarium: ex quo etiam hac ætate Veneti Vairolum quaſi uarium corruptè appellant: littus Liguſticū & Gallicum uocat Lupum. Græci nondum ceſſant recte appellare Labraca.

De Aſello. CAP. XXXVI.

ASellus piſcis etiam nunc ab Italis Aſinus, à Gallis Merlus appellatur: duos in capite lapillos molari figura, & cor in uentre habet. Varro ab Aſinino colore ſic nuncupari ait. Eius duplex eſt genus, alterum Callarias minor, quod & Gallarias, & Galleridas uocatur: alterum Bacchus maior, is non niſi in alto capitur. Dorion maiorem uocat Onon, & Gadum, minorem uero Oniſcon. Græcus quiſpiā nauta Maſsiliæ mihi dixit, etiam nunc Gallariam in Græcia appellari: ſed mihi non potuit piſcem, cum tamen ſummè ab eo contenderem, repræſentare.

De Melanderinis. CAP. XXXVII.

PIſces Sargis aut Melanuris ſimiles, excepto roſtro, quod acutius eſt, paruis dentibus non ſerratis, ſed hominis ſimilibus, optimi cibi, ex Iſtria Venetias afferuntur, Picij uulgò nuncupati: eos eſſe arbitror, quos Speuſippus Melanderinos appellat, & Melanuro ſimiles eſſe dicit.

De Mullo. CAP. XXXVIII.

MVllus à colore mulleorum calceorum, quibus purpurei coloris primo reges Albani, poſt Patricij uſi ſunt: is marinus piſcis, cum ab alijs, tum maxime à Cicerone Barbatulus uocitatus, nobilitatem habet: Gemina enim barba eius inferius labrum ornatur. Græci etiam nunc recte, ſeruato nomine antiquo, Triglam: Ligures, & Maſsilienſes corruptè Trigam, quaſi Triglam, corruptius: qui Niceam à Maſsilienſibus conditam incolunt, Strilham appellantes.

De Sargis. CAP. XXXIX.

ICeſius Melanuro Sargum dicit eſſe ſimilem, nondum ſuum nomen neq; apud Græcos, neq; Maſſilienſes amiſit.

De Garo. CAP. XL.

GArum ex inteſtinis piſcium, præcipuè Scombrorum, ſale exeſis fiebat: ex Garo piſce, ex quo primum conficiebatur, ſic nuncupatū. Noſtræ ætatis Græci piſciculos ſalſos uulgò Garos uocant.

De Oataricho. CAP. XLI.

Oataricha

OAtaricha ex ouis piſcium ſalſis conficiuntur: Vulgò Itali Cauiaria uocant. Græci noſtræ ætatis corruptè Botaricha nominant: quæ quidem ipſa inter lautiſsimos cibos numerantur.

De Fabro. CAP. XLII.

ZEus, ſiue Faber figura orbiculata, quem Chalcea olim Græci uocabãt, nunc in templis ſuſpendunt & Chriſtopſaron ideo arbitror appellant, quia olim Zeus Iuppiter nuncuparetur. Romani uocant piſcem ſancti Petri, ſiue Situlam. Dalmatæ etiam hac ætate Fabrum: qui, cum ex eis percunctarer, cur ſic nominarent, mihi pulchre reſponderunt, ſe ideo ita nuncupare, quòd omnia inſtrumenta fabrilia in ipſo reperiantur: quod quidẽ ipſum ſtatim uerũ eſſe periclitatus ſum. Ligures Rotam, Maſsilienſes Truëiam, hoc eſt porcam, quòd dum capitur eum grunnire teſtentur. Hiſpani nuncupant Gallum: & quemadmodum olim inter lautiſsimos piſces, ſic nũc apud eos numeratur. Quod autem quibuſdam modo uideatur Chalcis, modò Galeos, modò Columbus, modò Citharus & Situlus, poſſem ampliſsime confutare, niſi amarem eos, qui primi conati ſunt huic parti lucem aliquam afferre.

De Salpa. CAP. XLIII.

SAlpa ubiq; gentium nomen ſuum retinet, ad pedis magnitudinem accedit, luteis quibuſdam lineis à capite ad caudam pertinentibus uariatur. Epicharmus dicit dentata parere.

De Apro. CAP. XLIIII.

APer pelle eſt aſpera & dura: hunc piſcem uidi Venetijs in foro diui Marci conditum in opificis cuiuſdam officina pendere. Cum Thraci cuipiam oſtendiſſem, Capriſcum dixit à ſuis nuncupari ſolere: cumq́ue huius pictam effigiem Siculis piſcatoribus oſtendiſſem, porcum eſſe affirmarunt.

De Rhombo, & Paſſere, & Solea, & Vitta. CAP. LXV.

PAſſer & Rhombus corporum duntaxat ſitu differunt: Si enim Rhombum ſic in latus componas ut oculi cœlum ſuſpiciant, & mentum deorſum uerſus ſpectet, pars ſupina erit dextra: ſed ſi ſimiliter paſſerem conſtituas, ſupina pars erit leua. Rhombus igitur eſt Paſſeri ſimilis, ſed amplior. Maſſilienſes, & Ligures Rhombum uocant, Galli ulteriores Turbotum: noſtræ ætatis Græci nondum antiquum nomen ψῆτταν commutarunt. In multis littoribus Italiæ Paſſer etiam nunc uulgò appellatur. In Gallia non diſtinguitur à Solea, quam Plautus & Varro Lingulacam nominant. Græci à bubulæ linguæ ſimilitudine Bugloſſum appellant, quam hac ætate Romani Soleam uocant: Hiſpani Lingulacam. Iam porrò affines ſunt Pſetta, Bugloſſus, Tenia. Ab auis gentilis ſuæ colore nomen duxit Paſſer: quemadmodum enim uolucris Paſſer, ſic parte ſupina candidus, prona terreus eſt. Tenia quæ nunc ab Hiſpanis Azedia nuncupatur, Soleæ ſimilis, ſed minor ac ſtrictior eſt.

De

De Myro & Murena. CAP. XLVI.

MYrus non idem eſt qui Murena, nam hæc quidem uaria & infirmior eſt: Myrus uero ſine maculis, & robuſtus habetur, colore Laricis arboris. Sexu etiam differunt: hic mas, illa & fœmina eſt, & piſcis longus, haud longe anguillæ diſsimilis. Murenarum alia colore eſt ſubnigro, luteis maculis diſtincto: alia albo, nigris maculis diſtincto, oris rictu non aliter quàm Anſeres largiſsimo: ijs foraminibus, quibus Lampetra prædita eſt, caret: nullasq; habet neque branchias, neque pinnas: integra flexuoſo corporis impulſu natat: in arido ſimiliter etiam atq; Serpentes ſerpit: dentibus maleficam non modò legi, ſed etiam expertus ſum, cum Maſsiliæ illius naturam perſcrutans, temere lubricum roſtrum cæpiſſem, non ſine magno dolore uulnus accepi: ubiq; gentium in hunc diem Murena nuncupatur.

De Raia & Leuiraia & Aſteria. CAP. XLVII.

RAiam piſcem planum & cartilagineum, etiam noſtræ ætatis Græci Batin, & Baton ex eo appellant, quòd huius cauda aculeis quibuſdam rubi ſimilibus horreſcat. Leuiraia à Græcis Liobatos nūcupata, à leui cute: maior eſt quàm Raia: piſcatores uocant Buboſam, ſiue Mucoſam, à luto & mucore, quo eius pellis ſordida ſpectatur. Batis Aſterias à maculis quas habet in dorſo minor eſt quàm Raia, cute leui. Maſsilienſes à ſtellis, hoc eſt maculis, uocant Miraletum, id eſt, Speculum paruum; eam uero quæ ſpi-

nas habet, Cauclatam duro nomine appellant.

De Paſtinaca. CAP. XLVIII.

PAſtinaca piſcis planus cartilagineus, radium digiti, interdum ſemipedis longitudine, ad ſimilitudinem ſerræ dentatum, dentibus reflexis, in cauda habet: quo nihil usquam peſtilentius mare generat. Ligures uocant Ferraſam: Maſsilienſes Glorinum: Siculi Baſtonacam corruptè, quaſi Paſtinacam, detracto radio in littore Liguſtico ac Gallico comeditur.

De Squatina, & Squatraia. CAP. XLIX.

SQuatina piſcis planus & cartilagineus, non tanta amplitudine quanta Raia dilatatur, ſed & contractior eſt, & ut Ranæ paluſtri eius os ex roſtro eminet: non autem infrà parte ſupina, ut maxima pars cartilagineorum, habet: itemq́; eiuſdem fel in iecore ſitum eſt, perindeq́; ut Ranam marinam pinnas in lateribus poſsidet: cute tantopere aſpera & dura eſt, ut ea ligna & ebora poliantur: cauda item longa in mucronem procedit: ſimul & ſimiliter ut Polypus colorem mutat: noſtræ ætatis Græci & Rhinam & Rhinobaton uocant. Rhinam ut Latini utrumq; Squainam, ſiue Squadram, hoc eſt, Squatinam: Maſsilienſes piſcem Angelum appellant, quòd tanquam alas picti Angeli, ſic hæc pinnas habet.

De Torpedine. CAP. L.

TOrpedinis piſcis plani & cartilaginei torporem meæ manus tactione periclitatus ſum: ſed haudquaquam mihi manus tantopere obtorpuit, quàm

ſcriptores

ſcriptores decantant. Torpor non modò letalis non eſt, ſed non ita multo poſt euaneſcit. Venetijs, Ianuæ, Maſsiliæ, ac ubique puto gentium comeditur. Maſsilienſes Turpilliam corrupte uocant; Ligures, Tremorizam.

De Boue. CAP. LI.

BOs, quem Plinius inter planos & Cartilagineos commemorat, ad trecentas aliquando libras accedit. Dalmatæ etiam noſtra ætate Bouem uocant. Alius Bos eſt, inter cetarios numeratus ab Ariſtotele, quem, etſi nullis eſt uiribus, tamen eum terroribus homines in periculum adducere, Aelianus, & Oppianus tradunt.

De Aquila. CAP. LII.

AQuilam piſcem planum & Cartilagineum Neapolitani etiam hac ætate uocant Aquilam, ſimilemq́ Paſtinacæ eſſe dicunt, ſtrictiori tamen corpore eſſe, & pinnis longioribus, & acutioribus: capite prominentiore, atq́ ad trecentas ſæpe libras accedere: ſed nihil affirmo cum ſolam ex piſcatore Neapolitano auditionem acceperim.

De Rana marina. CAP. LIII.

RAna marina, piſcis planus, & cartilagineus eſt: is, quem uidi ad portum Sabatiorum, duos pilos in uertice habebat, longitudine duorum pedum: & hi quidem, tanquam frumentorum ſummi calami ſpicam, ſic caudam gerebant: ex his pilis Propilatis id nomen duxit, ut Piſcatrix appelletur: nam in lu-

Bb tum

habent pentagonum: ſquammis carent: aſpera ſunt cute: à Maſsilienſibus Agullati nuncupantur, quaſi aculeati.

De Centrinis. CAP. LVI.

Centrinæ Muſtellorum ſpinacium ſpeciem ſimilitudinemq́ gerētes, ſquāmis carent, & cute ſunt aſpera, aculeos habent nigros, alterum in capitis uertice, alterum ad caudam.

De Muſtellis leuibus & ſtellatis. CAP. LVII.

MVſtelli leues & ſtellares idcirco uocātur, quòd tanquam ſtellis quibuſdam, ſic maculis uariantur: à Maſsilienſibus Gatti algarij appellantur.

De Echeneide, ſiue Remora. CAP. LVIII.

EChneis, à Latinis Remora nuncupata, piſciculus ſemipedali longitudine, & quinque digitorum Craſsitudine, anguillæ ſpeciem ſimilitudinemq́ gerit: nigro colore, acuto ore: hunc non uidi, neq́ ex quantumlibet infinitis percunctatus ſim, quenquam piſcatorem reperire potui, qui hunc ipſum hac ætate uiderit.

De Mæna, Smaride, & Boope. CAP. LIX.

MAena piſciculus, hyberno tempore candidus, æſtiuo cærulea uarietate pictus. Ligures Mænulam, Maſsilienſes Medolam uocant: neq́ modo ſpeciei uerum etiam generis nomē eſſe ex eo conijcio, quòd uarium & multiplex eſt earum genus: aliæ in utroque latere nigram maculam orbiculatam habent, quas ij qui Adriaticum ſinum accolunt, uulgò

Mænas Sclanas appellant: aliæ Leucomenides, hoc eſt albæ Mẹnæ, à Græcis Smarides nūcupatæ, quas noſtræ ætatis Siculi etiam Smaridas uocant: Maſsilienſes, Gerres: Neapolitani Cerres, per c. quos Theodorus ſecutus Smarides Cerros uidetur conuertiſſe, non Gerres: de quibus Martialis, ueluti uilibus piſcibus, ita ait: Fuiſſe Gerres, aut inutiles Mænas. Theodorus Mẹnidas, in Ariſtotele Mẹnas & Alleces, & Mænidia, id eſt, Mænas paruulas Aleculas appellat: ut Alecula nomen generis ſit, hoc idem latinè ſignificans, quod Græcè: ut Hermolaus putat, Anthracides, hoc eſt, piſceis qui ſuccenſis carbonibus cōmode coqui poſsint, cuiuſmodi ſunt Smarides & Mænæ. Equidem ipſe generatim piſciculos ignobiles ſignificari ex Columella arbitror, q̧ Aleculas riuales piſciculos, ignobiles uocauit: atq; alios piſceis ſale exeſos, Areneos nuncupatos, Thriſsis ſimiles: itemq; ſunt Mænæ Boopes appellatæ, quas Græci adhuc rectè Boopas uocant. Ligures, & Maſsilienſes Bogas corruptè nominant.

De Phycide, ſiue Fuca. CAP. LX.

SOlus Phycis ex marinis piſcibus nidum conſtruere, atque in eo ſub ſtrato parere dicitur: colorem mutat, alio anni tempore candida eſt, uerno uariatur: idcircoq; Phycis nuncupatur, quòd ex alga nidificat, quam Græci phycon uocāt. Diocles & Speuſippus Percam, Chanam, Phycida, ſimiles eſſe dicūt. Memoriæ noſtrẹ Græci rectè Phycida uocant. Falſò Veneti

Veneti quendam piſcem Phycum uocant: is enim ſquammis caret, & paruulæ Palamidis ſimilitudinē gerit: Phycis ſquammoſus eſt, & ſaxatilis, trientalis longitudinis. Iam uero Phycida Maſsilienſi piſcatori, ex oppido Neapoli oriundo, cum demonſtrarem, dixit Neapoli Leprem uocari: ab Hiſychio Phycis dicitur etiam appellari Lelepris.

De Hirundine. CAP. LXI.

HIrundo, Coccix, ſimiles ſunt. Maſsilienſes nominis Græci extremas ſyllabas adhuc ex antiquitate ſuā retinentes, Lendolas appellant, quaſi Chelidonas. Quatuor cubitis extra ſummam aquam hunc eminentem in Gallico littore maris interni uidi ad iactum lapidis uolare.

De Coccyge, ſiue Cuculo. CAP. LXII.

COccygem Numenius rubrum eſſe dicit: Maſsilienſes eum Gallinam appellant: Neapolitani etiam nunc antiquitatis retinentes, Cocchum: Siculi Cochum corruptè quaſi Coccygem. Hunc piſcem cum à uoce, quam Coccygis uolucris ſimilem mittit, nomen traxiſſe non ignorarem, ex piſcatoribus percontatus ſum, nunquānam uocem mitteret: Reſponderunt hunc cum ſe irretitum ſentit, quiddam uocale ſtrepere, nihil prӕterea ſe obſeruaſſe. Quod quidem ipſum facile credidi. Quicquid enim habent aurium, in quæſtum piſcium conferentes, ad piſcium uoces obſurduerunt.

De Lucerna. CAP. LXIII.

MIluus,ſiue Lucerna piſcis rufus,ſine ſquammis, aſpera cuticula, pinnis longis, & tam bene latis,ut multum accedant ad Hirundinis piſcis pinnas: & Græci hodie ob eam ſimilitudinem falſò Chelidonem uocent. Accolæ Adriatici ſinus, etiam noſtra ætate antiqui nominis retinentes, Lucernam appellant: Maſsilienſes Belugam: Romani Caponem. Hunc Plinius Lucernam nuncupari ait, quòd huius lingua per os exerta tranquillis noctibus luceat: ſed id omnes piſcatores negant, & non uero proximum uidetur, ex Ariſtotelis libro ſecundo de partibus animalium, atque ex eiuſdem Plinij libro nono, cum de Delphinis loquitur, itemq́ ex undecimo, ubi ait, piſces linguam explanatam & mobilem non habere. Itaq; ſi immobilis ſit, atque minus explanata, quomodo exerta eſſe poterit. Fortè potius lucerna appellata fuit, uel quod pinnæ uerſicolores noctu fulgorem quẽdam mittunt, uel quia antiquæ lucernæ ſpeciem ſimilitudinemq́ gerit.

De Cornuta. CAP. LXIIII.

PIſcatores Maſsilienſes mihi narrarunt, ſe aliquando piſcem cæpiſſe, cuius cauda accederet ad duorum cubitorum longitudinem, largo ore, & duobus cornibus cubiti longitudine fuiſſe, & ad ducentas libras acceſsiſſe, eiusq́ nomen ignoraſſe: equidem ipſe ex Plinio arbitrabar Cornutam eſſe: is enim hunc inter maiores piſces numerat, & cornua ait ſeſquipedalia habere.

De Dracone, & Serpente piſce. CAP. LXV.

QVod Plinius Draconi, Ariſtoteles Ophi, hoc eſt Serpenti marinæ attribuit, cum ait libro nono: Serpens marina colore & corpore Congro proxima eſt, ſed obſcurior, atque acrior: hæc ſi capta dimittatur, foris in harenam roſtro quàm primum adacto terebrat ſubitò tota: acutiore ore eſt, quàm terreſtris. Plinius libro xxxij, Draconem à Dracunculo diſtinguit, huncq; dicit Gracculo ſimilem eſſe, atque in branchijs ad caudam ſpectantes aculeos habere, eiusq; ictum uenenatum eſſe. Hunc Dracunculum Ariſtoteles & Oppianus uocant Draconem, & ſimiliter Plinius ipſe, cum inquit libro xxxij: Draco marinus ad ſpinæ ſuæ, qua ferit uenenum, impoſitus prodeſt. Ab Ephippo uocatur Dracænis: ipſum arbitror eſſe, quem Ligures, & Maſsilienſes, & Plinius ipſe alio loco Araneum uocat. Hac ætate Græci Dracænam: Siculi, & Neapolitani, Traginam appellant, corruptè, quaſi Dracenam. Secundum Paſtinacam nihil in mari uenenatius: acutiſsimos in dorſo habet aculeos, quos piſcatores ab hoc capto ſtatim abſcindunt. Magnam admirationem habet, quod multi piſcatores mihi teſtati ſunt, eo tempore cum piſcium genus amore tenetur ſe uidiſſe in uulnere, quod huiuſmodi piſcis inflixiſſet, piſciculos illius ſimiles generatos eſſe. Aculeos in branchijs habet ad caudam ſpectantes. Iam porrò eum qui ab Ariſtotele Araneus uocatur, nulli Græci autores uenenatum eſſe tradũt:

hunc uero omnes ſcriptores, atque ætatis noſtræ piſcatores cum à Paſtinaca diſceſſerunt, omnium marinorum uenenatiſsimum eſſe aſſeuerant. Serpentes marinas uidi, quarum color ad Congrum accederet, roſtrum longum & tenue eſſet, Anterior corporis pars ſexangula, à uentre ad caudam quadrangula pertineret: ab hac longe diuerſus eſt marinus Draco, quem Aelianus alijs piſcibus ait reliquo corpore aſsimilem eſſe, eius caput, & oculorum magnitudinem terreni Draconis ſpeciem ſimilitudinemq́ gerere, magnos enim eſſe & uenuſtos: maxillas ſimilitudinem etiam nonnullam cum terreſtribus habere: pellem non procul à terrena tactu abeſſe: ſimul & uenenatis aculeis eſſe, quæ omnia piſci Araneo conuenire uidentur. Sed cum Græci incoluerint Italiam, fieri potuit, ut alicubi Plinij temporibus uocaretur Araneus, alicubi Draco.

De Lolligine, & Lollio, & Sepia. CAP. LXVI.

LOlliginem Ligures, atque pleriq́ alij Itali ex eo Calamarium appellant, uel quòd eius corpus calamarij, quo utimur ad ſcribendum, ſpeciem ſimilitudinemq́ gerit: uel quia atramentum habet. A Maſsilienſibus etiam nunc antiquitatis ſuæ retinentibus Taute appellatur, quaſi Græcè τευθίς. Lollium, qui maior eſt Lolligine, & pinnas propius accedentes ad extremam caudam habet, Maſsilienſes quaſi Latinè nuncupãt Lollium: ad Sepiæ quidem ſimilitudinem accedit, ſed & longior & ſtrictior eſt; octo pedibus, ijsq́

ijsq́ꝫ quàm Polypi minoribus nititur. Sepia, Lolligini ſimilis, quemadmodum Polypus mutat colorem. Cum atramentum mittit, Maſsilienſes exiguæ cuiuſdam uetuſtatis retinentes uulgò dicunt eam atramentare.

De Polypo & Oſmylo. CAP. LXVII.

EX molliũ genere Polypus octo pedes habet, ſimplicibus ſingulos acetabulorum ordinibus plenos, quibus attrahit id ad quod adhæſerit, & tam firmiter retinet, ut comprehenſum hominem ad terram abijciat: à Lolligine & Sepia hoc differt, quòd eius alueus & paruus, & crura longa ſunt; ubiq́ꝫ ferè gentium uulgo Polypus nominatur. Quis non miretur Polyporum uarietatem? nam horum alius tetram odoris fœditatẽ habet, alius nomine Oſmylus bene olet, & nihil muſcoſius ſenſi: quem hac ætate Græci Moſchitem appellant: Maſsilienſes Muſcum, ex ea odoris ſuauitate, quòd muſcum non leuiter non modò uiuus, uerum mortuus etiam oleat. Is qui eum uel occultiſsimum fert, circumſtantes ſuauiſsime permulceat: in arcis ad imbuendas grato odore ueſtes reponitur: gracilioribus eſt brachijs, quàm cæterorum genus Polyporum. Helidonam genus etiam Polypi noſtræ ætatis Græci Halidonã corruptè nominant.

De Barbo fluuiatili piſce. CAP. LXVIII.

BArbus ex eo nomẽ duxit, quòd ſimiliter ut Mullorum natio barbatulus eſt; huius enim inferius

labrum geminis pilis utrinq; ornatur. Is etſi piſcis eſt haudquaquam in uulgus ignotus, tamen in ſermone Latino ignotius eſſet nihil, niſi Auſonius ſuo carmine, quod Moſellam inſcripſit, illuſtraſſet:

Tuq; per obliqui fauces uexate Saraui,
Qua bis terna fremunt ſcopuloſis oſtia pilis:
Cum defluxiſti famæ maioris in amnem
Liberior, laxos exerces Barbe natatus.
Tu melior peiore æuo: tibi contigit omni
Spirantum ex numero non illaudata ſenectus.

De Alburnis piſcibus fluuiatilibus. CAP. LXIX.

ALburnos arbitror eſſe, quos uulgò Ablos nominamus. Hos ignobiles Auſonius ſuis uerſibus de Moſella in ſcriptis nobilitauit, cum ait:

Quis non & uirides uolgi ſolatia Tincas
Norit? & Alburnos prædam puerilibus hamis.

De Orcyno. CAP. LXX.

MAſsilienſes cetaceum quendam piſcem uocant Organam, quem cum uiderim, iudicare non audeo eſſe Orcynum. Nam Aelianus etiam Orcynum dicit cetaceum eſſe. Hoc duntaxat dictum uelim, ut diligentiores incitem ad exactiorem inquiſitionem.

De Lucio piſce fluuiatili. CAP. LXXI.

LVcius ſtagna, paludes, fluuios incolit. Galli qui accolunt Lygerim & Sequanam, Brochetum appellant; prouincia Narbonenſis Lucium: neq; enim

ſanè quampiam dubitationem debet afferre, quòd cum ex Auſonio olim nullo in precio eſſet, nunc inter lautos fluuiatiles cenſeatur: non enim modo mores, uerum etiam palatum mutauimus. Cui nunc tam parum palatus ſapit, ut principem locum inter aues Turdo adiudicet? Quis ex noſtris non tantum lautus atq; urbanus, ſed etiã agreſtis, qui poſt Accipenſerem, ex omnibus piſcibus præcipuam autoritatem Aſellis, ſicut Plinius, daret? Ego potius Pagris, alijsq; non paucis ſapientius attribuerem. Quis modò octo millibus nummûm Mullum piſcem emat? Equidem niſi inſipiens palati inſulſitas me fallit, huic non paucos longe anteponerem.

De Locuſta. CAP. LXXII.

Locuſta, Carabos Græcè appellata, Aſtaci ſpeciẽ ſimilitudinemq; gerit: ex pedibus quos utrinque quinq; dentatos habet, poſtremi forcipibus armantur. Valde miror quoſdam etiam doctos ſcripſiſſe ex Ariſtotele Locuſtis forcipes deeſſe, cum non ſemel Ariſtoteles aliter doceat: eius dorſum quod ad caput pertinet, aculeis horret, quorum duo ferrea duritate tanquam cornua ſupra oculos eminent, nec minus duri; alij duo infra oculos ad horum tuitionem eriguntur: ſimul & inter aculeos, tanquam uuæ ex racemo longa radice nitentes, oculi foras eminent: os habet in parte ſupina, duobus dentibus buccam implentibus, munitum; in roſtro bina flagella bene

longa prætendit, quorum roſtro uicina pars ſpinis horrida eſt, cætera caret aculeis: huius cauda cruſtaceis obducitur uertebris uiolaceis, ſupinæ partes molli pelle ueſtiuntur. Locuſtam memoria noſtra nominant Maſsilienſes, & Ligures. Plinius tradit Elephantum locuſtarum nigrum genus, pedibus quaternis, biſulcis, brachijs duobus, duplici articulo, & forcipibus dentatis. Neapolitani genus quoddã cruſtatorum etiam nunc Elephantum uulgò nominant: ſed hunc ne, an alium appellent, iudicare non poſſum, cum piſcem non uiderim.

De Aſtaco. CAP. LXXIII.

ASTacus brachia dentata forcipibus habet, nigris maculis diſtinguitur, dentes huic ſimiliter ut Locuſtæ, cornua breuiora, tenuioraq; quàm Locuſtæ: Græci & qui accolunt Adriaticum ſinum etiam hac ætate Aſtacum uocant. Theodorus in nouandis nominibus audax (ſecutus non paruam nationẽ, Cammarum adhuc uulgò nominantem) Cammarũ conuertit: Maſsilienſes & Leonem & Aſtacum, ex Plinio diuerſos piſces uno eodemq; nomine Ligombaudos nominant: forcipibus firmiter Aſtaci & Leones retinent, quicquid comprehenderunt. Cum enim Maſsilia permultas Boopes, Mænarum genus, & Leones, & Aſtacos cepiſſent, nauiculamq;, ubi huiuſmodi piſces captiui tenebantur, in littus expulſam reliquiſſent, & Vulpes in eam ipſam ad exedendas Boopes inuaſiſſet, accidit ut hæc in horum forcipes

pedem

pedem poneret,ex quo totam noctem retenta, mane à piſca toribus capta fuit.

De Leone marino. CAP. LXXIIII.

LEonem marinum Aelianus ſcribit locuſtæ ſpeciem ſimilitudinemq́; gerere, ſed corporis tenuitate,& gracilitate habitus maiori eſſe, brachiaq́; habere,tum maxima,tum Cancris ſimilia: cæruleo colore eſſe,& ſubnigris maculis diſtingui.Pleriq; dum nationes nonnullas etiam nunc Leonem Aſtacum nominantes ſequuntur, arbitrãtur Leonem eſſe Aſtacum. Plinius tamen ſeparatim ab Aſtaco Leonem tractat: & Athenæus ſeparatius utrunq; ab altero diſtinguit, cum inquit, Aſtaco Leonem maiorem eſſe; Maſsilienſes Ligombaudum appellant. Oppianus inter marinas beluas Leonem quendam numerat.

De Cicadis marinis. CAP. LXXV.

ESt etiam Cicadarum,ſicut Aelianus ait, genus marinum, quarum maxima Locuſtæ paruæ ſpeciem ſimilitudinemq́; gerit: ueruntamen cornua non ſimiliter atque illa magna, nec aculeos habet: huius pinnæ terrenarum cicadarum alis ſimiles ſunt.Maſsilienſes tenuis ſuæ cuiuſdam uetuſtatis retinentes etiam nunc Cicadas nominant.

De Maijs Cancris. CAP. LXXVI.

MAijs ex Cancrorum genere maximis cauda deeſt,atque ex utroq; latere quinq; pedes tenues ualde eminent,forcipibus carentes, exceptis duobus anterioribus ultimis, qui ſubtilibus forcipibus dẽtati

ſunt: earundemq́ue os ſimiliter duobus grandibus ut Locuſtarum dentibus impletur, & tanquam brachiolis quibuſdam circummunitur, eiusq́ue color rubet: corporis figura poſterior rotundior, anterior pyramidatior: extremæ partes aculeorum ſeriæ circumuallantur, quorum duo ex fronte tanquam cornua eminent: crura quibuſdam ſpinulis horrent. Maſsilienſes Squinadas nominant: ijdemq́ue quorum induſtria in piſcatione uerſatur, mihi narrarunt, ſe perraro piſcari ſolere aliud Cancrorum genus, quorum corpus ut longe minus ſit, quàm Maiarum, multo tamẽ longiores pedes exiſtere: ſint ne heracleotici an equites Cancri, dijudicare non queo, cum ſolam rudem auditionem acceperim: quod ipſum idcirco adſcripſi, ut alios, quibus maius otium eſt, ad horum inquiſitionem incitarem.

De Squillis. CAP. LXXVII.

SQuillas, Caridas Græci nominant, & niſi forcipe carerent, Locuſtarum ſpeciem ſimilitudinemq́ue gerunt. Harum triplex eſt genus, Gibbæ, Crangines, & paruæ, quæ ad maiorem magnitudinem nũquam accedunt. Veneti Squillas quaſdam uocant paruis Gammaris ſimiles: ſed recte nec ne, alijs iudicandum relinquo. Eaſdem noſtræ ætatis Græci etiam nũc Caridas uocant. Athenæus ait, Cammarum quoddam Caridum genus à Romanis nuncupari, idemq́ue Caridas inquit reliqua corporis parte maius caput habere. Libellus falſò quidem Apicio inſcriptus, exiguæ

tamen

tamen uetuſtatis retinens, Squillas & Cammaros teſta obductos dicit: cum ex Ariſtotele ſint cruſtacei generis: ſecutus Diphilum, & Athenæum, qui non tam religioſe cruſtacea à teſtaceis diſtinguunt: quin, niſi mendum ſit, aliquando Squillas, Aſtacos, Locuſtas, Cancros, Leones Oſtracodermos uocent, id eſt, teſta circunclusos: cum tamen ex Ariſtotele ſint Malacoſtraci, hoc eſt, cruſtra obtecti. Plinius aliâs Herinaceorum tegmentum uocat cruſtam, aliâs teſtam: cum tamen Ariſtoteles religioſe ſemper Herinaceos inter teſtaceos numeret.

De Paguris. CAP. LXXVIII.

E Genere Cancrorum Pagurus leui dorſo eſt, in utraque ſede uiuit, & in aridum ſæpe procedit: huius pedes breuiores quàm Maiarum: quicquid comprehendunt, ſtrictiſsime conſtringunt, idemq́ꝫ oculos modò recondit, modò profert, ut interdum tanquam cornua extra emineant, interdum intra in teſtam abditi recedant: neque modò in mari, ſed in terram eiectus, uel captiuus contra faceſſentes ſibi negotium pugnant: quod quidem ipſum uſu percepi. Cum enim Lazarus Bayſius, poſt præclarè obitam antemeridiano tempore legationem, aliquoties me ad littus Adriatici ſinus duceret, ut piſcium naturas exploraremus, cum alia pleraqꝫ periclitabamur, tum puerorum ludicram pugnam cum Paguris forte in ſicco repentibus ſpectabamus: pueros quidem in eorum forcipes feſtucam inſerere: hos uero magno ro-

bore animi hominum multitudinem, qua circuncludebantur, præclare contemnentes, pertinaciter quicquid arripuiſſent, retinere: neque uel ſæpiſsime uictos tandiu obſiſtendi finem facere, quoad omnibus uiribus defecti, tanquam homines pugillatione & luctatione certantes, ſtrennue decumbebant. Illic ibidem hos Cancros Porros uocant, quaſi Paguros: Maſsilienſes Carabaſſos.

De Pinnotere, & Cancello, & Squilla.

CAP. LXXIX.

MInorum Cancrorum duplex eſt genus, utrunque cognitum habemus: alterum rotūdum, in Conchis quibuſdam uiuus inuenitur, ut in pinnis Concharū maximis, idque Pinnother, ſiue Carcinion nuncupatur: alterum longum, quod etiam Carcinion, id eſt cancellus, aut Squilla uocatur, neque in Conchis uiuentibus ſtabulatur, ſed principio ex terra ac limo naſcitur: pòſt uero Conchulas uacuas ſubit. Cancellus Aranei ſpeciem ſimilitudinemque gerit, niſi partem ad pectus ſubiectam Araneis ampliorem habet, & cornicula duo rubra tenuia, ſub hæc oculi ſubditi nunquam ut Cancrorum intro recedunt, ſed ſemper eminent: eius os tanquam capillis quibuſdam circummunitur: præterea in cubilibus Spongiarum Aranei ſimilem beſtiolam naſci ſcio, & degere in eodem cubili, modoque aperiendo, modò claudendo piſciculos comprehēdere aperit, cum ingredi habet neceſſe; poſtea autē quàm eſt ingreſſa, claudit & contrahit.

De Echinis. CAP. LXXX.

ECHinus orbiculatus è genere teſta obductorum eſt: undiq; aculeis armatur, quibus pro pedibus ad ingreſsionem utitur: purpureo colore, & cæruleo, aliaq; colorum uarietate diſtinguitur, ut ſi colores durarent, nullam cum gemmis comparationem haberent: at enim piſce extincto, colores euaneſcunt: eius oua ſtellæ ſpeciem ſimilitudinemq; gerentia, etſi amaro, non ingrato tamen ſapore ſunt. Huius triplex genus eſt, aliud Spatagus, & Briſſus appellatur aliud, quod eſculentum eſt: tertium Echinometra quaſi Echinorum matrix. Ariſtoteles dicit Echinometras cæteros magnitudine calicis ſuperare. Plinius Echinometras ſpinis longiſsimis, & calcibus minimis deſcripſit, quod ipſum mihi uero ſimilius uidetur, cum ab aculeis nomen omnes Echini traxerint, rectius nominantur Echinometræ, qui aculeorum proceritate præſtant, quam ob magnitudinē calicis, ex hoc genere maximi ut uidimus, minimis aculeis ſunt: hos Maſsilienſes uocant Raſcaſſos. Huiuſcemodi uidi, qui quoquouerſus palmos dirigeres, pluſquā duorum eſſent palmorum craſsitudine: alium etiā inſpexi calice exiguo, & aculeis digiti longitudinem ſuperantibus, longitudine aculeorū præſtantes: à Siculis Maſculi appellantur. Maſsilienſes uulgò omnes nominant Ericios. Ariſtoteles ſemper Herinaceorū tegmentū appellat teſtam. Plinius aliàs cruſtam, aliàs teſtam. Qui Ariſtotelicam diſciplinam

profitentur, non modò Georgio Merulæ, qui inter cruſtacea Echinum numerauit errati ueniam non dabunt, ſed qua ſunt obſeruandi Ariſtotelis ſumma religione, Plinium ipſum de neglientia damnabunt.

De Aquatilibus Cochleis. CAP. LXXXI.

AQuatiles Cochleas Græci etiam Strõbos appellant. Theodorus auſus eſt alio nomine Turbines nominare. Vidi cochleam marinam quæ ad eam magnitudinẽ accederet, ut tantũ uini caperet, quantũ piſcator ex ſiccare uno prandio poſſet: Limaces marinas uulgò Maſsilienſes nuncupãt: itemq́ꝫ Cochlon Ariſtoteles animal teſtaceum aliud à Limace tradit, quod Theodorus Vmbilicum conuertit.

De Pectinibus. CAP. LXXXII.

PEctinum genus ſanguinis expers, ſtriatum, id eſt, pectinatim diuiſum, à rugis illis, ſiue imbricaturis ita nuncupatũ: huius generis quidam arbitrãtur eas eſſe, quas uulgò appellant Conchas ſancti Iacobi: ſed aliæ oceani littoribus Gallicis cognitæ habẽt. Theodorus Ctenas in Ariſtotele cum nunc Pectines, nunc Pectunculos cõuertit, eoſdem facere uidetur: ueruntamen Plinius à Pectũculis Pectines ſeiunxit, perparuuli Cancri in Pectinibus naſcũtur, quos piſcatores ſimul cum eis, quorũ teſtas incolũt, naſci aſſeuerant.

De Vnguibus, ſiue Digitis. CAP. LXXXIII.

VNgues ſeu Digiti è genere teſta obductorũ, noſtræ ætatis Græci, antiquo nomine ſeruato, etiã nunc Solenas appellant. Qui accolunt Adriaticum ſinum,

ſinum, Cappas longas nominant. Ex eo digiti appel-lantur, quòd ſpeciem ſimilitudinemq́ humani digiti gerant. Vngues item uocãtur, quòd eorum teſta un-guibus ſimilis ſit. Hic piſcis binis concluſa ualuulis utroq; lateri connexis, manubrij, quod ex cornu ap-ponitur gladijs, ſpeciem & ſimilitudinẽ habet. Apuli ideo uulgò Imbrices appellant, quia quodãmodo im bricibus horum teſtæ ſimiles uidentur. Græce etiam Auli, & Donaces nominantur.

De Mytulis, & Muſculis. CAP. LXXXIIII.

MYes à Theodoro uertuntur Mytuli, ſed quàm rectè, iudicare nondum audeo. Plautus tamen Myes in Rudẽte Muſculos uidetur appellare: & Cor nelius Celſus inter ea quæ aluũ mouẽt, ſalſamẽta po-nit Oſtrea, Pelorides, Echinos, Muſculos, & omnes ferè Conchulas. Equidẽ cum Græcis hominibus eos quos uulgò Veneti uocant Muſculos, & Cuniculos oſtenderem, dixerunt eſſe Mydia, hoc eſt, Muſculos. Athenæus tradit ſua ætate Tellinas à Romanis My-tulos nominatos fuiſſe.

De Nerite. CAP. LXXXV.

AElianus dicit Cochleam marinam magnitudine exigua, formæ pulchritudine eximia, eò maris ubi ſordium uacuitas ſit, & tranquillitas uigeat, in ſa-xis ad imam maris ſedem adhæreſcẽtibus, naſci, quæ Nerite nominetur. Theodorus Natricem cõuertit, Turbinati generis eſt, leui teſta, ampla, & rotunda. Qui accolunt ſinum Adriaticum etiam nunc Neri-

tem appellant. Hiſpani uocant Caragolum.

De Balanis. CAP. LXXXVI.

GEnus Concharũ eſt quod Græci noſtræ ætatis, adhuc antiqui nominis retinentes, Balanos uulgò nominãt. Plautus & Columella etiam Balanos à glandiũ ſimilitudine, ſunt enim leues, ut uidimus: in cauernis ſaxorũ ſtabulãtur. Veneti non rectè Dactylos appellant. Huiuſcemodi Conchã, cũ piſcatoribus Maſsiliẽſibus nulla deſcriptione repręſentare potuerim, ipſius nomen Maſsilicum non potui adſcribere.

De Tellinis. CAP. LXXXVII.

ATheneus dicit Romanos ſua ætate Tellinam nominaſſe Mytulum. Marcellus, Dioſcoridis interpres, Tellinas opinatur conchulas eſſe, quas memoria noſtra Tellinas Romani uocant. Sed Ariſtophanes grammaticus Tellinas dicit patellis ſimiles eſſe, eiſdemq́ue pueros pro cornibus uti ſolitos fuiſſe: à quibus longe diuerſæ ſole clarius uidentur eæ, quæ uulgò Tellinæ nuncupantur.

De Patellis. CAP. LXXXVIII.

PAtellæ, quas Græci Lepadas, etiam hac ætate nominant, Ligures & Maſsilienſes Patellas uocãt: una Concha clauduntur, earumq́ue altera pars à teſta inops, ad ſaxa ſic adhæreſcit, ut alieno tegumento ſe circuncludentes, biualuæ eſſe uideantur, aliæ ex alijs nexæ ſæpe capiuntur, easq́ue permultas inter ſe nexas tanquam examen Apium uidi.

De Purpura. CAP. LXXXIX.

Purpu

PVrpuram Græci hac ætate etiam Porphyram appellant: Concha eſt è genere Turbinatorũ,clauiculatim intorta, aculeos certis ordinibus diſpoſitos,corpus gradatim Cochleæ in modum ambientes habet. Purpuram diu multumq́ conſideraui, cum aliam Concham tandiu mordicus premeret, quoad ſuffocata hiſceret. Conficiendi purpurei coloris rationem noſtri homines ignorare putantur. Olim purpurarum teſtas confringebant, & carnes ad tincturam condiebant,& aqua dilutas, & ſordibus expurgatas, ſuccenſis ignibus in lebete coquebãt, harum ſanguis ab igne incaleſcens,fluebat,& effloreſcebat, partimq́ flaueſcebat, partim Cyaneo colore fiebat, partim in alium colorem conuertebatur, ac nimirum quicquid imponebatur,commutabatur in illius colorem. Purpuræ tinctura in ſole uerſari gaudet, à ſole enim radiata illuminatur & magis eniteſcit. Maſſilienſes hãc, & Murices,& Buccinos uocant Bios.

De Murice,& Buccino. CAP. XC.

CEryx à Plinio Latine Murex, & Buccinum appellatur: Concha eſt clauiculatim intortá,& turbinata,ſcabra,ſine aculeis, magnitudine purpuris inferior, Buccino turbinato, quo ſonus editur, ſimilis, excepto ore rotundo in margine inciſo. Ergo eadem erit Buccini deſcriptio: nam eſt è genere turbinatorum Concha,ſine aculeis,Buccino Concharum generi quo ſonus editur ſimilis, niſi rotundo ore differret, in margine inciſo: Buccinum enim quo ſonus editur,

non eſt inciſum. Ligures Buccinos nunc uulgò Cornetos nominãt: Maſsilienſes Bios Cornetos: Græci quidam hac ætate Strophilidas: Speuſippus dicit ſimiles eſſe κηρύκας, καὶ πορφύρας καὶ στραβηλούς, ſiue ἀστροβηλούς: Dercilus dicit commodos eſſe ad reddendũ ſonum.

De Pinna. CAP. XCI.

Pinna Conchæ genus, in limoſis locis uiuit, excelſa ſedem nunquam mutat, radice enim nititur, ac ſi ex eo loco quo nititur & erecta manet reuellatur, amplius uiuere non poteſt: noſtræ memoriæ Græci etiam nunc Pinnam nominant: Maſsilienſes Nacram: Siculi Lanam Pinnulam: Neapolitani Pernam appellant: Plinius Pinnis haud diſsimiles Pernas Concharum generis circa Pontias inſulas frequẽtiſsime ait ſtare, uelut ſuillo crure longo in harena defixas hianteſq;. Cicero Pinnam lib. ij. de natura deorum nobilitauit, cum ait: Pinna duabus grandibus patula Conchis, cum parua Squilla quaſi ſocietatem coit comparandi cibi: itaque quum piſciculi parui in Concham hiantem innatauerint, tum admonitu Squillæ Pinna morſu comprimit Conchas: ſic diſsimilimis beſtiolis cõmuniter cibus quæritur.

De Scolopendra. CAP. XCII.

Scolopendra, quam Theodorus uertit Centipedam à pedum multitudine, quos utrinq; permultos habet, terrenæ Scolopendræ ſpeciem ſimilitudinemq; gerit: ſed huius color magis rubet, pedes numeroſiores habet, & graciliores, & magnitudine inferior

rior eſt,quàm terreſtris: hæc quam uidi ad digiti longitudinem & craſsitudinem accedebat, Græci Scolipetras corruptè nominant.

De Vrtica & Spongia. CAP. XCIII.

PLinius Vrticam & Spongiam numerat inter ζωόφυτα, hoc eſt, ſi quid Theodoro dignum conari audes, Plantanimalia, quæ nec animalium, nec fruticum,ſed temperatam ex utroq; naturam habent. Vrtica tota ex carne conſtat, nulla clauditur teſta: eam Græci hac ætate uulgò uocãt Colizanam, quòd pedunculis ſuis firmiter Polyporum more adhæreſcit: ac ſimiliter ut terrenæ urticæ eius tactio dolorem inurit. Ligures,& Maſsilienſes nondum ceſſant recte Vrticam appellare. Si Plinius Vrticam cognitam habuiſſet, eius pediculos potius Cirros, quàm frondes dixiſſet.

De Scyllio canicula. CAP. XCIIII.

SCyllion chartilagineum è genere Galeorum, non in roſtro os,ſed infra in ſupina parte dentatum habet. Scyllion ab Ariſtotele nominatur: iam nunc Græci Scyllopſaron nominant: Maſsiliẽſes, Palum: nonnullæ regiones,Caniculam.

De Oſtreis. CAP. XCV.

OStreum,penultima quidem breui, Concharum ſpecies: longa uero,genus omnium teſtaceorum eſt.De uiris non paucis ſpectatæ fidei accepi Byzantinos Oſtrea ſerere,& eorũ quaſi lac ſeminare,idipſum enim in aquam abiectum,ad ſaxa ima adhæreſcere,&

Oſtrea fieri.

De Tuberibus,& Callis. CAP. XCVI.

HOlothuria, quæ & Tethia uocãtur, Theodorus uertit Tubera, & Callos, & Vertibula: & Tubera quidem, quòd ſic nullis fibris, quemadmodum tubera terrena nitantur: ac Callos, quòd calloſa materia tegantur. Iam nunc Græci non græco nomine, ſed pluſquam barbaro Spherdoclos nuncupant. Ineptius ij, qui accolunt Adriaticum ſinum, ex eo Spongias nominant, quia cum premuntur, tanquam Spongiæ, ſic aquam foraminibus reddunt. Hoc genus piſcium Maſsiliæ in uulgus ignotum à paucis cognoſcitur: quidam ſenes, cum huius deſcriptionem ſub eorum oculos ſubieciſſem, & multum inculcaſſem, nominarunt Vichonos: ueruntamen propter tempeſtates hos mihi oſtendere non potuerunt.

De Pulmonibus marinis. CAP. XCVII.

PVlmones marini ſua ſponte naſcuntur, cum natant Cirros ex imo, more Polypi, emittunt: quòd autem ſpeciem quandam mulieris uuluæ repræſentãt, tota idcirco Italia eos turpibus nominibus appellat, ut nulla ratione ſcriptis honeſtè mandari queant. Ligures nominant, Capellos marinos: Maſsilienſes, Carneos pileos: cum iacent, omaſo ſimiles ſunt: cum eriguntur, Pulmones uidentur: tanquam uitrum translucent: cum ſuſpenſi tenentur, quandam imaginem Polypi gerunt, niſi brachia breuiſsima & craſſa habent: Cum autem eos ſecuiſſem, nihil in ea parte

quæ

quæ Polypi uentri reſpondet reperi: ubi uero membratim diſſecuiſſem, in ijs partibus unde pedes exoriuntur, quoſdam meatus harenarum plenos uidi. Adeo omnino lucidi, & tanquam uitrei ſunt, ut ſine ſectione interiora omnia uidere poſsis: ac quanuis fluctibus in littus expulſi, nullo negotio capiuntur, tamen cum non ſint eſculenti, à prætereuntibus præclare contemnuntur.

De Stellis marinis. CAP. XCVIII.

MArina Stella, non quod ſimiliter ut Stellatus galeos maculis quibuſdam tanquam ſtellis uarietur: ſed ſtellæ pictæ quia ſpeciem ſimilitudinemq́ gerat, ex eo nomen duxit: ut enim ſtellam pictores radiatam pingunt, ſic hæc quinque pedes, tanquam radios habet. Huius durum callum cum gladij mucrone experiri ſtuderem, uix tandem multa ui molliorem mediam ſuperficiem potui perfringere: nam radiorum anguli ad ſilicum duriciem accedunt, & non minus ab ictibus inuictos, quàm ferrum ipſum ſe præſtant. Maſsilienſes etiam nunc Stellam nominant. Græcia quemadmodum totius linguæ ſuæ negligens eſt, ſic piſcium nominum antiquorum nihil obſeruans hunc Scauron appellat.

De Carcharia piſce. CAP. XCIX.

CArchariam marinum piſcem omnium caniculárum robuſtiſsimum & maleficentiſsimum uidi

Niceæ, & Maſsiliæ: os in roſtro non parte ſupina habet, multis dentium ordinibus dentatum. Maſſilienſes ſuæ antiquitatis retinentes, proprie Lamiam uulgò nominant. Nam Nicander Colophonius, in Linguis, ſcribit, Carchariam etiam Lamiam appellari. Magnam admirationem habet id quod mihi Nicenſes teſtati ſunt, ſe cum huiuſcemodi piſcem ad quatuor millia librarum accedentem cæpiſſent, in eiuſdem uentre ſolidum hominem reperiſſe. Simile quiddam Maſsilienſes mihi narrarunt, ſe aliquando Lamiam comprehendiſſe, in eademq́ loricatum hominem inueniſſe. Huius dentes ab aliorum canum dentibus diuerſi ſunt: nam aliorum incurui in partem oris interiorem ſpectant, & teretes ſunt: Lamiæ uero lati & pyramidati, mucronem enſium, quibus hac ætate utimur, referunt: pretioſi exiſtimantur, & in argento includuntur. Cum unum ad huius naturam diligentius conſiderandam licitarer, alius quiſpiam ad delicias hunc maiore propoſito præmio mihi præripuit.

De Myllo. CAP. C.

NIcea non procul à Varo amne in Liguſtico littore ſita, piſcem uocat Figon, quem noſtræ ætatis Græci Myllocopion appellãt, Oppianus, & Plinius inter piſces numerant Myllon, quem Oppiani commentaria eum interprætantur, quem uulgò nominant Græci Myllocopion. Hunc Maſsiliæ ui

dere

dere non potui, an ſit Iecorinus, an Myllus, an alius, certi nihil habeo. Hoc duntaxat dixi, ut ex mea inſcitia alios exacuam ad diligentiorem inquiſitionem.

De Mormylo. CAP. CI.

MOrmylus marinus piſcis in dorſo peracutos habet aculeos. Oppianus αἰόλον eſſe ſcribit: interpres Pictum ore non ſatis explicatè conuertit. Ouidius recte Pictum appellauit: non enim in ore, ſed per eius utrunque latus lineæ nigræ tranſuerſæ à dorſo ad uentrem decurrunt: Maſsilienſes, & Ligures Mormurum: alij non modò literati, ſed etiam rudes appellant Mormylum.

De Sphondylis. CAP. CII.

SPhondylos inter Concharum genera Columella annumerat. Apuli & Siculi uocant Spondylos. Græci Gaidarupoda, hoc eſt, pedem aſini, quòd aſinini pedis ſpeciem ſimilitudinemque gerat. Huius extimæ partes ſcabræ ſunt, intimæ uero leues & candidæ. Duabus Conchis conſtat, atque ex poſteriori parte uertebris quibuſdam continetur, unde nomen traxiſſe opinor. Maſsilienſes Hoſtia appellant.

De Teſtudinibus. CAP. CIII.

TEſtudinum genus eſt multiplex, aliud marinum, aliud Lutarium, quod etiam Mus aquatilis appellatur, in dulci aqua uerſantes; Ariſtoteles Omy-

das, ſiue Emidas appellat marinæ teſtudines Conchulas petunt, os enim omnium robuſtiſsimum habent: oris robore nullum non frãgere ſiue lapidem, ſiue quiduis aliud poſſunt.

De Muſtella. CAP. CIIII.

MVſtellam aliam ab ea eſſe quam Perotus primus Lampetram exiſtimauit, Aelianus deſcribit, cum inquit, Muſtellã breuis piſcis, nullam cum Muſtello communitatẽ habet: nam hic quidem cartilagineus eſt, & pelagius, & magnitudine præſtans, ſimul & Canis ſpeciẽ ſimilitudinem'q; gerit: Muſtellam uero diceres eſſe Iecorinum. Pupillæ oculorum ad cæruleum colorem accedunt, illius quaſi mentũ quàm Iecorini maius eſt, & minus quàm Chremytis: Algas depaſcitur, & ſaxatilis eſt. Maſsilienſes & Ligures Muſtellam appellant piſcem marinum non è genere longorum, qui ſane pinnam in dorſo ex pelle molli habet, ad caudam pertinentem: atque alteram in ima corporis parte, ſimiliter cuticula perpetua ad caudam uſque conſtantem. Vidi fluuiatilem piſcem, huic omnino ſimilem, quem Lugdunenſes uulgò uocant Lotam. Huiuſmodi uterq; piſcis iuxta brãchias utrinq; pinnas habet cuteas, & in labro inferiori unicum filum: uterq; etiam in gutture pinnas quaſdam habet, ſimiliter & in utroq; opimus uenter eſt, & terrenæ Muſtellæ ambo ſimilitudinem quandam habent. In utriuſq; capite lapillos inueni. Plinius cum inquit, Proxima eſt his menſa generis duntaxat Muſtellarum

ſtellarum quas mirum dictu inter alpes lacusq́; Rhetiæ Brigantinus æmulas marinis generat, hoc eſt, cum ſint marinæ,& fluuiatiles, & paluſtres Muſtellæ: ſolæ illius generis quas lacus Brigantinus gerat, dignitatem habent: nam fluuiatilis lauti cibi eſt: marinam uero nō boni cibi eſſe percepi. Muſtella quam Auſonius deſcribit huic magis quàm lampetræ ſimilis eſt, cum ait:

Quæq; per Illyricum per ſtagna binominis Iſtri,
Spumarum indicijs caperis Muſtella natantum:
In noſtrum ſubuecta fretum: ne lata Moſellæ,
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra ſuperne
Puncta notant tergum,qua lutea circuit iris,
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pingueſcis: at illinc
Vſque ſub extremam ſqualle tcutis arida caudam.

Hæc quam dixi Lotam ſquammis caret, & corporis ad medium fartim pingueſcit,lutea iris huius corpus diſtinguit, atra puncta ſuperne notant tergum.

De Sargis. CAP. CV.

SArgus Canthari piſcis ſpeciem ſimilitudinemq́; gerit, neque modò Maſsilienſes, & Ligures, ſed omnes quas obiui regiones, Sargū uulgò nominãt.

De Sparo. CAP. CVI.

SParus piſciculus marinus Auratæ paruæ ſpeciem ſimilitudinemq́; gerit, aurea ſupercilia excipio: Maſsilienſes corruptè Sparlum appellant.

De Cantharo. CAP. CVII.

CAntharus piſcis marinus Sargo ſimilis: Maſsilienſes etiam nunc Cantharum uulgò, Ligures Tamidum, Græci corruptè Scatarum nominant.

De Acu. CAP. CVIII.

BElona, ſiue ſicut Dorion ait, Raphis, quam Latini Acum conuertunt, longus piſcis, & tenuis: roſtrò longo, & acuto: dorſo cæruleo, & uiridi: uentre argenteo, ubiq; gentium nomen retinet.

De Aphya. CAP. CIX.

APhyæ multiplex eſt genus, alia Encraulos generat. Cum Græco cuipiam eas, quas Anchoias, ſiue Amploias littus Liguſticum & Gallicum nominat, oſtendiſſem: ſumma aſſeueratione appellabat Lycoſtomos. Aelianus eoſdem eſſe ait Encraulos & Lycoſtomos. Aliud genus Aphyæ eſt, quod ex Mænis, & Mugilibus procreatur. Phalerica Membradas gignit. Item alia ſpecies quã Ariſtoteles Aphron, Athenæus & Oppianus Aphritin, quòd ex ſpuma maris, non ſemine naſcatur: Nam Aphyæ ortus ſpuma appellata ex terra ſabuloſa cõſtat: quod quidem genus nullam accretionem habet, nec quicquam gignit. Aphyam Plinius Apuam, Theodorus Apluam uertit, adeo puſilla eſt, ut ij, qui Niceam incolunt, Nonnatam appellent, quaſi nõdum natam, id quod Græcum nomen ſignificat. Ligures teſtantur piſciculos perparuulos, quos Ianquetos nominant, effici Sardinas.

De Atherina. CAP. CX.

ATherina congregatilis piſciculus. Nullus fuit ex Græcis quotquot oſtendi (infinitis enim Ianuæ & Maſsiliæ oſtendi)quin ſtatim Atherinam appellaret. Maſsilienſes Sancletos uocant: Theodorus Ariſtam conuertit. Eſt aliud Atherinæ genus quod trãſuerſum in uentre habet aculeum, unde arbitror Atherinæ nomen traxiſſe.

De Dentice. CAP. CXI.

SYnodontes,& Synagrides,Latine Dentices dicuntur: tam ſimiles ſunt, ut Ligures, & Maſsilienſes utroſq; Dentices,contrà Græci, eoſdem utroſq; Synagrides nominent. Hiccesius dicit Pagrum, Chromin,Anthiam, Synodontem, & Synagridem ſimiles eſſe.

De Thymo piſce. CAP. CXII.

AElianus piſcem Thymum,ſic nuncupatum,ſcribit in Ticino flumine Galliæ tranſalpinæ procreari, eumq; ad cubiti magnitudinem accedere, & Lupi, & Mugilis communem & mediam ſpeciem ſimilitudinemq; gerere, eiuſdemq; capti odorem magnam admirationem habere: Non enim ut cæteros piſces piſculentum quendam odorem mittere, imo uero, ſicut idem ait, exiſtimares te gentilem herbam recentem ex terra lectam manibus tenere. Equidem ipſe huiuſcemodi uerbis Aeliani admonitus,cum ad Ticinum perueniſſem, ab accolis diligenter etiam atque etiam inquiſiui, num quempiam piſcem

ſcem haberent,quem Thymum nominarent.Reſpon derunt,in hoc fluuio ſæpe capi ſolere piſcem, quem uulgò Temerum, ſiue Temelum, hoc eſt, Latine Thymum nuncuparent: cuius adipem auribus ſalutarem multi piſcatores conditum ſeruarent, quem ſuaue quiddam olere teſtabantur. Ego cum piſcatorem ad hunc ipſum capiendū miſiſſem,diemq́ unum expectaſſem, isq́ ad ueſperam, quoniam ad piſcandum tempeſtas idonea non eſſet, nihil attuliſſet, poſtridie diſceſsi.

De Gladio. CAP. CXIII.

GLadius à noſtræ ætatis Græcis etiam recte Xiphias appellatur: Maſsilienſes piſcem imperatorem nominant,quod gladium ueluti imperatores picti gerant. Iidemq́ alium piſcem Spatam ex eo appellant,quòd eius cauda gladij ſpeciem ſimilitudinemq́ gerat. Itaq́ cum audies in prouincia Narbonenſi nominare Spatam,non exiſtimes eſſe, quem Itali Spatam piſcem appellant, ſed alium hunc, quem modò dixi: eius roſtrum leuiter in enſem procedit, non minus durus hic quàm ferrum exiſtit: Dentibus & ſquammis caret,aſpero corio ut natio canum obducitur: quadruplicibus eſt branchijs: pinnam, ex membrana conſtantem,in dorſo habet: adeo hebetibus aculeis, ut oſsicula diceres intertexta. Hunc piſcem Galeotem Strabo appellat, quem etiam & Canem marinum, & Thurionem, & Tomum thurianum quidam opinantur.

De

De Cinædo. CAP. CXIIII.

PLinius dicit Cinædũ ſolum piſcem luteum eſſe. Is quem Maſsilienſes Cenudum appellant, quiddã luteum habet, ſed & alÿ piſces, quare nihil iudico.

De Aulopio. CAP. CXV.

CVm ſuprà in eo opere, quod uerti ex Aeliano, Nicandro, Oppiano, & alÿs Græcis nondũ con uerſis, ſatis dilucide docuerim, quis ſit Aulopios, non hic ibidẽ rurſus repetã. Græci etiam nunc Aulopion uocant. A Neapolitanis de piſcatore probo uiro acce pi piſcem quendam uocari Aulopenã: ſed cum hunc non uiderim, neque ille mihi quantislibet propoſitis præmÿs uno toto menſe piſcem capere potuerit, certi nihil tibi repræſentare poſſum: hoc tantum adſcripſi, ut qui Neapoli uerſantur docti, aduertant num recte Aulopenam uulgò nominent.

De Siluro, & Glanio diuerſis piſcibus. CAP. CXVI.

AElianus ſcribit, in Bubaſto Aegyptia ſtagnũ eſſe, ubi cicures permulti Siluri alantur, & exultãtes alÿ in alios ſaliant, & obiecto ad ſe nutriẽdos pane pa ſcantur: eoſdemq́ ait etiam in fluminibus procreari, ut in Cydno Ciliciæ fluuio: ſed eos quidem minutos prouenire, quòd eius cõfluens nitidus & frigidus ſit, quo ipſi non delectãtur, ſed turbido potius, ac planè limoſo gaudent, & pingueſcũt: & Pyramus quidem,

atq; Sarus Cilices fluuij eos longe pleniores ferunt: tum Orontes Syrorum amnis: itemq; Ptolemęus fluuius, & Apamieſe ſtagnũ maximos generant. Idemq; Aelianus cum docet quemadmodũ Iſtrianus Silurus capitur, uidetur dentatum ſignificare, cum ait, Hamũ aſſo tauri pulmone inſtructum ad illiciendũ Silurum deijcit, & linea ad quam alligatus eſt hamus, quantũ ſatis eſt, plumbi ad moderandum tractum appendit, ubi Silurus bubulæ eſcæ ſenſum percepit, ſtatim eſcã appetens, hamum incaute deuorat: quo transfixus, ex eo euadere cupiens, omnibus uiribus funem bene robuſtum exagitat, & uexat, & omni uirium contentione in altitudinem deprimit. Aelianus non eoſdem eſſe dicit Silurum & Glanium, cum inquit, Glanis piſcis incola Meandri, & Lyci Aſiorum fluminum, & Europei Strimonis, ſpeciem Siluri ſimilitudinemq; gerit: ex piſcibus ſuorum fœtuum amantiſsimus eſt, nam ſimul ac fœmina peperit, cura quidem illa de partu ſuo liberatur, ac nimirum cubitans ſuorum tuitione exoluitur. At uero mas ſe aſsiduum preſtans cuſtodem, ad conſeruationem eorum quæ procreauerit aduigilat, & eos ex omnibus inſidijs prohibet: atque, ſicut Ariſtoteles inquit, hamum exedere & conficere poteſt. Itemq; Pauſanias non hos eſſe eoſdem deſignare uidetur, cum dicit, Feras in perniciem hominum non ferunt Græcorum amnes, quemadmodum Indus, & Nilus: præterea Rhenus, & Iſtrus, Euphrates, & Phaſis. Hi enim feras, ſimiles Glanijs,

hominum

hominum deuoratoribus, in Hermo, & Meandro uerſantibus, procreant: excepto colore nigriore, & robore: nam his Glanij inferiores ſunt. Athenæus inter piſces Nili Porcos, & Siluros numerat. Non igitur ſolus Theodorus errat, dum ſemper Glanium conuertit Silurum: uerum etiam Plinius, cum ait, Silurum marem ſolum omnium piſcium edita cuſtodire oua, ſæpe quinquagenis diebus ne abſumantur, aperte Siluro attribuit, quæ Ariſtoteles Glanio propria eſſe dicit. Cum tamen Plinius ſæpe aliâs in commemoratione medicinarum Glanis & Siluri, tanquã diuerſos ponat: atque etiam uno eodemq́ capite primo medicinas Siluri, deinde Glanis commemorat. Idemq́ libro nono dicit, Glanium auerſum mordentem hamum non deuorare, ſed eſca ſpoliare: Ariſtoteles contra hunc deuorare. Quamobrem cum in hoc piſce non ſatis ſibi conſtare Plinium uideam, malo ſequi Pauſaniam, & Aelianum. Iam ſi Plinius uerum dicit, cum Silurum hominum & equorum deuoratorem facit, apertè liquet Sturionem neque Glanium, neq́ Silurum eſſe, cum horum uterq́ dentatus & hamifragus: Sturio uero dentibus careat.

De Chalcide. CAP. CXVII.

CHalcidis, quam Ericam mihi uideri Theodorum non rectè conuertiſſe oſtenderem, ſi uel iam mihi otium eſſet, uel multũ ad rei notionem intereſſet. Ari

ſtoteles quidem inter fluuiatiles mentionē facit; Oppianus uero marinā facere uidetur: Athenæus Chalcides & Thriſſas & Sardinas ſimiles eſſe dicit: Oppianus ſemper in Thriſſæ commemoratione etiā Chalcidis meminit: & ſimiliter Columella, cum inquit, piſcibus in piſcinis præberi cõuenit, Tabentes, Haleculas, & ſalibus exeſam Chalcidē putremq́; Sardinam. Ego nõ audeo eas appellare neq; Anchoas, neq; Meletas, neq; aliā ex ijs quas uulgò uocamus Sardinas: ſed tandiu meum iudiciū ſuſtinebo, quoad rem melius inquiſiero: neq; ob aliam cauſam Chalcidis notionem meā implicatam hic ibidē profiteor, niſi ut ſi mihi maior facultas inquirēdi non permittatur, harū rerum ſtudioſos ex mea ignoratione admoneā, & incitem ad exploratiorē notitiā. Cum ex Græculis piſcatoribus percunctarer, quaſnam putarent Chalcidas, & tandem quiſpiā dixiſſet, à ſuis ciuibus accolis Acheloi fluuij hac ætate Nungrias nuncupari, etiam atq; etiā diligenter rogaui, ut mecum ad piſcariā proficiſceretur: ſed cū ibi nullas inueniſſemus, in aliū diem rem diſtulimus: hic interea paucis poſt diebus, me nihil tale cogitante, cum in Græciam reuertiſſet, in priſtinam dubitationem reuolutus ſum. Veruntamen cum ſit Thriſsis, & Sardinis ſimilis, non eſſe poteſt, ut falsò Merula putat, è genere Rhomborum.

De Scorpione, & Scorpena.
CAP. CXVIII.

Cum

CVm Scorpio, & Scorpena eiuſdem generis ſint, multũ tamen & colore & bonitate differũt. Nam Scorpio ruffus & pelagius eſt, Scorpena nigra & littoralis, & cibi ſuauitate longè Scorpione inferior: quod ipſum non modò ex antiquorũ conſcriptione accepi, ſed certa palati ſapientia expertus ſum. Iam porrò nonnullæ regiones Italiæ utrunq; Scorpenã appellant; & Græci à uero nomine aberrarũt: nam utrũq; Scorpium appellãt: Maſsilienſes ut nondum ceſſant rectè Scorpenam appellare, ita parũ Maſsilicè Scorpium uulgò Raſcaſſam nominant. Secundum Paſtinacam & Draconem nihil in mari uenenatius: etenim in dorſo & branchijs bene acutos & robuſtos habet aculeos, quos ſi Sypontinus uidiſſet, nõ à ſimilitudine terreſtriũ nomẽ duxiſſe ſcripſiſſet, ſed ex eo potius quòd quemadmodum terrenorum aculei, ſic horum pernicioſi ſint, nuncupatos eſſe.

De Gobionibus. CAP. CXIX.

GObiorum multiplex eſt genus, alij paluſtres, alij ſaxatiles, uulgò Goatæ uocati, quos Cothonas, ſicut Nicander inquit, Siculi appellant; quoſdam alios Gobioni ſaxatili propemodum ſimiles: Ariſtoteles Cottos nominat, quos adhuc nonnulli Coranos nuncupant.

De Citharo. CAP. CXX.

MAſſilienſes cuiuſdam piſcis, quem unum aut alterum in omni uita tantum cæpiſſent, cuiuſq; nomen ignorarent, mihi formam adumbrate deſignarunt, qualem ex Aeliano ſuprà Cithari piſcis deſcripſimus: eundemq; ſimiliter Rhombo ſimilem teſtati ſunt, ut Galenus dicit, & Aelianus etiam addit Lingulacæ ſimilitudinem gerere.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Priuilegij tenor.

Cauit regia Maieſtas, ne quis in hoc ampliſsimo Francorum regno hanc de animalium ui & natura hiſtoriam intra triennium ab hac æditione, præter nos, imprimat, ſiue alibi impreſſas uenundet, ſub pœna confiſcationis omnium librorum contra hoc edictum & mandatum impreſſorum, & inſuper arbitraria; in cuius rei teſtificationem datum eſt nobis diploma authenticum, ſigillo regio munitum, ſicq; ſubſignatum,

Barrillon.

